BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
35 N
1 14
F
V
8
F. III. n.° 6

1703

DIVINVS ORATOR, VEL DE RHETORICA DIVINA Libri ſeptem:

IN QVIBVS BENE DICENDI RECTEQVE concionandi doctrina ex diuinis Scriptoribus collecta, & ad facilem abſolutamq; artis methodum redacta continetur:

Atque eloquentiæ comparandæ, obſeruandæ, & ad vſum traducendæ perſpicua traditur ratio:

Opus a multis olim deſideratum, & omnibus diuini verbi Miniſtris, ſacræq; doctrinæ, atque bonarum literarum ſtudioſis apprime vtile & neceſſarium.

AVCTORE LVDOVICO CARBONE A COSTACIARO,

Academico Parthenio, & ſacræ Theologiæ in almo Gymnaſio Peruſino olim publico Magiſtro.

CVM QVADRVPLICI INDICE, ET PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,

Apud Societatem Minimam.

M D X C V.

Bibl. S. Nicolai ad Blasij de Urbe C. ...

REVERENDISS. PATRI
HIPPOLYTO MARIAE
BECCARIÆ
Totius ordinis Prædicatorum Magiſtro Generali meritiſſimo,

Ludouicus Carbo S. D.

CVM Dominicanæ familiæ, cuius tu Reuerendiſs Pater, meritiſſimo ſummus exiſtis Magiſter, hic Venetijs vniuerſa celebrarentur Comitia; mihi de te a tuis interroganti, ea de doctrina moribuſque tuis narrata fuere, quæ me, non ſolum ad te diligendum & obſeruandum maxime impulerunt; ſed etiam ad eandem meam erga te obſeruantiã aliquo indicio declarandã ſtatim excitarunt. Cum ergo eo tempore hoc de Rhetorica diuina opus præ manibus haberem; illud tibi vni e multis, qui mihi hac de re cogitanti occurrebant, potiſſime dicandum nonnullis de cauſſis exiſtimaui. Primum quidem, quia de Oratore, ſiue Prædicatore diuino opus nemini congruentius dicari potuit,

tuit, quam Oratori facundiſſimo, & ordinis Prædicatorum Moderatori optimo: cui, quidquid a me tributum fuerit, vniuerſo quoque ordini datum fuiſſe iure exiſtimare potero: ac proinde hunc meum de recta concionandi ratione librum, non vnum tantum Patronum, ſed multos, & quidem optimos habiturum eſſe confido. Tibi deinde, Antiſtes vigilantiſſime, & conſequenter vniuerſæ familiæ, hanc meam lucubrationem ideo nuncupandam eſſe iudicaui; quia, quid ſit, quid valeat (ſi tamen aliquid eſt, & valet) & a te, & a tuis melius intelligi, & ſi quid peccati in ea fuerit, melius corrigi, & denique a calumniatoribus, ſiqui erunt, melius defendi poterit: hæc enim fere ſunt, quæ in alicuius operis nuncupatione ſpectanda eſſe videntur. Illud me præterea nonnihil excitauit, quod nonnulli ex tuo ordine, & ſpeciatim Sancti officij adminiſtri, qui cum hoc opus perlegiſſent, & approbaſſent, ad illud omnino edendum non ſemel me ſunt hortati: quod omnibus, qui cum laude & fructu concionandi munus exercere volunt, vtilitatem non paruam eſſet allaturum. Et denique, ne plures mei conſilij rationes afferam, hæc præcipue ratio me commouit, quod eius exiſtimationis in meo animo tuę doctrinę probitatiſque vi conceptæ, quaſi cuiuſdam poſſeſſionis fructus, tibi iure debitos, & aliquando etiam promiſſos mihi reddendos eſſe animaduertebam. Quæ ſane cauſſa quantum me impellere potuerit, ij plane intelligerent, miſſae a dignitate quę ex tua nobili familia, & ex tuorum maiorum geſtis ſumi poſſet, ea

quæ

quæ tuis laboribus, tuis vigilijs, tuiſque ſtudijs compa raſti bona cognita haberent: bonarum artium notitiam, eloquentiam non vulgarem, humanæ diuinæque ſapientiæ cognitionem, egregias virtutes, pietatem in Deum, obedientiam in maiores, obſeruātiam in pares, & denique caritatem in omnes. Quibus tu virtutibus ad eum dignitatis gradum perueniſti, quo nonniſi optimi perueniunt: &, quod mirifice tuas vir tutes illuſtrat, meritaque tua plane demonſtrat, in ea ætate, in qua pauci, vel nulli peruenire ſolent. In hoc autem tali ac tanto, talis ac tantæ Religionis munere obeundo, tanta prudentia, tanta vigilantia, tanta patientia, ac moderatione tanta vteris; vt non ſolum am pliſſimæ Religionis ſummo Magiſtratu, ſed etiam quocunque alio ſupremo gradu, omniū conſenſu qui tuas egregias animi dotes ſingulareſque virtutes norunt, te maxime dignum præſtes. En igitur, Præſul optime, cur hoc munuſculum tibi offerre volui, quod omni ſtudio offero, & a te accipi cupio; vt totus Prædicatorum ordo, immo & omnes qui in concione verſantur, vel bene dicendi arte delectātur, tuo exemplo commoti, idem efficiant. Hoc ſi fiet, id ego conſequar, quod in hac nuncupatione propoſitū habeo; vt diuini verbi miniſtri ex noſtris laboribus ad immorta lis Dei gloriam, & ad totius Eccleſiæ vtilitatem aliquid emolumenti capiant: quod ſane faciet, qui diuina quadam eloquentia & dicendi artificio in diuinis Scriptoribus a nobis obſeruato, diuinum verbum do cere voluerit; vt in Præfatione ad Lectorem planius

indicabo. Tu igitur in primis, Reuerendiſſ. Pater, & vos omnes Prædicatoriæ familiæ Alumni, hoc de recta verbi diuini prædicandi ratione opus ex diuinis conflatú literis, libenti animo accipite; vos, inquam, qui priuato inſtituto diuinum verbum tractatis, docetis, defenditis, remque Christianam, doctrinæ genere, exemploque vitę conſeruatis, & amplificatis. At te vero, Religioſiſſ. Pater, ſi quam grati animi ſignificationem expectare licet, quænam expectém bonam? num ea quę ſapientiſſime a primis annis tibi deſpicienda eſſe exiſtimaſti? an potius ea quæ pro tua in Deum pietate per religionis cultum tibi acquirenda propoſuiſti? ſpiritalia nimirum, vera & ęterna bona: hæc ſane expecto, nec me mea, vt confido, fallet expectatio; tuarum precationum, ac bonorum operum totius Ordinis, quorum diſtribuendorum tua eſt facultas, communicationem. Id ſi facies, meum munuſculum tibi gratum fuiſſe plane declarabis: & ego abs te nihil maius accipere potuiſſe, & ad Deum pro tua incolumitate deprecandum me in perpetuum obligatum eſſe omnino fatebor. Vale. Venetijs.

Auctoris

AVCTORIS AD
LECTOREM PRÆFATIO.

NON eram neſcius, Chriſtiane Lector, cum ad hoc opus conficiendum aggreſſus ſum, eum me eſſe, cui obijci poſſet, Tu eam viam indicabis, quam nunquam es ingreſſus? eam tu perſonam recte inſtitues, quam nunquam ſuſtinuiſti? Illud etiam obtrectator aliquis fortaſſe diceret, Quid opus fuit, vt tu eam artem doceres, quam adhuc tot illuſtres, & in arte concionandi verſatiſſimi viri docuerunt? Illis igitur qui me, vel temeritatis accuſare, vel meos conatus inutiles fuiſſe facile exiſtimare poſſent, mihi occurrendum eſſe iudicaui: vt, mei conſilij ratione cognita, obtrectatores taceant, & qui noſtra legere voluerint, quid ex illis vtilitatis capere poſſint intelligant. Quod igitur ad primum attinet; in primis, ſi quid ego hac in parte pecco, grauiſſimorum hominum exemplo pecco: qui bene dicendi artem, vel publice inſtituendo, vel intra domeſticos parietes ſcribẽdo, quamuis ipſi nunquam dixiſſent, alios docuerunt; vt præter cæteros bonus dicendi artifex fecit Iſocrates: cuius domus cunctæ Græciæ, quaſi ludus quidam patuit, atque officina dicendi. Nihil itaque implicat, vt is de recta dicendi ratione ſcribat, qui nunquam dixerit; modo artem ipſam didicerit, beneque perſpectam habeat. Deinde, cur is qui concionem nunquam habuit, Concionatores bonos audiendo, & eos qui de hac arte ſcripſerunt legendo, & quæ ipſe obſeruauit & ab alijs obſeruata fuere colligendo, de recta concionandi forma, ſtudio diligentiaque adhibita, ſcribere non potuerit? id quod nos facere conati ſumus: An autem potuerimus, qui noſtros de Rhetorica humana, ſiue de Orato-

re politico editos libros, in quibus quidquid a melioribus di cendi Magiſtris hucuſque de eloquentia literis cōmendatū fuit, collegimus & examinauimus, legiſſent, ij facile indica rent. Ob quam exercitationem atque diligentiam hunc in fi nem a nobis ſuſceptam, vt diuinorum Scriptorum artem ali quando obſeruaremus, non omnino inepti ad hoc opus confi ciendum acceſſimus. In ſumma, quid vitij eſt

——Fungi vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi?

Aut etiam imitari Mercuriales illas ſtatuas πολυκεφάλους quondam in compitis poni ſolitas, quæ ſua nonnunquam indicatione viatorem eo prouehunt, quo nunquam ipſæ peruenerunt. Quod vero ad alterum attinet, eam primum commoditatem hoc noſtrum opus recte concionandi cupidis afferet, quod quidquid in multis auctoribus, qui hoc idem argu mentum tractarunt, eſt dignum ſcitu, & ad rem proxime accommodatum, in eo reperire licebit: ac proinde hic vnus liber pro multis eſſe poterit. Deinde, cum abſolutam, quantū neceſſe fuit, hic dicendi artem tradiderim, hic meus labor, non ſolum ſacris, ſed etiam profanis Oratoribus, et omnibus eloquentiæ comparandæ ſtudioſis vſui eſſe poterit. Hic nanque, candide Lector, ſubiectam artis materiam habes expli catam, omnia cauſſarum genera et ſtatus, omnes eloquentiæ partes tractatas: hic omnia Oratoris officia vniuerſe & pri uatim ad vſum accommodate expoſita: hic denique eloquen tiæ comparandæ ac obſeruandæ rationem indicatam. Vnde alia colligi poterit vtilitas, ſiqui noſtris vti voluerint, præ ſertim viri religioſi, vt eis non ſit neceſſe recte dicendi præ cepta a profanis repetere; cum ea ex ſacris Scriptoribus col lecta & cum ordine tradita hoc libro habeant. Quod qui facient, & eloquentiam & pietatem ſimul diſcent: dum, non tam noſtra, quam diuina legent: & ita diuini euadent Oratores, qui ex diuinis ſcriptoribus artem oratoriam hauriēt. Præterea, ideo noſtros conatus non inutiles, nec ingratos fore arbitramur, quia id præſtare conati ſumus, quod vi

ri de-

ri docti & pij præſtari poſſe olim indicarunt, & nonnulli, vt id aliquando fieret, deſiderarunt; vt ſcilicet ſacrorum ſcriptorum in dicendo artificium obſeruaretur, & eloquentia, vbi a multis non eſſe putatur, ibi eſſe demonſtraretur: id quod nos facere contendimus, an aſſequuti fuerimus, aliorũ eſto iudicium. Denique, ne dum meum ſtudium commendare videor, longum faciendo Chriſtiani Lectoris aures offendam, illud addiderim, priuatam quandam diligentiam quã quiſque facile animaduertet, me adhibuiſſe in cauſſarum et ſtatuum explicatione, in locorum communium collectione & expoſitione, in doctrina de amplicatione, deq; mouendis affectibus, in figurarum & ſchematũ exacta tractatione, in indicanda eloquentiæ diuinæ acquirendæ & ad vſum traducendæ via, & denique in obſeruando ſacrorum auctorũ artificio, atque in eorum ſcriptis ad artem dicendi accommodate exponendis, quod ſane non parui faciendum exiſtimo. His igitur de cauſſis & alijs quibuſdã, quas libens prætermitto, Chriſtianus Lector, hoc de Oratore diuino informando opus, non temere a me ſuſceptum fuiſſe exiſtimabit, nec qui legere voluerit, ſine fructu & aliqua vtilitate leget. In quo conficiendo, aliqui fortaſſe, nos nimis longos fuiſſe dicẽt; quod ſane illi non facient, qui quanta ſit eloquẽtiæ magnitudo & amplitudo plane nouerint: de qua nos tres & viginti libros in lucem dedimus: quos ſæpe in hoc opere citauimus: & tamen quæ de ea dici poſſunt, non omnia diximus. Habes ergo, amice Lector, de Rhetorica diuina in Dei gloriam editum opus; in quem tum quoque finem his noſtris lucubrationibus vtere: Ex quibus plus vtilitatis capies legendo, quã ſi nondum lectas, tibi reijciendas eſſe putabis: & minus offendes, ſi potius aliquid diſcendi, quam ſi aliqua parte improbandi cauſſa eas leges.

INDEX

INDEX CAPITVM SINGVLORVM LIBRORVM.

Libri primi capita.

DETVR-NE aliquod genus eloquentię diuinum. c.1. pag.1

An cocionator diuinus eloquentia vti debeat.cap.2. 8

Dari eloquentiam quandam diuinam eaque vti licere, exemplis quibuſdam demonſtrarur.cap. 3 17

Quid ſit rhetorica diuina, & quomodo ab humana differat. cap.4 24

Quanta ſit artis concionandi præſtantia.cap.5 27

Quanta ſit artis concionandi difficultas.cap.6 31

Quæ in bono Concionatore deſiderentur partes.cap.7 34

Concionatorem bonum virum eſſe debere.cap.8 38

Quem ſcopum Concionator ſibi proponere debeat.cap.9 43

De Concionatoris ſpiritu, caritatiſve feruore.cap.10. 45

Quomodo ſpiritus concionatori neceſſarius acquiri, & an acquiſitus ſit cognoſçi poſſit. ca.11. pag.50

Quod nemo niſi vocatus & miſſus concionari debeat.c.12. 53

Concionatores examinandos, & probandos eſſe.cap.13. 55

Quam ſit neceſſaria in concionatore prudentia, atq; conſtantia.cap.14 57

Quales eſſe debeant qui concionem ſunt audituri.ca.15. 60

Libri ſecundi capita.

Quot & quę ſint concionum, ſiue orationum genera concionatori ſubiecta.cap.1 69

De varijs quæſtionum generibus. cap:2. 72

Qui & quot ſint eorum, quæ in concionem veniunt, ſtatus. ca. 3. 75

Quæ ſint ſtatuum partes, & qualitatis, legaliſque conſtitutionis ſpecies.cap.4 77

Quam ſit vtilis atque neceſſaria locorum communium notitia. cap.5 80

De locorum diuiſione, ac definitione.cap.6 83

De loco definitionis, deſcriptionis, etymologiæ, differétiæ, proprij, & ſynonymiæ, ca.7. 84

De loco totius & partium, cap.8. pag.87

Quid & quotuplex ſit cauſſa, & de loco cauſſæ materialis & formalis.cap.9 89

De cauſſa efficienti & finali.c.10. pag.

pag.91.
De loco effectorũ,ſubiecti,actuũ, adiacentium,vſus,&c. generationis.cap.11 93
De loco antecedentiũ,conſequentium,& adiunctorum.c.12.95
De loco ſimilium,& diſſimilium. cap.13 97
De loco comparationis minorũ, maiorum,& parium.ca.14. 98
De loco oppoſitorum,ſeu diſſentaneorum.cap.15 100
De loco translationis,ſiue transũptionis, proportionis, auctoritatis, coniugatorum, caſuum, comparatorũ, & appoſitionis. cap.16 101
De loco diuiſionis,partitionis,& enumerationis.cap.17 103
De locis inartificioſis.c.18.104.
De locis comparatarum quæſtionum.cap. 19 105
De quibuſdam locis diuino Concionatori proprijs.cap.20.107
De decem argumentorum capitibus.cap. 21 109
De locis circunſtantiarum,ca.22. pag.111

Libri tertij capita.

Quot,& quæ ſint orationis partes,& quid ſit exordium.cap.1. pag.115
De narratione,& propoſitione. cap.2 118
De contentione,ſiue confirmatione,confutationeque.c.3. 121
De epilogo,ſiue peroratione.c.4. pag.123
De diſpoſitione generis deliberatiui,ſiue ſuaſorij,cap.5 125
De locis proprijs generi deliberatiuo,& ſuaſorio.cap.6 130
De diſpoſitione concionum generis demonſtratiui, ſiue laudationis.cap.7 136
De locis generis laudatiui ante vitam.cap.8. 140
De locis generis laudatiui in vita. cap.9. 143
De ceteris locis generis laudatiui cap.10 146
De diſpoſitione concionum generis Iudicialis, ſiue accuſatorij. cap.11. 150
De genere didaſcalico, deque docendi ratione.cap.12 152
De methodo in redarguendo ſeruanda.cap.13 155
De diſpoſitione concionis in qua euangelica hiſtoria explanatur.cap.14 157
De miſto contionandi genere. cap.15. 160
De correctorio concionandi genere.cap.16 164
Admonitiones quędam ad recte corrigendum neceſſarię,deque correctione Maiorum. cap.17. pag.167
De genere concionandi conſolatorio.cap.18. 172
Cautiones quædam in conſolando obſeruandæ.cap.19 176
De varia argumentorum diſponendorum ratione.cap.20. 179

Libri

Libri quarti capita.

Quid & quotuplex ſit Amplificatio, deque argumentorum amplificandorũ ratione.c.1. 187
Varij recenſentur amplificationis loci & exemplis ex diuinis litteris ſumptis illuſtrantur.ca.2. pag.192
Afferuntur nonnullæ amplificandi formæ a figuris ſumptæ.c.3. pag.196
Quid & quotuplex ſit affectus, & quod affectus commouere liceat.ca.4 201
Admonitiones quædam cognitu neceſſariæ ad recte permouendos affectus.cap.5 205
Loci ad excitandum amoris affectum in Deum, & proximum, etiam inimicum.c.6. 211
Loci ad comprimendam peccati cupiditatem,& ad excitandum odium in peccatum.c.7. 214
Loci ad comprimendum nimium huius vitæ amorem, & ad inflammandum deſiderium alterius vitæ, & iuſtitiæ acquirendę.c.8 215
Loci ad commouendum affectum iræ in malos,& ad eundem extinguendum erga eos, qui nos contemnunt.c.9 217
Loci ad excitãdum animos ad res aduerſas perferendas, ad deteſtandumque otium,& ad commouendum timoris affectum. cap.10 219
Loci ad excitandum dolorem de commiſſo peccato,deque lacrymarum vi.c.11. 222
Loci ad commouendum luctum ob aliorum miſerias,& commiſerationis affectum erga afflictos,& pauperes.c.12. 224
Loci ad conſolandos afflictos ad patientiam amplexandam,atq; ad ſpem de diuino auxilio ęternaq; vita habendam.c.13.227
De auditorum varietate,deque eorum moribus cognoſcendis. cap.14 229
Quod doctrinæ genus,& dicendi ratio ad animos permouendos multum conferant.c.15. 232
Quantum concio cum ſpiritu facta ad animos permouẽdos valeat.cap.16 23
Vitæ integritatem & peccatorum correctionẽ ad mouendum vim habere.ca.17 245
An Cõcionator delectare debeat, & quæ ad delectandum conferant.c.18 250

Libri quinti capita.

Quid,& quotuplex ſit eloquutio, & quæ eius partes.c. 255
De eloquutionis virtutibus .ca.2. pag.258
De varijs verborum generibus ad ornandam orationem cognitu neceſſarijs.c.3 261
Quam ſit vtilis & neceſſaria figurarum notitia.c.4 263
Quid,& quotuplex ſit figura, & quid tropus.c.4 265
De Metaphora,et Metonymia.c.6 pag,267

De

De Sinecdoche, Catachreſi, & Metalepſi, c. 7. 271
De Allegoria, Ænigmate, & Parœmia. ca. 8 273
De Ironia, Antiphraſi, & Sarcaſmis. c. 9 278
De Onomatopeia, Antonomaſia, Epitheto, & Periphraſi. ca. 10. pag. 281
Quid, & quotuplex ſit ſchema, c. 11 285
De figuris, ſiue ſchematis verborum, c. 12 288
Quędam ſententiarum ſchemata, quę interrogationis vim habẽt c. 13 294
De ſchematis quibus maior aliquis animi affectus exprimitur c. 14 297
De ſchematis, quæ vim augendi, aut confirmandi habent. ca. 15 pag. 303
De ſchematis, quæ vim ſimilitudinis, aut diſſimilitudinis habẽt. c. 16 307
De ſchematis, quæ vim augendæ orationis habent. c. 17. 311
De ſchematis, quæ vim definitionis & deſcriptionis habẽt. c. 18 pag. 319
De quibuſdam figuris ad diſpoſitionem, & methodum pertinẽtibus. c. 19 323
Quid, & quotuplex ſit grammatica figura, & de metaplaſmis. c. 20 326
De figuris conſtructionis. cap. 21. pag. 328
Quæ, & quot ſint orationis vitia c. 22 331
De recto verborum, & figurarum vſu. c. 23 336
De verborum collocatione, commatis, colis, comprehẽſione, & numero. c. 24. 340
De tribus dicendi generibus vniuerſe. c. 25 345
De ſummiſſo, & humili dicendi genere. c. 26 347
De ſublimi ſiue grandi dicẽdi genere. c. 27 349
De medio ac temperato dicendi genere, deque recto trium generum vſu, c. 28. 350
De decoro, ſiue de apte dicendo quid ſit, & quomodo ſeruari debeat. c 29 351
Vniuerſa apte dicendi ratio ſummatim explicatur. c. 30 355

Libri ſexti capita.

Quanta ſit bonę pronuntiationis neceſſitas. c. 1 359
Quid & quotuplex ſit pronuntiatio, & quæ eius partes, & virtutes, c. 2 362
Quædam de recte pronuntiando præcepta. c. 3 364
Quæ ſint pronuntiationis vitia. c. 4 365
De geſtu, ſiue motu vniuerſe. c. 5. 367
De totius corporis & ſingularum partiũ motu, ac geſtu. c. 6. 367
Qua ratione actionis vitia emendanda ſint. c. 7 371
Recte agendi præcepta ad vſum accommodantur. c. 8 ibid.
De memoriæ neceſſitate. c. 9. 374

Tradun-

Traduntur obſeruationes nonnullæ ad facilius ediſcendum vtiles.c.10 376
Traduntur quædam de artificioſa memoria præcepta.c.11 378

Libri ſeptimi capita.

Quibus rebus diuina ſapientia ſiue eloquentia acquiratur. c.1. pag.381
De natura,eloquentiave naturali. c.2. 384
Ad acquirendam rhetoricam diuinam artem neceſſariam eſſe. c.3. 287
De conſuetudine,& auſculatione c.4. 390
De lectione.c.5 391
De commentatione,& diligentia. c.6.490
De ſtyli exercitatione.c.7. 404
De declamatione.c.8 407
De imitatione quid & quotuplex ſit,c.9 410
Quid,& qui ſint imitandi. ca.10. pag.413
Quomodo varia dicendi genera comparanda,& variæ orationis ideæ exprimẽdæ ſint.c.11.419
Explicantur ſeptem orationis ideæ ex Hermogenis ſententia.c.12 pag.423
De recta imitãdi ratione.13. 427
De exemplorum,& ſimilium tractatione.c.14 431
Analyſis, & explicatio orationis, qua ſcriptor Eccleſiaſtici Deũ ex creaturarum præſtantia, ac dignitate laudauit,c.15. 435
Analyſis,& explicatio primæ cõcionis Iſaiæ.c.16 436
Analyſis, & explicatio pſalmi ſexti.c.17. 451
Analyſis, & explicatio pſalmi decimitertij,c.18. 454
Analyſis,& expoſitio pſalmi vigeſimiquarti.c.19 455
Analyſis, & expoſitio pſalmi trigeſimi quarti.c.20 460
Analyſis,& explicatio pſalmi nonageſimiprimi.c.21 463
Docetur qua ratione aliqua concio, ſiue oratio conficienda ſit. c.22 467
Proponuntur nonnullæ quæſtiones cum ſuis locis exercitationis cauſſa tractandæ,c.23.474
De quibuſdã præceptis quib. tota fere recte habendæ concionis ratio continetur.c.23. 476

INDEX RERVM NOTABILIVM.

ABominatio. 301
Actio quid & quotuplex. p. 362
Actionis virtutes quę ſint. 363
Actionis bonæ præcepta. 364
Actionis vitia. 365
Actionis neceſſitas, & vtilitas quāta ſit. 359
Actionis vitia quomodo corrigenda 366
Actionis artificioſæ cauſſæ quæ & quot. 362
Actus quid ſit. 94
Acyrologia. 332
Acyron. 332
Adagium quid ſit. 277
Adagij vſus. ibid.
Adhortatio. 300
Adiuncta quæ. 96
Adiunctio. 293
Adiuratio. 300
Admiratio. 298
Admonitio. 302
Admonitiones in docendo populo ſeruandæ. 153
Adynaton. 311
Aenigma. 333
Aenigma quid ſit. 276
Aenigmatis vſus. 277
Aeſchrologia. 336
Aetiologia. 306
Affectus quot & qui ſint. 202
Affectuum diuiſio. 203
Affectus ſunt indifferentes. 202
Affectuum cōmotio neceſſaria. 204
Affectuum cognitio neceſſaria concionatori. 201
Affectus mouere quam ſit neceſſarium. 232
Affectus in quibus orationis partibus mouendi. 209. & 210
Affectus qua ratione mouendi. 205 & 206
Affectus qui commouere vult, quid facere debeat. 207. & 208
Affectus quatenus commouendi. p. 124. & 209
Affectus irę quomodo mouendus, aut reprimendus. 217
Affectus timoris quomodo mouendus. 220
Affectus erga alios quomodo mouendus. 224
Affectus in peccatum quomodo mouendus. 214
Affectus in pauperes quibus locis excitandus. 225
Afflicti quomodo conſolandi, 227. & 475
Agenda quæ. 126
Aggratulatio. 302
Agnominatio. 293
Allegoria quid ſit. 273
Allegoria quotuplex. 275
Allegoriæ vſus. 275. et 276
Allegoriarum genera tria. 274
Amor ſui damnandus. 214

Amor

Amor erga Deum quibus locis mouendus. 211
Amor in proximum quibus locis excitandus. 212
Amoris affectus in inimicos. 213
Amphibolia. 333
Amplificatio quid. 188
Amplificatio quotuplex. 189
Amplificatio, & argumentatio quodo differant. 188
Amplificatio quando ſit neceſſaria. ibid.
Amplificatio a ſimilium frequentatione. 195
Amplificatio a cauſſis. 193
Amplificatio ab effectis. 194
Amplificatio quam ſit neceſſaria. 188
Amplificatio ab adiunctis. 194
Amplificatio a definitione. 192
Amplificatio a deſcriptione. 197
Amplificatio a diuiſione. 192
Amplificatio a ratiocinatione. 197
Amplificatio ab aſſeueratione. 201.
Amplificatio a nominis correctione, 200
Amplificatio a partione. 193
Amplificatio ab apologo. 196
Amplificatio ad hyperbole. 290
Amplificatio a comparatione. 196
Amplificatio per fictionem. 199
Amplificatio a repugnantium conglobatione. 195
Amplificatio a congerie. 201
Amplificatio ab oppoſitorum conflictione. 194
Amplificatio ab exemplorum frequẽtatione. 195
Amplificatio ab enumeratione. 193
Amplificatio a ſermocinatione. 200
Amplificatio ab incremento. 196
Amplificatio a ſpeciei, collatione cũ genere. 201
Amplificationis loci. 192
Amplificationis materia. 189
Anacoluthon. 331
Anacœnoſis. 297
Anadiploſis. 327
Anagogia quid ſit. 275
Anallage. 329
Ananggon. 307
Anaſceue. 305
Anaſtaſis. 290
Anaſtrophe. 330
Angelorum cuſtodia. 465
Animæ pabulũ legis meditatio. 35.
Animi partes quot, & quæ. 201
Annibalis dictum. 40
Anœconomiton. 333
Antanaclaſis. 290
Antapodoſis. 325
Antecedens, & conſequens, quid, & quotuplex. 95
Antimetabole. 310
Antipophora. 303
Antiphraſis quid ſit. 278
Antiſagoge. 304
Antitheſis. 309. & 328
Antonomaſia quid ſit. 281
Antonomaſia vnde peti poſſit. 282
Antropopathia. 322
Aphæreſis. 327
Apocope. 328
Apodoſis. 305
Apophaſis. 296
Apophthegma quid ſit. 406
Apologus. 309
Apoſiopeſis. 299
Apoſtrophe. ibid.

Apte dicere quid ſit. 352
Archæologia. 335
Archæſmos. ibid.
Argumentatio quid. 179
Argumentationis ſpecies quæ. ibid.
Argumentum quid. ibid.
Argumentũ, quo aliquid probamus quale eſſe debeat. 84
Argumenta quomodo ſint ſoluenda. 155.& 156
Argumenta ſiue loci quomodo tractandi ſint. 470
Argumentorum ratio triplex. 401
Arithmon. 333
Ars quid. 387
Artis vtilitates. 387.& 388
Artis præcepta quam vim habeãt. 389
Artis rhetoricæ tres partes. 391
Ars ad eloquentiam acquirendam neceſſaria. 387
Articulus. 293
Aſchematiſton. 334
Aſiatiſmus. 335
Aſtiſmus quid ſit. 280
Aſyndeton. 292
Atacton. 334
Attentio quomodo captetur. 116
Attice loqui quid. 22
Atticum dicendi genus quale. 348
Auctores profani cur legendi ſint. 396
Auctores profani qui legendi. 398
Auctoritas quæ ſit. 102
Auditorum varietas cognoſcenda a concionatoribus. 229
Auguſtini eloquentia. 12
Auſcultatio qualis debeat eſſe. 391
Auxeſis. 314

B

Barbaralexis. 332
Barbariſmus quid. 327.332
Baſilij eloquentia. 12
Beneuolentia vnde captetur. 116
Bona externa quæ. 146
Boni partes quæ. 131
Brachilogia. 318

C

Cacophaton. 336
Cacophonia. 333
Cacoſyntheton. ibid.
Cacozelia. 336
Calamitatẽs quas utilitates afferãt. 478.
Caſtigatio. 302
Caſus qui dicantur. 102
Catachreſis quid ſit. 272
Catachreſis vſus. ibid.
Catalogus. 323
Cauſſa quid, & quotuplex. 89
Cauſſa efficiens, & quotuplex. 91
Cauſſarum genera quæ ſint. 116
Cauſſarum generã quæ, et quot. 70
Cauſſarum quot ſint genera. 89
Characteriſmus. 320
Charientiſmus quid ſit. 280
Chriſtianam religionem qui defenderint. 150
Chriſtus qua ratione ſoluere ſolitus fuerit aduerſariorum argumenta. 156
Chriſtus quomodo docebat. 17
Chriſti eloquentia demonſtrata. 17
Chroma. 307
Chronographia. 323
Chryſoſtomus cur ſic appellatus. 11
Chryſoſtomi eloquentia quanta. 12
Chryſoſ. in corrigendo libertas. 168
Cicero tardiuſcule pnunciabat. 478

Circunſtantiæ quid ſit. 111
Circunſtantiæ quot & quæ. ibid.
Clauſula. 325
Cleuaſmos quid ſit. 279
Climax. 292
Coacervatio. 316
Cœli pr. ſtantia. 439
Collectio argumentandi forma. 183
Colon quid ſit, & eius uſus. 342
Concinnitas quid ſit. 341
Comma quid ſit. 342
Commemoratio. 305
Commentatio quid ſit. 400
Commentatio concionatori neceſſaria. ead.
Comminatio. 301
Commotio quid ſit. 203
Comparatio. 317
Complexio argumentandi modus. 181
Compoſitio quid ſit. 341
Concionandi ars difficilis. 31
Concionandi artis dignitas. 28
Concionandi forma improbata. 468
Concionandi forma quæ commodior. 161
Concionãdi genus miſtum quodnam ſit. 160
Concionandi genus correctorium explicatum. 164
Concionandi genera comparata. pag. 161
Concionandi methodus triplex. pag. eadem.
Concionandi neceſſitas quanta. pag. 27
Concionandi officii præſtantia. pag. 28
Concionandi ratio quæ vtilis. pag. 163
Concionandi variæ formæ. 70
Concionator an debeat deſiderare vt ab auditoribus laudetur. 59
Concionator an delectare debeat. 250
Concionator an eloquentia vti debeat. 8
Concionator cur debeat eſſe humilis. 52
Concionator cur ex diuina ſcriptura conciones conficere debeat. 234
Concionator debet eſſe doctus. 34
Concionator debet eſſe vir bonus. 38
Concionator Dei nuntius et legatus eſt. 29
Concionator locos perorandi paratos habere debet. 125
Concionator mores auditorum cognitos habeat. 129
Concionator non debet eſſe ſolicitus de frequenti concione. 59
Concionator probari & examinari debet. 55
Concionator qualis eligendus. 55
Concionator qualis eſſe debeat. 239
Concionator qua ratione corrigere debeat. 165
Concionator qui auſcultandus. 66
Concionator quibus in rebus prudentia vti debeat. 57
Concionator, quibus rebus debeat eſſe inſtructus, vt moueat. 232
Concionator quid in auditoribus notare debeat. 353
Concionator quomodo ſpiritum acquirere poſſit. 50
Concionator quos auctores legere debeat. 36
Concionator vocari debet. 53

Con-

Concionatoris boni conditiones quæ. 34
Concionatoris boni deſcriptio quædam. 52
Concionatoris boni ſigna, & effectus. 53
Concionatoris conſtantia, & libertas in reprehendendo. 58
Concionatoris doctrina quanta. 37
Concionatoris eloquentia qualis eße debeat. 13
Cõcionatoris epitheta. 29.236.248
Concionatoris finis qui. 39.43
Concionatoris ignorantia damnata. 35
Concionatoris ignorantia, quæ mala afferat. 38
Concionatoris impuritas damnata. 39
Concionatoris mala uita, quæ incommoda afferat. 41
Concionatoris mali deſcriptio. 248
Concionatoris ſpiritus exemplis demonſtratus. 48
Concionatoris ſpiritus qualis eße debeat. 238
Concionatoris ſpiritus quibus rebus corrumpatur. 243
Concionatoris ſpiritus quomodo appelletur, & quid ſit. 45
Concionatori cur neceßaria eloquentia. 22
Concionatori cur neceßarius ſpiritus. 46
Concionatori eloquentia humana neceſſaria. 13
Concionatori eloquentiæ vſus non eſt interdicendus. 10
Concionatori neceſſaria obedientia, & oratio. 52
Concionatori neceſſaria prudentia, & quanta. 57
Concionatori neceßarius ſpũs. 237
Concionatori quæ perſonæ laudandæ 138.& .140
Concionatori quæ virtutes neceſſariæ. 477
Concionatori quæ vitia ſint fugienda. 478
Concionatori vita bona neceſſaria. 245
Concionatori una certa materia ſumenda. 71
Concionatorem quæ eloquentia non deceat. 12
In Concionatore quæ deſiderẽtur. 31
Concionatores non uocati reprehenſi. 53.54
Concionatores qui facilius moueant. 209
Concio qualis eſſe debet. 57
Concio qua ratione audienda. 60
Concionis audiendæ finis. 61
Concionis auditæ utilitates quæ. 62
Concionis male auditæ effectus et dãna. 61
Concionis materia. 30
Concionem audire eſt cum Deo loqui. 60
Concionẽ audituri quales eſſe debeant. 60
Concionem qui imparatus audit Deũ tentare uidetur. 60
Concionum genera quæ & quot. 70
Conciones ex qua doctrina conficiendæ. 234
Concluſio. 326
Conduplicatio. 290
Confirmatio. 325
Confutatio quid ſit. 121

Confutatio qualis eſſe debeat.
Confutatio quomodo facienda. 122
Conie‌cturalis ſtatus loci qui. 151
Coniugata quæ ſint. 102
Conſolatio. 302
Conſolatio qua cautela ſit adhibenda. 176
Conſolationis loci. 227.& 475
Conſolatoriј generis loci. 173
Conſolatorium cōcionandi genus explicatum. 172
Conſtantia concionatori neceſſaria. 58.& 477
Conſuetudo eloquentiæ ſtudioſo neceſſaria. 390
Cōtētio et confirmatio quid ſit. 121
Continuatio. 317
Contradicentia quæ ſint. 100
Contraria quæ ſint. 100
Corporis partes in agendo quomodo mouendæ. 368
Corrigendi forma quæ. 250
Corrigēdi forma qualis. 165. et 167
Correctorij generis loci. 164.& 165
Corrigenda quæ ſint. 166
Credenda quæ. 125
Cypriani eloquentia. 12

D

D*Auidis eloquentia.* 22
Declamatio quid, & quomodo facienda. 407
Declamandi vſus quando initium habuerit, et quouſque durauerit. 408
Decorum quid ſit. 352.345
Decori ſeruandi ratio breuiter explicata. 355
Definitio quid. 84.& 319
Definitio quotuplex. 85
Definitionis variæ formæ. 319
Definitione a argumentandi ratio. 85
Dehortatio. 300
Delectabilis boni partes quæ. 131
Delectare quæ poſſint. 252
Delectatio an adhibenda in concione, 250
Delectatio quomodo adhibenda a cōcionatore. 251
Delectatio in dicendo non damnanda. 14
Deliberatio quam formam dicendi requirat. 129
Deliberatiua oratio quomodo diſponenda. 126
Deliberatiui generis capita. 125
Deliberatiui generis exempla. 129
Deliberatiui generis loci proprij. 127.& 128.& 130.
Demonſtratiui generis materia, & diſpoſitio. 136
Demonſtratiui generis exempla varia. 148.& 149
Deprecatio. 300
Depulſio quid ſit. 77
Deſcriptio. 319
Deſcriptione a argumentandi exempla. 86
Deus cur plene laudari non poſſit. 444
Deus dat hominibus eloquētiam. 6
Deus laudatus ex creaturis. 436
Deus omnia cognoſcit. 437
Deus quomodo cognoſci, et laudari poſſit. 444
Deus ſuos miniſtros eligit. 54
Deus ſuos miniſtros bonos facit. 39
Deum eſſe quibus argumentis probari poſſit. 474

Diacope. 289.et 331
Dialogiſmus. 318
Dialyſis. 318.330
Diaphoreſis. 310
Diaporeſis. 297
Diaſirmus quid ſit. 288
Diaſtole. 328
Diatypoſis. 322
Dicendi genera quot. 256
Dicæologia. 306
Diereſis. 328
Diminutio. 315
Dilemma quid ſit. 181.306
Diligẽtia quid ſit,& quã vtilis. 403
Diſpoſitio quid & quotuplex. 115
Diuiſio quid ſit. 103
Diuiſio quomodo fiat. ibid.
Docilitas quomodo captetur. 116
Docto.ꝑ populorũ meritis dãtur. 64
Doctorum dignitas. 29
Doctrina diuina qualis. 233
Doctrina q̃ valeat ad mouẽdũ. 233
Dolor quid ſit. 222
Duplicatio figura. 289

E

Eccleſiæ præcipua perſecutio. 42
Eccleſiæ qui magis noceãt. 42
Eclipſis. 292.329.& 333
Effectus quid,& quotuplex. 93
Eloquens quis habendus. 13
Eloquentia diuina an detur. 1
Eloquentia Concionatori neceſſaria. 9.& 236
Eloquentia, & elegantia quomodo differant. 23
Eloquentia munus diuinum. 5
Eloquentia naturalis nõ ſufficit. 385
Eloquentia prius in ſcriptura quam in alijs ſcriptoribus. 4
Eloquentia quæ damnanda. 12
Eloquẽtia quib.reb.acquiratur. 384
Eloquentia quorſum inuenta. 13
Eloquentia rerum pluris facienda, quam verborum. 7
Eloquentia ſine arte perfecta eſſe non poteſt. 387
Eloquentia ſine conſuetudine non cõparatur. 390
Eloquẽtia humana nõ ſpernẽda. 13
Eloquentia vera quæ. 13
Eloquentia verborum ſine ſententiis ſtultitia. 4
Eloquentiæ cauſſæ quæ. 74
Eloquentiæ genus diuinũ dari. 5.17
Eloquentiæ partes duæ. 4
Eloquutio quid ſit. 256
Eloquutionis diuiſio. 256
Eloquutionis virtutes. 256. et 258 363
Emphaſis. 314
Enthymema quid ſit. 180.& 306
Enumeratio quid ſit. 102.& 123
Epanalepſis. 289
Epanodos. 318.& 324
Epanorthoſis. 311
Epentheſis. 327
Epenthymema quid ſit. 185
Epexegeſis. 312
Epibole. 289
Epicertomeſis quid ſit. 279
Epicherecakia. 302
Epicherema quid. 181.306
Epilogus, vide Peroratio.
Epilogus quomodo faciendus. 473
Epimone. 313
Epiphonema. 298
Epiſtrophe. 290
Epitheton quid ſit. 282
Epitheta vnde ſumantur. 282
Epithetorum diſtinctio. 282

Epithetorum vſus. 283
Epitrocaſmus. 297. & 316
Ellipſis. 332
Erotema. 296
Ethlipſis. 328
Ethopœia. 322
Etymologia ab argumentandi exempla. 80
Euangelicæ expoſitionis diſpoſitio. 156
Euchariſtia. 302
Euocatio. 330
Exclamatio. 297
Execratio. 301
Exegeſis. 312
Exemplum quid, & quotuplex. 180 & 431
Exemplorū tractandorū ratio. 432
Exempla quomodo confutanda. 433
Exercitationis rationes variæ. 406
Exergaſia. 312
Exordium quid. 115. & 325
Exordij officia quæ. 116
Exordij partes variæ. 473
Exordia qualia eſſe debeāt. 116. & 117
Exordia quæ probentur. 472
Exordia vnde ſumantur. ibid.
Exordiorum vitia quæ. 116
Expeditio. 306
Expeditio argumentationis forma. 182
Expolitio quibus figuris fiat. 470
Exprobratio. 302
Exultatio. ibid.
Exuthenismus quid ſit. 279
Ezechielis eloquentia. 21

F

Facta quomodo laudanda. 138
Fallaciæ, quibus homines decipiuntur. 128
Felicitas hominis in quo ſita. 62
Figura quid. 265
Figura grammatica quid & quotuplex. 326
Figuræ diuiſio. 266
Figuræ & ornamenta obſeruata in primo capite Iſaiæ. 451
Figurarum notitia vtilis, & neceſſaria. 263
Finis quid, & quotuplex. 92
Firmamentum quid ſit. 77
Forma quid ſit, & quotuplex. 90
Formæ effectus qui. 93
Frequentatio. 316

G

Genealogia. 323
Generatio quid ſit. 94
Genus concionandi correctoriū. 164
Generis doctrinalis ſeu didaſcalici diſpoſitio. 152
Generis ſublimis forma, et vſus. 349
Generis ſūmiſſi forma & vſus. 347
Generis tēperati forma, et vſus. 350
Genere in deliberatiuo quæ ſpectentur. 129
Genera dicendi quot, & vnde orta. 345. & 346
Genera tria dicendi qua ratione formanda ſint. 419
Genera dicendi quibus rebus conſtēt. ibidem.
Geſtus quid ſit. 367
Glaciei natura, & effectus. 442
Gloria vana non facile vitatur. 43
Gnome. 318
Gradatio. 313
Gratiæ gratis datæ quæ. 144
Gregorii Nazianzeni eloquētia. 12
Gregorij Papæ lectio vtilis. 398

Hære-

H

HÆreticorum libri quomodo legendi. 398
Hieronymi eloquentia. 12
Homo ad religionem propenſus. 472
Hominis iuſti variæ appellationes. 238
Hominis miſera conditio. 216
Homines quibus fallacijs decipiantur. 128
Homines quibus locis & quomodo ſint laudandi. 142. 137 et 140
Hominum ſtatus cognoſcendus a concionatore. 231
Homœologia. 335
Homœon. 309
Homonymia. 332
Homæoptoton. 293
Homæoteleuton. 293
Honeſtum quid ſit. 238
Honeſti partes quæ. 131
Humanarum actionum cauſſæ ſiue principia. 135
Humilitas a concionatore quomodo acquirenda. 393
Humilitas neceſſaria concionatori. pag. 52
Humilitas ſcripturæ ſtudioſo neceſſaria. 392
Hypallage. 330
Hyperbole. 314
Hyperthesis. 315. et 332
Hypophora. 295
Hypotyposis. 320
Hypozeugma. 329
Hyſterologia. 330
Hyſteronproteron. 330

I

ICon. 308
Ideæ perſpicuitatis. 423. Magnitudinis. 423. Pulchritudinis, 424 Celeritatis. 424. Orationis affecta. 425. Veritatis. 426. Decori. 427
Ideę Hermogenis quæ, et quot ſint. 423
Idiotiſmus. 335
Idolopœia. 32
Imaginum adoratio quibus rationibus probari poſſit. 467
Imitabile triplex. 412
Imitanda quæ ſint. 413
Imitandi qui. 418. et 419
Imitandi ratio explicata. 427
Imitari bene quis poſſit. 431
Imitatio bona quæ cenſeatur. 411
Imitatio, quid, qualis, et quotuplex. 410
Imitatio quomodo facienda. 430
Imprecatio. 301
Inciſum quid, et qui eius vſus. 342
Incrementum. 313
Increpatio. 301
Indignatio quid ſit. 215. et 301
Inductio quid, et quomodo fiat. 180
Inimici cur amandi. 213
Iridis laus et preſtantia. 441
Inſinuatio quid. 116
Intellectus quibus rebus moueatur. 130
Intentio quid ſit. 77
Interrogatio quotuplex. 294
Inuentionis doctrina quam ſit vtilis. 81
Inuitatio. 300
Ioannis euangeliſtæ eloquentia. 20
Iobi eloquentia. 28
Ironia quid ſit et eiuſmodi. 278
Iræ affectus quomodo mouēdus, aut reprimendus. 217
Ironiæ vſus. 278
Iſaias quis fuerit. 447

Iſaiæ eloquentia. 21
Iſocolon. 293
Iſon. 309
Iudicatio quid ſit. 77
Iudicialis generis cognitio concionatori neceſſaria. 150
Iudicialis orationis diſpoſitio. 150 & 151.
Iulianus interdixit Chriſtianis litterarum ſtudia. 15
Iudicialis orationis exempla. 152
Iuramentum. 300
Iuſiurandum quid ſit. 104
Iuſtitiæ partes quæ. 145

L

Laconiſmus. 335
Lacrymarum vis & effectus. 223.
Lactantij Firmiani eloquentia. 11
Latinitas quid. 258
Laudare ſe ipſum aliquã licet. 145
Laudari quæ ſolent. 136
Lectio concionatori neceßaria, & quæ, & quos, & quomodo legere debeat. 393
Lectionis vſus triplex. 394
Leptologia. 335
Libertas concionatoris in reprehendendo. 58
Linguæ moderatio laudata. 477
Litote. 315
Loci ad conſolandum accommodati. 173. 475
Loci ad laudandas perſonas qui. 137. & 140
Loci ad patienter ferendas res aduerſas. 219
Loci amplificationis. 192
Loci argumentandi ad decem categorias reuocati. 109
Loci inartificioſi qui. 84. & 104
Loci communes qua ratione ſint tractandi. 190
Loci comparatarũ quæſtionũ. 106
Loci comparatiui & poſitiui generis. 102
Loci generis deliberatiui. 130
Loci proprij oratori Chriſtiano. 107
Loci qui proprij eſſe cenſeantur. 113
Loci, ſiue probationes quales eſſe debeant. 121
Loci, ſiue probationes quomodo collocandæ. 122
Loci Theologici qui, & quot. 107
Locorum cognitio quam ſit neceßaria. 81
Locorum communium neceſſaria cognitio. 80
Locorum diuiſio, & enumeratio. 83
Locorum genera quot. 83
Locus quid. 84
Locus adiunctorum. 96
Locus antecedentium, & conſequentium. 95
Locus appoſitionis. 102
Locus auctoritatis. 102
Locus caſuum. 102
Locus diſparium. 99
Locus effectorum. 93
Locus cauſſarum. 89
Locus communis quid. 80. & 405
Locus comparationis 98
Locus coniugatorum. 102
Locus conuertibilium. 86
Locus differentiæ. 86
Locus diuiſionis. 103
Locus officij. 86
Locus appoſitorum. 100
Locus proportionis. 101
Locus proprij. 86
Locus repugnantum. 101
Locus ſubiecti. 94

Loci

Loci ſubſtantiarum. 111
Locus ſynonymiæ. 86
Locus totius. 87
Locus tranſlationis. 101
D. Lucæ eloquentia. 21
Lunæ laus & vſus. 440

M

MAcrologia. 334
Magiſtratus reprehendendus eſt. 169
Magiſtratus qua ratione corrigendi. 168
Maiora quæ ſint. 98
Manſueti qui dicantur. 457
Manſuetudo quid ſit. 218
Maria virgo ſine peccato concepta. 141.
Maris laus. 443
Materia quid & quotuplex. 89
Materiæ effectus qui. 93
Membrũ quid ſit & eius vſus. 342
Memoria quid, & quotuplex.
Memoria artificioſa quibus rebus conſtet. 378
Memoriæ artificioſæ imagines quales. 379
Memorię artificioſæ loca qualia. 378
Memoriæ excolendæ præcepta. 376
Memorię vtilitas, et neceſſitas. 374
Menſis vnde dictus. 440
Meoſis. 333
Mercurius eloquentiæ Deus. 2
Meriſmos. 317
Meſozeugma. 329
Metabole. 291
Metalepſis quid ſit. 273
Metalepſis vſus. 273
Metaphora quid ſit, & vnde ſumatur. 267
Metaphora cur placeat. 269
Metaphora qualis eſſe debeat. 268
Metaphora, & ſimilitudo quid differant. 268
Metaphoræ diuiſio. 268
Metaphoræ vſus qualis. 269
Metaplaſmus quid. 327
Metaplaſmi ſpecies quæ. 327
Metaſtaſis. 306
Metatheſis. 292. & 328
Methodus, qua de re aliqua diſputari poteſt. 152
Metonymia, qd, & q eius modi. 270
Metonymiæ vſus qualis. 271
Mimeſis quid ſit. 280
Miniſtros Dei, qui contemnunt quã tum errent. 63
Minora quę ſint. 98
Miſericordię affectus quomodo excitandus. 224. & 225
Mores boni valent ad mouẽdũ. 248
Mores boni quam ſint neceſſarij in eccleſia. 40
Mores conferũt ad perſuadẽdũ. 478
Moſes an fuerit eloquens. 3
Moſis eloquentia quanta. 5
Mot' ſit peccatorũ correctione. 249
Mulieris pudicæ exemplum. 43
Mulierum ornatus a quibus vituperatus. 14
Mundus cur non amandus. 215
Mundi fallacia. 216
Miſteriſmus quid ſit. 279

N

NAbal quid ſignificet. 86
Narratio qd ſit. 118. et 325
Narratio quomodo facienda. 119.
Narrationis partes. 118
Narrationis virtutes. 119
Narrationum genera quot. 118

Natura quæ in oratore deſideretur. 384
Neceſſarium quid ſit. 138
Niuis laus,atque præſtantia. 442
Noema. 316
Numerus orationis vnde fluat. 344

O

Obedientia concionatori neceſſaria. 52
Obiurgatio. 301
Obſecratio. 300
Obteſtatio. 300
Odium in peccatum quomodo mouẽdum. 214
Ominatio. 301
Omœoſis. 307
Ongos. 333
Onomatopœia quid ſit. 281
Onomatopœiæ vſus. 281
Oppoſitio argumentãdi forma. 183
Optatio. 199
Oppoſitorum genera. 100
Orandum pro omnibus. 459
Oratio quid. 456
Oratio concionatori neceſſaria. 52
Oratio cũ præparatione facienda. 60
Oratio debet eſſe opportuna. 477
Oratio in laudem Dei ex creaturis ſumpta. 436
Oratio quæ probanda. 15
Oratio quibus rebus fiat ſplendida. 470
Orationis menſura auditor. 478
Orationis partes quot. 115
Orationis vitia quæ. 332
Orationis vſus quotuplex. 74
Orationis breuitas magis probata quam longitudo. 478
Orationes variæ generis demonſtratiui. 148.et 149
Orator debet eſſe uir bonus. 40
Orator diuinus quid ſit. 26
Orator qua ratione moueat. 47
Oratoris diuini officium. 26
Oratoris diuini finis. 26
Oratoris futuri natura qualis eſſe debeat. 384
Oratoris inſtrumentum. 74
Oratoris munera, quæ, et quomodo exerceantur. 232
Oratoris perfecti proprietas. 419
Oratoris proprium. 188
Oratori Chriſtiano omnia genera cauſſarum ſubiecta. 72
Oratori Chriſtiano propriũ quid ſit. 74
Oratorum antiquorum actio qualis. 370. *Vide etiam,Concionator.*
Ornatus duplex. 417
Otium quibus rationibus damnari poſſit. 475
Otij deteſtatio. 220
Oximoron. 311

P

Pamphologia. 334
Parabole. 308
Paradiaſtole. 310
Paradigma. 308
Paradoxon. 311
Paragoge. 327
Paraleipſis. 304
Paranomaſia. 291
Paraſceue. 324
Parecbaſis. 324
Parelcon. 329
Paria quæ ſint. 98
Pariſon. 309
Parœmia,vide Adagium.
Paromologia. 304
Parrheſia. 305

Par-

Partitio. 325
Partitio quid ſit. 103.et 325
Pathopœia. 321
Patientia neceſſaria. 227
Patientia qua ratione ſuaderi poſſit. 478
Patientia quibus locis ſuaderi poſſit 219
Patres antiqui cur legendi. 396
Patres, qui damnant eloquentiā quo modo intelligendi. 15
Paulus an fuerit eloquens. 2
Paulus eloquens Chryſoſtomo. 4.8
Paulus Mercurius uocatus. 11
Paulus quibuſdam patribus non eloquens viſus eſt. 2
Pauli eloquentia qualis & quāta. 8
Peccati dolor quomodo excitandus. 222
Peccati effectus qui. 94.et 214
Peccatoris hominis deſcriptio. 219
Peccatorum correctio confert ad mouendum. 249
Percunctatio. 296
Peripateticorum opinio circa affectus. 202
Periergia. 334
Periodus quid ſit. 343
Periodi vſus. 344
Periphraſis quid ſit. 283
Periphraſis quot modis fiat. 283
Periphraſis vſus. 283
Periſologia. 334
Permiſſio. 304
Perorādi loci debēt eſſe parati. 125
Peroratio quid ſit. 123
Peroratio quomodo facienda. 123
Perſpicuitas orationis quomodo retinenda. 259
Perturbatio quid. 202
Peuſis. 296
Philoſophi inutiles qui. 42
Phraſes nonnullæ explicatæ. 467
Pikilogia. 335
Pleonaſmus. 315.329.& 333
Ploce. 292
Plotini dictum. 50
Polyptoton. 291
Polyſchemaptiſton. 334
Polyſyndeton. 292
Pœnitentia quid ſit. 222
Pœnitentię dolor quātus eſſe debeat. 223
Pœnitentię effectus. 222
Pontifex non poteſt errare in fide & moribus. 108
Populus qua ratione docendus ſit. 153
Pręciſio. 324
Pręiudicia quæ dicantur. 104
Pragmatographia. 320
Precatio bona. 301
Principes & magiſtratus qua ratione corrigendi. 168
Principes, & magiſtratus reprehendendos eſſe docetur. 169
Priuantia quę ſint. 100
Procataſceue. 304
Prolepſis. 303.326.& 329
Pronunciādi optima ratio quę. 371
Pronūtiatio quid, et quotuplex. 362
Pronuntiatio moderata quas vtilitates afferat. 478
Pronuntiatio ſententiarum. 373
Pronuntiatio ſingularum partium orationis quomodo facienda. 373
Pronūtiationis artificioſę cauſę quę et quot. 362
Pronuntiationis bonę pręcepta. 364
Pronuntiationis virtutes quę ſint. pag.

pag.363

Pronuntionis vitia. 365

Pronuntiationis vitia quomodo corrigenda. 366

Proportio quid ſit. 101

Propoſitio quid ſit. 119

Propoſitio quotuplex. 120

Propoſitio qualis eſſe debeat. 120

Propoſitionis virtutes quę. 120

Proſapodoſis. 307

Proſopographia. 320

Proſopopœia. 321

Protaſis. 324.et 329

Protozeugma. 329

Prouidentia de qua ratione diſputari poſſit. 478

Prudentia concionatori neceſſaria, et quibus in rebus. 52

Pruinæ laus. 442

Pſalmi decimitertij analyſis, et explicatio. 354

Pſalmi nonageſimiprimi artificioſa explicatio. 466

Pſalmi ſexti analyſis et explicatio. 351

Pſalmi trigeſimiquarti analyſis, et explicatio. 360

Pſalmi vigeſimiquarti analyſis, et explicatio. 355

Puritas hebraici ſermonis. 21

Pyſma. 296

Q

Querela. 302

Quæſtio quid ſit. 72

Quæſtiones de Deo quæ fieri nõ poſſint. 73

Quæſtionum cognitio cur neceſſaria. 74

Quæſtionũ genera quot, et quæ. 153

Quæſtionum quattuor genera. 73. et 79.

Quęſtionum uaria genera. 72.et 73

Qualitas aſſumptiua quæ. 78

Qualitas abſoluta quæ. 77

Qualitatis aſſumptiuæ partes. 78

R

Ratio quid ſit. 77

Ratiocinatio. 317

Recapitulatio. 326

Redargutio quomodo facienda. 155. et 156

Redargutiui generis diſpoſitio. 155

Reduplicatio. 289

Regulæ ad ſacram ſcripturam intelligendam neceſſariæ. 394

Reiectio. 326

Relatiua quæ ſint. 100

Religionem Chriſtianam qui defenderint. 11

Repugnantia quæ ſint. 101

Res quomodo laudandæ. 139

Rhetorica diuina quid. 25

Rhetoricæ diuinæ cauſſæ. 25.26

Rhetorum tres gradus. 390

Romana eccleſia eccleſiarum magiſtra. 36

Romana eccleſia ueritatis regula. 36

Romanæ eccleſię laus. 213

Romani pontifices laudes. 137

S

Sacerdotis pectus quale eſſe debeat. 37

Sacra ſcriptura quid, et eius prærogatiuæ. 394

Sacrificium Deo gratum quodnam ſit 51

Sapientia in quibus non ſit. 38

Sapientia prima quæ. 4

Sapiẽtia quib. reb. acquiratur. 382

Sar-

Sarcaſmus quid ſit. 279
Schema quid & quotuplex. 285
Schemata verborum in quo conſiſtant. 288
Schematum cognitio vtilis. 285
Schematum diuiſio. 286. & 287. & 294
Schematum verborum diuiſio. 288
Schematum vſus. 287
Schesis. 305
Scientia humana quanta ſit. 445
Scriptores canonici an eloquenter ſcripſerint. 3
Scriptores diuini eloquentes. 3
Scriptores diuini non eloquentia pares. 7
Scriptores ſacri qui elegāter ſcripſerint. 4
Scriptorum diuinorum duplex eloquentia. 6
Scriptura cur uerborum ſimplicitate utatur. 7
Scriptura diuina an contineat eloquentiam. 2
Scriptura diuina eloquens. 4
Scriptura diuina figuris, & ornamentis rethoricis copioſa. 5
Scriptura diuina qualis. 4. & 233
Scriptura quo ſpiritu interpretanda. 49
Scripturæ diuinæ lectio neceſſaria. 394
Scripturę eloquentia quanta et qualis. 6
Scripturæ explicandæ ratio. 154. & 158.
Scripturæ intelligentia a quo accipienda. 36
Scripturæ ſchemata a quibus obſeruata. 3
Scripturæ ſimplicitas in loquendo a quibus defenſa. 3.7
Scripturæ ſenſus miſtici quot & qui. 274
Scripturæ ſimplicitas in uerbis non damnanda. 7
Scripturas qui ignorat, Chriſtum ignorat. 35
Signum quotuplex. 97
Similia quæ dicantur. 97
Similitudo quid ſit. 307. & 434
Similitudinis tractandæ rationes uariæ. 434
Sociorum utilitas in ſtudendo. 399
Sol cur ſic dictus, & eius præſtantia. 439
Solœciſmus quid. 327. & 332
Somatopœia. 321
Sophiſticum dicēdi genus quod. 23
Soreſmos. 334
Sorites quid ſit.
Spiritus cōcionatoris quibus rebus corrumpatur. 243
Spiritus concionatoris quid ſit. 45
Spiritus concionatoris quantus eſſe debeat. 50
Spiritus concionatoris qualis eſſe debeat. 238
Spiritus concionatoris exemplis demonſtratus. 48
Spiritus an ſit adeptus quomodo cognoſcendum. 53
Spiritus quid ſit & eius uſus. 344
Spiritus diuinus bonum format concionatorem. 46.47
Spiritus diuini effectus. 45.46
Spiritus, & ſpirare quid ſignificet. 239
Spiritus neceſſarius concionatori. 46. & 237.

Spiritus

Spiritus petendus a Deo, & quomodo. 51
Spiritus quomodo a concionatore acquiri poſſit. 50. & 240.
Spiritus qua ratione excitetur. 241
Spiritus ſancti dona quæ. 143
Spiritus varie accipitur. 237
Status quid. 75
Status coniecturalis partes. 77
Status legalis partes. 79
Status legalis qui ſit. 76
Status partes quæ ſint. 77
Status qualitatis partes. 77
Status quotuplex. 75
Status tranſlitionis quid ſit. 76
Statuum cognitio neceſſaria. 75
Statuum omnium loci. 151
Stella quæ apparuit Magis an vera fuerit. 474
Stoicorum opinio circa affectus. 202
Stylus quid. 404
Stylus cur difficilis. 407
Styli exercendi varij modi. 406
Styli præcepta quæ. 404
Suaſor qualis eſſe debeat. 129
Subiectio argumentandi forma. 182
Subiectum quid dicatur. 94
Summiſſio argumentandi forma. 183
Superbi inepti ad intelligentiam ſcripturarum. 393
Syllepſis. 329
Syllogiſmi partes. 179
Symploce. 290
Synalephe. 328
Syncope. 328
Synchyſis. 309. & 331. & 332
Synecdoche quid, & qui eius modi. 271. 330
Synecdoches vſus. 272
Synereſis. 328
Synæceoſis. 311
Syntheſis. 330
Syſtole. 328
Spei affectus quomodo excitandus. 228
Speranda quæ. 126

T

TAbulæ quæ dicantur. 104
Tapinoſis. 333
Tautologia. 312. & 334
Teſtimonium ad quid adhibeatur. 104
Themata quomodo tractanda ſint. 468
Themata uitioſa quæ. 468
Theologales virtutes quæ. 143
D. Thomas cur legendus. 399
Timenda quæ. 126
Timor Dei in quo ſitus. 462
Timoris Dei effectus. 458
Topographia. 323
Topotheſia. 323
Tormenta quæ dicantur. 104
Totum eſſentiale quod. 88
Totum in loco quod. 88
Totum in modo quod. 88
Totum integrale quod. 88
Totum in tempore quod. 89
Totum quantum quod. 87
Totum quot modis dicatur. 87
Totum uniuerſale quod. 87
Tranſitio. 323
Tranſlatio quid ſit. 101
Tropus quid ſignificet, & quid ſit, 266
Tribulationis vtilitas. 227

Tributum ſoluendum eſſe quibus ra tionibus probari poſſit. 475
Tropus cur introductus. 267
Tropi vnde dimanent. 284
Turbo quid ſit. 442

V.

VErbum Dei eſt noſter panis. 65
Verbum Dei quale. 67
Verbum diuinum cur ſine vtilitate audiatur. 67
Verbum diuinum cur audiatur. 61
Verbum diuinum qua ratione audiendum. 60
Verbi Dei auditor quid facere debet. 64
Verba aſpera quæ ſint. 263
Verba grauia quæ ſint. 262
Verba humilia quæ dicantur. 262
Verba integra quæ ſint. 263
Verba inuſitata quæ ſint. 261
Verba propria, quæ dicantur. 262
Verba quę reijcienda. 261
Verba ſonantia quæ ſint. 263
Verba ſordida quę dicantur. 261
Verba ſublimia quæ dicantur. 262
Verba tarda quæ ſint. 263
Verba turpia quæ ſint. 261
Verborum collocatio quid ſit. 340
Verborum copia quam ſit vtilis. 377
Verborum diuiſio. 251
Verborum ornatus qualis. 318
Verborum vſus qualis. 337
Veritas ab externis ſcriptoribus re petenda. 108
Veritas diuini ſpiritus proprius effectus. 108
Veritas quas ſignificationes habeat. 456
Vincendi ratio optima. 478
Virgilius quomodo imitatus fuerit Homerum. 429
Vir iuſtus quibus laudibus ornari poßet. 140
Vitanda quæ. 126
Virtutes actionis quæ, & earum partes. 145
Virtutis diuiſio, ſeu partes quæ. 144
Vocis diuiſio. 362
Voluntas quibus rebus moueatur. 131
Vox quæ bona, & quæ inepta. 363
Vſus quid ſit. 94
Vtilis boni partes quæ. 131

Z

Zeugma. 328

INDEX OMNIVM TROPORVM,

Schematum, & figurarum Rhetoricarum & Grammaticarum, ac vitiorum orationis.

TROPI.

ABVSIO. 272
Acyrologia. 272
Adagium. 277
Additum. 282
Adiectiuũ. 282
Aenigma. 276
Allegoria. 273
Anagogia. 274. & 275
Antiphraſis. 273. & 278
Antonomaſia. 281
Appellatio eximia. 281
Appoſitum. 282
Aſtiſmus, vel Aſteiſmus. 280
Catachreſis. 272
Cauillus. 279
Charientiſmus. 280
Circuitio. 283
Comprehenſio. 271
Corrugatio narium. 279
Denominatio. 269
Diaſirmus. 280
Diſſimulantia. 278
Diuerſiloquium. 273
Epicertomeſis. 279
Epitheton. 282
Fictio nominis. 281
Hypallage. 269
Illuſio. 278
Imitatio. 280
Inſectatio. 279
Intellectio. 271
Inuerſio. 273
Irriſio. 278
Ironia. 278
Lepos. 280
Locutio contraria. 278
Metalepſis. 273
Metaphora. 267
Metonymia. 269
Mimeſis. 280
Mordacitas. 279
Micteriſmus. 279
Onomatopoeia. 281
Paroemia. 277
Periphraſis. 283
Permutatio. 273
Permutatio nominis. 281
Pronominatio. ibid.
Prouerbium. 277
Sarcaſmus. 279
Scirpus. 276
Simulatio. 278
Subſannatio. 279
Summutatio. 270
Synecdoche. 271
Tranſlatio. 267
Tranſnominatio. 269
Tranſpoſitio. 273
Tranſumptio. ibid.
Tropologia. 274
Vrbanitas. 280

SCHE-

SCHEMATA.

Abominatio. 301
Acclamatio. 298
Addubitatio. 297
Adfictio. 305
Adiuratio. 300
Adhortatio. ibid.
Adiectio. 289
Adiunctio. 293
Admonitio. 302
Admiratio. 298
Adynaton. 311
Aequale. 309
Aequale prope. ibid.
Aqualitas. ibid.
Aetiologia. 306
Aggratulatio. 302
Aggreſſio. 306
Agnominatio. 291.& 293
Alluſio. 315
Anacœnoſis. 297
Anacęphaleoſis. 325
Anadiploſis. 289
Anangęon. 307
Anaphora. 289
Anaſceue. 305
Anaſtaſis. 290
Antapodoſis. 325
Antimetabole. 292.& 310
Antipophora. 303
Antiſagoge. 304.& 310
Antiſtrophe. 305
Antitheſis. 293.& 309
Antitheton. 309
Antropopathia. 322
Apodoſis. 305
Apologus. 309
Apophaſis. 296
Apoplaneſis. 305
Aporia. 297
Apoſiopeſis. 299
Apoſtrophe. ibid.
Articulus. 292.& 293
Aſſeueratio. 300
Aſyndeton. 292
Auerſio. 299
Auxeſis. 314
Bona precatio. 301
Brachylogia. 318
Breuiloquium. ibid.
Caſtigatio. 302
Caſuum multitudo. 291
Catalogus. 323
Cauſſæ redditio. 306
Characteriſmus. 320
Chorographia. ibid.
Chroma. 307
Chronographia. 323
Cinnus. 311
Clauſula. 325
Climax. 292.& 313
Coaceruatio. 316
Cœnote. 290
Cogitatio. 315
Cohabitatio. 294.& 311
Collatio. 308.& 309
Collatio diſſimilium. 307
Collatio perſonarum inter ſe contrariarum. 309
Collectio. 316
Collectio dictorum breuis. 325
Color. 307
Commemoratio. 305
Commentatio. 306
Comminatio. 301
Commiſeratio. 321
Commiſſio. 311
Commoratio. 313
Commutatio. 292.293.& 310
Communicatio. 297.& 305
Cõmunio ſeu congeries verborũ. 312
Compar. 293
Comparatio. 317
Comparatio rerum genere differentium. 308
Compenſatio. 304
Complexio. 290.303.& 306
Conceſſio. 304
Concluſio. 325.& 326
Conduplicatio. 290
Confeſſio. 304

Confirmatio. 325
Confuſio. 311
Confutatio. 325
Congeries. 294.& 303
Coniunctum ſimul. 292
Connexum. 290
Conqueſtio. 302
Conſolatio. ibid.
Contentio. 293.& 309
Continuatio. 317
Contradictio. 310
Contrapoſitum. 309
Contrarium. 293.& 309
Conuerſio. 290.& 303
Copulatio rerum plurimarum. pag 311
Correctio. ibid.
Coſmographia. 323
Defectus. 292
Definitio. 319
Dehortatio. 300
Demonſtratio. 320
Denominatio. 291
Denotatio expreſſa. 314
Deprecatio. 300
Deſcriptio. 319
Deſignatio. 320
Deſtructio. 305
Diacope. 289
Dialogiſmus. 318
Dialyton. 292
Dialyſis. 318
Diaporeſis. 297
Diaphoreſis. 310
Diatypoſis. 322
Dicæologia. 306
Dictum acutum. 311
Differentia. 310
Digreſſio. 324
Dilemma. 306
Diligentia. 307
Diminutio. 315
Dinumeratio. 316
Diſcriminatio. 310
Diſſimilitudo. 307
Diſſolutum. 318
Diſtributio. 317
Diuiſio. 325
Dubitatio. 297
Duplicatio. 289
Eclipſis. 292
Effictio. 320
Effictio perſonę. ibid.
Egreſſus. 324
Eminentia 314
Emphaſis. ibid.
Enthymema. 293.& 306
Enumeratio. 306
Epanadiploſis. 290
Epanalepſis. 289.& 290
Epanaphora. 289
Epanaploſis. ibid.
Epanaſtrophe. ibid.
Epanodos. 292.318.& 324
Epanorthoſis. 311
Epexegeſis. 312
Epexergaſia. 306.312
Epibole. 289
EpicherecaKia. 302
Epicherema. 306
Epilogus. 325
Epimone. 289.& 313
Epiphonema. 298
Epiphora. 290
Epiſtrophe. ibid.
Epithemeſis. 305
Epitrocaſmos. 297.& 316
Epizeuſis. 289
Erotema. 296
Ethopœia. 322
Etiologia. 312
Euacuatio. 305
Euchariſtia. 302
Exclamatio. 297
Excuſatio. 306
Execratio. 301
Exegeſis. 312
Exemplum. 308
Exergaſia. 312
Exetaſmos. 296
Exordium. 325
Expolitio. 312

Expe-

Expeditio. 306
Expreſſio morum,& habitus. 322
Exprobratio 302
Exquiſitio. 296
Extenuatio. 315
Exultatio. 302
Figuratio. 320
Frequentatio. 316
Gaudium de alienis. 302
Genealogia. 323
Generationis deſcriptio. ibid.
Geographia. ibid.
Gnome. 318
Gradatio. 292.& 313
Gratiarum actio. 302
Hermenia. 312
Homœon. 309
Homœoptoton. 293
Homœoteleuton. ibi.
Hyperbole. 314
Hypertheſis. 315
Hypocriſmos. ibid.
Hypophora. 295.& 303
Hypotypoſis. 320
Icon. 308
Idolopœia. 321
Illuſtratio. 320
Imago. 308
Imitatio. 300
Implicatio. 292
Impoſſibile. 311
Imprecatio. 301
Inconiunctum. 292
Incrementum. 313.& 314
Increpatio. 301
Indignatio. 321.& 301
Inductio contraria. 304
Inopinatum. 311
Interpretatio. 312
Interpretatio addita. ibid.
Interrogatio. 294
Interrogatum. 296
Interruptio. 299
Inverſio. 305
Iſocolon. 293
Iſon. 309
Iteratio. 318
Iuramentum. 300
Lamentatio. 302
Lenitas. 315
Licentia. 305
Litote. 315
Membrum. 293
Metabole. 291
Meriſmos. 317
Metabaſis. 323
Metanœa. 311
Metaſtaſis. 306
Metatheſis. 292
Metriaſmos. 315
Minæ. 301
Mioſis. 315
Mutatio ſententiæ. 311
Narratio. 325
Neceſſitudo. 307
Nefas. 311
Noema. 315
Notatio. 320
Numerus. 323
Obiectio. 295.& 303
Obiurgatio. 301.&305
Obſecratio. 300
Obteſtatio. ibid.
Obticentia. 299
Occupatio. 303
Ominatio. 301
Omœoſis. 307
Oppoſitio. 295.303.& 304
Optatio. 299
Orationis principium. 325
Oriſmos. 319
Oximoron. 311
Palilogia. 289
Parabole. 308
Paradiaſtole. 294.& 310
Paradigma. 308
Paradoxon. 311
Paralepſis. 304
Paranomaſia. 291
Paraſceue. 324
Parechaſis. ibid.
Parentheſis. ibid.

Pariſon. 309
Paromologia. 304
Parrheſia. 305
Partitio. 325
Pathopœia. 321
Percunctatio. 296
Percurſio. 316
Permiſſio. 304
Peroratio. 326
Perſeuerantia. 289
Perſonæ fictio. 321
Peuſis. 296
Pleonaſmus. 315
Ploce. 292
Polyptoton: 291
Polyſyndeton. 292
Pragmatographia. 320
Præceptio. 303
Præciſio. 324
Præparatio. 304.& 324
Præſumptio. 303
Præteritio. 304
Procatalepſis. 303
Procataſceue. 304
Prolepſis. 326.& 303
Propoſitio. 324
Proſapodoſis. 290.& 307
Proſopographia. 320
Proſopopœia. 321
Protaſis. 324
Pyſma. 296
Querela. 302
Quæſtio. 296
Ratiocinatio. 317
Recapitulatio. 326
Redditio. 290.& 325
Reditum. 292
Reditus. 318.& 324
Reduplicatio. 289
Relatum. 293
Repetitio. 303
Reprobatio. 305
Reſponſio. 296
Reſumptio, vel receptio. 289
Reticentia. 299
Retractio. 292
Reuerberatio. 290
Reuerſio. 290.318.& 324
Repetitio. 289
Scheſis. 305
Sectio. 289
Sententia. 318
Sermocinatio. 316
Significatio. 314
Simile. 309
Similiter cadens. 293
Similiter deſinens. ibid.
Similitudo. 307
Similitudo longior. 308
Somatopœia. 321
Subiectio. 295
Subiunctio. 289
Suffiguratio. 312
Superiectio ementiens. 314
Superlatio. ibid.
Superabundantia. 315
Superpoſitio. ibid.
Supplicatio. 300
Symploce. 290.
Syncyceoſis. 311
Syncriſis. 309
Syndicaſmos. ibi
Synonymia. 312
Synthrœſmos. 316
Tapinoſis. 315
Tautologia. 289.312
Temporis deſcriptio. 323
Tenuitas. 315
Terminus orationis. 326
Topographia. 323
Topotheſia. 323
Traductio. 291
Traiectio. 314
Tranſlatio. 306
Tranſitio. 323
Tranſpoſitio. 292
Violatio. 305
Votum. 299

Fi-

FIGVRAE GRAMMATICAE

Ablatio. 327
Adiunctio. 327
Adnexio. 328
Alleoteta. 330
Alliofis. 329
Amputatio. 328
Anacoluthon. 331
Anadiploſis. 327
Analloge. 329
Anaſtrophe. 330
Antimeria. 329
Antitheſis. 328
Apheresis. 327
Apocope. 328
Appoſitio. 327.& 329
Compoſitio. 330
Comprehenſio. 329.& 330
Conciſio. 328
Confuſio. 331
Coniunctio. 328
Contractio. ibid.
Correctio. ibid.
Deletio. ibid.
Diacope. 331
Dialyſis. 330
Diaſtole. 328
Dieresis. ibid.
Diſiunctio. ibid.
Diſſolutio. 330
Diuiſio. 328
Eliſio. ibid.
Epentheſis. 327
Ecthlipſis. 328
Euocatio. 330
Exegeſis. 329
Expoſitio. ibid.
Extenſio. 328
Geminatio. 327
Hypallage. 330
Hyperbaton. 331
Hypozeugma. 329
Hyſterologia. 330
Hyſteron proteron. ibid.
Intercidio. 331
Intercluſio. ibid.
Interpoſitio. 327.331
Inuerſus ordo. 330
Ligatio. 328
Metatheſis. 328
Moſozeugma. 329
Mutatio. ibid.
Paragoge. 327
Parelcon. 329
Parentheſis. 330
Peruerſio. 330
Pleonaſmus. 329
Præſumptio. ibid.
Prolepſis. ibid.
Proſtheſis. 327
Protaſis. 329
Prothyſteron. 330
Protozeugma. 329
Sectio. 331
Sermo præpoſterus. 330
Submutatio. ibi.
Superfluum. 329
Syllepſis. 329
Synalephe. 328
Syncope. ibid
Syncriſis. 331.& 332
Synecdoche. 330
Syneresis. 328
Syntheſis. 330
Syſtole. 328
Tmeſis. 331
Tranſmutatio. 328
Vſurpatio verbi impropria. 332
Zeugma. 328

ORATIONIS VITIA.

Acyrologia. 332
Acyron. 332
Adiectio ſuperuacanea. 334
Aenigma. 333
Aeſcrologia. 336
Amphibolia. 333
Anœconomiton. ibid.
Archæologia. 335
Archaſmos. idib.

Arith-

Arithmos. 333
Aſchematiſton. 334
Aſchematon. ibi.
Aſiatiſmus. 335
Atacton. 334
Barbaralexis. 332
Barbariſmus. ibid.
Bombologia. 334
Bomphilogia. ibid.
Brachilogia. 335
Breuiloquentia. ibid.
Cacoſyntheton. 335
Cacophaton. 336
Cacophonia. 338
Cacozelia. 336
CaKephaton ibid.
Calonoma. 33
Dictio non latina. 332
Diminutio. 333
Diſſolutum. ibi.
Ecclipſis. ibid.
Ellipſis. 332
Elocutio ſuperuacanea. 334
Figuratum non. ibid.
Homœologia. 33
Homonymia. 332
Hypertheſis. ibid.
Idiotiſmus. 335
Imitatio inepta. 336
Incompoſitum. 334
Inflatio. 333
Inordinatum. ibid.
Iteratio eiuſdem verbi inornata. 332
Laconiſmus. 335
Leptologia. ibid.
Macrologia. 334
Meoſis. 335
Miſcellanea. 334
Miſtura linguarum. ibid.
Nugatio. 334
Obſcœnitas verborum. 336
Ongos. 333
Oratio anceps. ibid.
Oratio conciſa. 335
Oratio nimis longa. 334
Oratio pueriliter effœminata. 335
Oratio uniformis. ibid.
Oſtentatio inepta. 334
Oximoron. ibid.
Pamphologia. ibid.
Peribole. ibid.
Periergia. ibid.
Periſologia. ibid.
PiKilogia. 335
Pleonaſmus. 333
Polyſchematiſton. 334
Repetitio eiuſdē verbi inornata. ibid.
Sententia obſcura. 332. & 333
Sermo obſcurus. 332
Sermo ſolutus. 334
Soreſmos. ibid.
Solœciſmus. 332
Structura verborum indecens. 333
Tapinoſis. ibid.
Tautologia. 334
Traiectio. 332
Tumor immodicus orationis. 335
Vſurpatio verbi impropria. 32

INDEX AVCTORVM
QVÆ IN HOC OPERE
CONTINENTVR.

Achilles Bocchius.
Aeſopus.
Aggeus.
Alexander VI.
Alexander Aleſius.
Alfonſus Zorilla.
D. Ambroſius.
Ambroſ. Quiſ.
Amos Propheta.
Anterus Papa.
Antiochus.
Anton. Lullus.
Anton. Riccobo.
Aquila.
Aquiſgranenſe concilium.
Arator.
Ariſtoteles.
Arnobius.
Athanaſius.
Auctor Herennian.
D. Auguſtinus.
Auguſtinus Vale.
Aulus Gellius.
D. Baſilius.
Baptiſta Mantuanus.
Beda.
Benedictus Ariomons.
Belarminus.
D. Bernardus.
D. Benardinus.
Boetius.
Celius Rodig.
Caſarius.
Claudius Cuiglial.
Caliſtus Papa.
Caſſiodorus
Clemens Romanus.
Clemens Alexandrinus.
Celſus Iuriſconſ.
Chryſoſtomus.
Cornelius Celſus
Cyrillus Alexan.
Cyrillus Hieroſolymitanus.
D. Cyprianus.
Cyprianus Soar.
Dauid.
Daniel Propheta.
Demoſthenes.
Diaſcorides.
Diegus ſtella.
Diegus Vallades.
Diogenes.
Diomedes.
Dionyſius Alexandrinus.
Dionyſius Areopag.
Dionyſ. Carthuſ.
Donatus.
Ennius.
Ephram.
Eſdra.
Eſther.
Euripides.
Euſebius Caſarien.
Ezechiel.
Franco Abbas.
Franciſcus Toletus.
Franciſcus Panicar.
D. Gregorius Papa.
D. Gregorius Nazian.
Guliel. Lindanus.
Habacuc.
Herbetius.
Hermogenes.
Herodotus.
Heſiodus.
Hidelbertus.
D. Hieronymus.
Hieronymus Vida.
Homerus.
Horatius.
D. Iacobus.
Iacob. Peres.
Ianſenius.
Ieremias.
Ioan. Euangeliſta.
Ioan. Damaſcenus.
Ioan. Driedo.
Ioan. Boter.
Ioan. Anglus.
Ioan. Rius.
Iobus.
Irenaus.
Iſidorus.
Iſocrates.
D. Iudas Apoſtolus.
Iudith.
Iulius Papa.
Iulius Rogerius.
D. Iuſtinus martyr.
Iuuencus Hiſpanus.
Lactantius.
Lateranenſe Concilium.
Laurentius a Villa Vicen.
D. Leo Papa.
Leo a Caſtro.
Leuinus Lemnius.
Liberatus.
D. Lucas Euangeliſta.
Lucas Ballionus.
Lucanus.
Ludouicus Granat.
Machabaeorum lib.
Macrobius.
Malachias.
M. Tullius.
M. Marulus.
D. Matthaus Euang.
Melchior Canus.
Menander.
Moſes.
Natales Comes.
Nicephor.
Nicolaus Clenar.
Nilus Abbas.
Origenes.
Oſeas propheta.
Ouidius.
Pacianus.
D. Paulus.

Pela-

Pelagius XI.
D Petrus.
Petrus Crinit.
Pindarus.
Plato
Plinius.
Plotinus.
Plutarchus.
Polydorus Virgil.
Propertius.
D. Proſper.
Publianus.
Quadratus.
Quintilianus.
Remenſe Concilium.
Roduiſkus à Tuſig.
Ruſtianus.
Rutilius.
Salomon.
Salonius epiſc. Vtic.
Sanazarus.
Sanctes Pagninus.
Seneca.
Sozomenus.
Suetonius.
Sulpitius.
Tertullianus.
Theodoretus.
D Thomas.
Tomas de Tugil.
Tobias.
Trapezuntius.
Treuerenſe Concilium.
Tridentinum Concilium.
Valerius Max.
Vatablus.
Vincentius Lirenenſ.
Virgilius.
Zacharias Proph.
D. Zeno Veronen epiſc.

Maiora quæ irrepſere menda, ſic emendato.

Pag. 3. ver. 11. idem, p. 14. v. 27. popul. intelligentiam aptior, & ad animos tractandos potentior, & p. 56. v. 3. diſcrimine. v. 9. non, vacat. pag. 57. v. 6. debere. p. 65. v. 10. inter. p. 138. v. 22. amplificandum. p. 141. v. 3. autem. p. 145. v. 10. deb. habent. p. 152. v. 29. docendus. p. 162. v. 12. genus, lege forma. p. 166. v. 7. remiſſius. p. 170. v. 3. populi commoditas. p. 211. v. 17. ampliorem. p. 216. v. 27. delabuntur. p. 253. v. 34. ſenſibus. p. 252. v. 34. quæ ad p. 267. v. 16. propria. p. 268. v. 12. ducuntur. p. 277. v. 30. veterem. p. 288. v. 32. diſtribuunt. p. 316. v. 14. neceſſariarum. p. 329. v. 23. pertinens. 263. v. 12. quod. p. 373. v. 11. ſit. v. 23. mouemus. p. 386. v. 21. metiantur. p. 396. v. 31. lectioné. p. 433. v. 8. & quæ. p. 438. v. 9. expertes. p. 444. v. 18. atqui ita. p. 470. v. 36. hypotheſis. p. 473. v. 37. ſecundam ibidem, ſumitur.

DE RHETORICA DIVINA

Liber Primus:

IN QVO RHETORICAE DIVINAE natura, & Oratoris Diuini munera, conditioneſq; explicantur.

Detur-ne aliquod genus eloquentiæ Diuinum.

CAP. PRIMVM.

DE RHETORICA Diuina ſcripturus, antequam quicquam de re ſuſcepta præcipio; eam controuerſiam mihi explicandam eſſe iudicaui, quæ ſæpe grauiſſimorum hominum animos ſolicitos habuit, Sitne vllum genus eloquentiæ diuinum. Vt vera hac de re ſententia, quaſi totius noſtræ ſcriptionis fundamento, conſtituta, ad reliquum huiuſce artis ædificium cōſtruendum accedere poſſimus. Et, vt id quod tanquam exploratum quiſpiam ponendum eſſe facile exiſtimaret, dubitatione non vacare oſtendam; nonnullas in vtramque partem rationes afferam, quibus rem hanc diſceptatione indigere demonſtrabitur: ſi quid per genus dicendi diuinum intelligendum ſit, vt quæſtionis ſtatus intelligatur, prius poſuero.

Nomine igitur Rhetoricæ, ſiue eloquentiæ diuinæ, illud dicendi genus intelligi volo, quo homines quidam Dei opt. max. internuntij & legati, ad voluntatem doctrinamq; diuinam hu- *Macha. 2.*

mano generi patefaciendam dicendo, vel ſcribendo vſi fuere; vt Prophetæ, Euangeliſtæ, & ij, quos Canonicos ſcriptores appellamus. Quod autem in horum hominum ſcriptis nullus ſit eloquentiæ ſplendor, & dignitas nulla, his argumentis demonſtrari poteſt.

Primum, ſi in aliquo ſacro ſcriptore eſt vlla eloquentiæ forma atq; vis, maxime in eo quem Deus, priuata & admirabili quadam ratione, ad promulgandum nomen ſuum apud nationes omnes elegit, in Paulo inquam, quem pro Mercurio, gẽtium ſuperſtitione, eloquẽtiæ Deo, populi quidam colere voluere: atqui in Paulo, vt ipſemet de ſe fatetur, nullus fuit orationis cultus, nulla dicendi ſublimitas: igitur. Non miſit me Chriſtus baptizare (Paulus loquitur) ſed euangelizare: non in ſapientia verbi (hoc eſt ornato cultoque ſermone) vt non euacuetur crux Chriſti. Item, Veni, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti. Item, Sermo meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtentatione ſpiritus & virtutis. Et denique alio loco, ſe eſſe dicendi imperitum diſerte ſignificauit, cum dixit; Et imperitus ſermone, ſed non ſcientia.

Act. 4. *Act. 14.* *1. Corin. 1.* *1. Corint. 2.* *2. Corin. 11.*

Et quamuis hæc loca apertiſſime indicare videantur, in Paulo nullam fuiſſe eloquentiæ dignitatem: tamen id antiquorum patrum auctoritate confirmemus. Chryſoſtomus aliquando ſub Baſilij perſona affirmauit, Paulum non fuiſſe ſtudioſum parandæ orationis & eloquentiæ, eiuſque inopiam non diſſimulaſſe: ſed aperte ſe idiotam, apud Corinthios eloquentia claros, eſſe profeſſus eſt. Idem, elegantiſſime eos deridet, qui Pauli eloquentiam propugnare conantur, vt fecit quidam Chriſtianus cum Alienigena altercando, qui Paulum eloquentiorem Platone, hic vero indoctum fuiſſe contendebat: Quo loco ait Chriſtianum temere cauſſam ſuſcepiſſe Gentilis, & Gentilem Chriſtiani. Idem hæc Hieronymi verba aperte demonſtrant, Qui non iuxta humilitatem, vt plerique exiſtimant, ſed vere dixerat, Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia: qui etiam ait, Paulum vix ſuos ſenſus Græco ſermone exprimere. Idem, eadem de re, hæc ſcripta reliquit, Non Apoſtolum pulſamus, vt maleuoli criminantur; ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus, quod Hebræus ex Hebræis abſque rhetorici nitore ſermonis, & verborum compoſitionis, & eloquij venuſtate, nunquam ad fidem Chriſti totum mundum traducere potuiſſet; niſi euangelizaſſet eum, non in ſapientia

Lib. 4. de ſacerd. *Homil. 3. in epiſt. ad Corint.* *Cap. 1. in epiſt. ad Hebr.* *In cap. 3. epiſt. ad Eph.*

pſentia verbi, ſed in virtute Dei. Denique, idem quoſdam Pauli lapſus in ſermone & græca phraſi adnotauit, vt etiam Chryſoſtomus. *In cap. 6. ad Gala. & ad Epheſ. 3.*

Moſes qui primus, & bonam partem librorum diuinorũ ſcripſit, ſe eloquentem non eſſe, cum ipſo Deo loquens, apertiſſime confeſſus eſt, cum dixit, Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri & nudius tertius, hoc eſt, nullo ante actæ vitæ tempore eloquens fui; & ex quo loquutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum. Idem de ſe aliquando dixit Ieremias, Domine Deus, ecce neſcio loqui; quia puer ego ſum. Atque idem de cæteris diuinis ſcriptoribus affirmares, vt Dionyſius Alexandrinus, referente Euſebio, de eo qui ſacram Apocalypſim ſcripſit, affirmabat: vt etiam Diuus Hieronymus de quibuſdam alijs. *Exod. 4.* *Cap. 1.*

Accedat deinde multorum & grauiſſimorum Patrum auctoritas, qui aduerſus ſacræ legis impugnatores ſcribendo, eius ſimplicitatem & ruditatem defendere ſunt conati: quod facere non oportuiſſet, ſi diuini ſcriptores eloquenter & apte loquuti fuiſſent. Ita Origenes, qui Celſo reſpondens, non negabat ſcripturæ ieiunitatem, ſed eam laudabat, aut excuſabat potius: affirmabatq;, nudam ſimplicemq; orationem ſacros ſcriptores maxime decuiſſe. Idem, non vno in loco fecit Theodoretus: qui in noſtris, non ſermonis nitorem & eloquentiæ venuſtatem, ſed veritatis pulchritudinem ſpectandam eſſe docuit. Denique, indignum aiebat Gregorius, vehementer exiſtimo, vt verba cœleſtis oraculi, reſtringam ſub regulis Donati: neque enim hæc ab vllis interpretibus in ſcripturæ ſacræ auctoritate ſeruata ſunt. *Lib. 6. contra Celſum.* *Lib. 9. de Legib.* *De natu. hom.*

Contra vero Canonicos auctores nõ inornate ſcripſiſſe, ex eo euidenter demonſtrari poteſt, quod in eis omnes tropos, omnes figuras, ſchemata & ornamenta omnia obſeruare licet, & multi obſeruarunt; vt Auguſtinus, Caſſiodorus, Beda, & alij: cultus eſt Iobus, ornatus Iſaias, cultiſſimus ornatiſſimuſque Dauid. In Paulo & rerum magnitudinem, & figurarum ſplendorem, artificiũq; admirare licet.

Quod nos hic affirmamus, nonnulli Patres apertiſſime docuerunt: ex quibus vnum vel alterum afferre ſat erit. Vbi eos intelligo (de diuinis ſcriptoribus loquitur Auguſtinus) non ſolum nihil eis ſapientius, verum etiam nihil eloquentius videri poteſt: vbi vero non eos intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, ſed eam non dubito eſſe talem, qualis eſt, vbi intelligo. *Lib. 4. de doctrin. cap. 6. & 7.*

Libro. 4. de ligo. Chryſoſtomus de Paulo loquens, ita ait, Nemo Paulum illum
ſac. lum beatum ornatu ſuo maximo, tum laude, quæ in eo ſumma
eſt, ſpoliet, & quæ apud ipſum ſequuntur: vbi ait Paulum antequam miracula edere cœpiſſet, ſua eloquentia Iudęos & Græcos quibuſdam in locis viciſſe & ſuperaſſe. De diuinæ legis elo-
Prol. in Pſ. quentia, non vno in loco, vir grauiſſimus Caſſiodorus mentionē
Pſal. 11. fecit, eamque diligenter obſeruauit; vt merito aliquando ſcri-
32. conc. 17. pſerit, Magiſtri ſecularium literarum cognoſcere admonentur,
Pſa 3. ver. ex ſacris ſchemata, & diuerſi generis argumenta, definitiones
vlt. quoque, & omnium diſciplinarum doctrinas profluxiſſe: cum in illis literis poſita videant, quę ante ſcholas ſuas longe prius dicta fuiſſe ſentiunt. Atque has paucas rationes in vtramque propoſitæ difficultatis partem, multis aliis omiſſis, attuliſſe ſufficiat. Nunc quaſdam poſitiones ſubijciam, per quas hanc litem dirimere, & quid in ea ſentiendum ſit, cognoſcere licebit.

Prima poſitio, in diuinis libris, eſt maxima rerum eloquentia. Declaro, Omnes fere dicendi Magiſtri eloquentiam duas in partes diſtribuere: quarum vnam in rerum præſtantia, dignitate, certitudineque poſitam eſſe exiſtimarunt: alteram vero in verborū ſplendore, concinnitate, atque ſuauitate. Hanc partitionem ſa-
Horat. pienter tradidit ille, qui dixit, Primam ſapientiam eſſe rerum: &
Cicer. alius, qui compoſite & apte ſine ſententiis dicere, ſtultitiam eſſe veriſſime affirmauit. Illam ergo priorem eloquentiæ partem in diuinis oraculis reperiri dicimus; id quod ſanæ mentis negaret
Pſal. 11. nemo. Sunt enim omnia quæ in illis continentur magna, illuſtria, ſublimia, examinata, purgata, certa, & vt vno verbo omnia dicam, omnia diuina: quæ omnem in partem, omnes humanæ mentis partes expoliunt, atque perficiunt.

Secunda poſitio, verborum eloquentia, quam Phraſin & Elegantiam vocant, quę partim in ſingulis, partim in coniunctis verbis ſpectatur, vt in quibuſdam diuinis ſcriptoribus non reperitur, ita in aliis non deſideratur. Intelligenda eſt hæc poſitio de primis ſcriptoribus, qui proxime diuino afflati ſpiritu res diuinas literis exararunt: e quibus nonnulli, vt Moſes, Iſaias, regius Vates, & quidam alij, non modo ſapienter, ſed etiam ornate, eleganterque loquuti ſunt; vt ij norunt, qui hebraice ſciunt, & dicendi artem perſpectam habent. At vero quidam alij, vt Amos, & illi, qui cum eſſent Iudæi græce ſcripſerunt, minus pure loquuti ſunt: & ita, tum verbis ſingulis, tum coniunctis, præter linguæ proprietatem & idiotiſmos nonnulla dixerunt: quod ſane nega-

ri non debet, nec poteſt.

Tertia poſitio, ea eloquutionis pars, quæ in idoneis tranſlatio nibus, & figuris, ſchematiſve, tum verborum, tum ſententiarum ſpectatur, ita reperitur in diuinis libris, vniuerſe loquendo, vt nulla humana ſcripta cum illis ſint conferenda. Hanc poſitionem veram eſſe ex eo intelligere licet, quod omnia figurarum & ſchematum genera, quæ hactenus in omnibus ſcriptoribus omnes dicendi artifices obſeruarunt, in diuinis eloquiis inuenire licet; vt apertiſsime infra demonſtrabitur, cum de Eloquutione diuina agetur. *Lib. 5.*

Quarta poſitio, fatendum eſt dari quoddam genus eloquētiæ diuinum, quod eſt ſupra omnia humana præcepta, ipſius Dei proprium. Hanc doctrinam non modo Rhetores Chriſtiani, ſed etiam externi omnes dicendi Magiſtri, citra controuerſiam, concederent; cum exiſtimauerint, eloquentiam munus eſſe diuinū, & vnum ex maioribus, quæ a munificentiſsimo omnium bonorum largitore humano generi tributa fuere; ac proinde eam paucis confirmabimus. Primum, ſi non eſſet quædam eloquentia diuina, nunquam ſcriptum fuiſſet, Dei ſapientiam infantium linguas diſertas facere: nunquam Eſther hunc in modum oraſſet, Grata fac, Domine, verba mea, & da ſermonem ornatum in os meum. Deinde, ſi non eſſet genus quoddam dicendi diuinum, Moſes vir alias humana eloquentia cumulate inſtructus, poſt habitum cum Deo ſermonem, nec infantem, nec elinguem ſe euaſiſſe dixiſſet; vt de eo merito ſcripſerit Origenes, Donec eſſet Moſes in Aegypto, vt erudiretur omni ſapientia Aegyptiorum, non erat gracilis voce, nec tardus lingua, nec profitebatur ſe eſſe ineloquentem: erat enim quantum ad Aegyptios ſonoræ vocis & eloquentiæ incomparabilis: vbi autem cœpit audire vocem Dei, & eloquia diuina ſuſcipere, tunc ſenſit exilem & gracilem vocem ſuam, tardamque & impeditam eſſe ſuam intelligit linguam: tunc ſe pronunciat mutum, cum cœpit agnoſcere verum illud Verbum, quod erat in principio apud Deum. Deniq; idem quorundam patrum auctoritate confirmare licet: & primum ex ſententia Origenis proxime allata. Deinde, ex Diuo Auguſtino, qui cum locum quendam Amos Prophetæ eloquentiſſime tractatum expoſuiſſet, hæc ſubiecit verba, Neque enim hæc humana induſtria compoſita, ſed diuina mente ſunt fuſa, & ſapienter, & eloquenter; non intenta in eloquentia, ſapientia, ſed a ſapientia non recedente eloquentia. Cum ergo in Deo ſumma ſit

Hermog. *Libro 1. de cauſ. eloqu. diſp. 1.* *Sap. 10.* *Cap. 14.* *Exod. 4.* *Homil. 2. in Exod.* *Ioan. 1.* *Lib. 4. de doctrin. c. 7.*

ſapientia,ſummam quoque eloquentiam eſſe neceſſe eſt: qui veriſſime dicere poteſt,Ego qui alios diſertos facio,infans ero? Poſtremo,huc faciunt omnes auctoritates Patrũ,qui in diuinis ſcriptoribus,quandam diuinam eloquentiam obſeruarunt, vt præter alios fecit Caſsiodorus.

Quincta poſitio, ſi de hoc diuinæ eloquentiæ genere loquamur, dicendum eſt omnes & ſingulos ſacros ſcriptores in ſcribendis tradendiſque diuinis myſteriis,eo vſos fuiſſe, & ita ſcripſiſſe,vt conſideratis rebus,perſonis, temporibus, aliiſque circunſtantiis, congruentius atque aptius (in quo totam eloquentiæ vim poſitam eſſe qui ignorat, is mihi nihil nouit) loqui non potuerint: ac proinde omnes eloquenter, hoc eſt idonee & apte ſcripſiſſe omnino fatendum eſt. Hanc ergo diuinam eloquentiam, ſuis miniſtris a Deo impertitam,in diuinis literis agnoſcere æquum eſt.

Sapien. 8. Diuina itaque ſapientia quæ attingit a fine vſque ad finem fortiter,& diſponit omnia ſuauiter,certo rerum & verborum genere,certaque & ineffabili, & nobis mortalibus non omnino *Pſal. 18.* perſpecta dicendi ratione,ad id efficiendum quod volebat apta,ſpirituales cœlos,ſacros inquam libros,qui Dei gloriam & maieſtatem nobis enarrant,ſuis digitis effinxit. Ideo quidam huius operis adminiſter, aliquando dixit, Lingua mea calamus ſcribæ velociter *Pſal. 44.* ſcribentis: Et ipſe primus artifex, Ego aperiam os tuum, & inſtruam te, quæ oporteat te loqui: Et alio loco, Dilata os *Pſal. 80.* tuum,& replebo illud. In ſumma,dedit Dominus verbum euan*Pſal. 67.*gelizantibus virtute multa. Eſt quædam eloquentia, inquit Auguſtinus,quæ viros ſumma auctoritate digniſsimos planeque diuinos decet: hac illi loquuti ſunt; nec ipſos decet alia, nec alios ipſa: quam diſertiſsimis verbis ad Voluſianum ſcribens,idem vir eloquentiſsimus, expoſuit: Et alio loco, hanc huc pertinentem ſententiam literis commendauit, Sed non ipſa me pluſquam dici poteſt in illa eloquentia delectant, quæ ſunt in his viris cum Oratoribus Gentilium Poetiſque communia;id magis admiror, & ſtupeo, quod iſta noſtra eloquentia ita vſi ſunt per alteram quandam ſuam,vt nec eis deeſſet,nec emineret in eis. *Lib. 4. de doctri. Chriſt.*

Ex quibus Auguſtini verbis intelligi licet, in ſacris ſcriptoribus duplicem nos poſſe animaduertere eloquentiæ rationem; alteram humanam,alteram diuinam. Quod mirum videri non debet,quia diuinus ſpiritus non deſtruit,ſed perficit naturam;& eo vtitur bono,quod ipſe naturæ inſeruit. Et hinc eſt,quod vnus di-

vinus

unus ſcriptor eloquentior altero eſſe deprehenditur : immo, idem ſeipſo,alia & alia ſcribens. Pauli eloquentia magis elucet in Epiſtola ad Hebræos ſcripta,quam in alijs : & diuus Ioannes, vt aliqui adnotarunt, ornatius & magnificentius in Euangelio, & in ſua Canonica,quam in ſacra Apocalypſi loquutus eſt. *Theod. Dion. Alex.*

Vltima poſitio,minor quædam verborum cura, quam humana eloquentia non admitteret, nullo modo in diuinis ſcriptoribus vituperanda eſt. Quare, vna cum ſanctis Patribus ſimplex noſtrorum ſcriptorum,& minus humana arte cultus ſermo,aduerſus profanos & impios homines defendendus eſt. Hoc fecit Clemens Alexandrinus libr. ſexto Stromatum,Origenes contra Celſum,Arnobius libro primo aduerſus Gẽtes, qui locus eſt omnino legendus;vbi ſapienter defendit barbariſmos, qui in ſacris codicibus inueniuntur: Theodoretus libro octauo de curandis græcanicis affectionibus: & alij multi, quos nunc recenſere nihil eſt neceſſe : vnam tamen vel alteram huiuſce diuinæ prouidentiæ ſubiiciemus rationem.

Primum,ideo Deus permiſit vt ſui ſcriptores interdum minorem curam haberent verborum,vt nos doceret, maiorem rerum & veritatis,quam verborum & concinnitatis habendam eſſe rationem. Nam, inquit Clemens, corui quoque voces imitantur humanas,cum eius rei quam dicunt, nullam habeant notitiam. Magis itaque,vt ex Platone optime probat Theodoretus, de rebus,quam de verbis ſolicitum eſſe oportet.

Deinde,ideo hoc factum eſſe cenſendum eſt; quia cum Deus hominum mentes ſuauiter moderetur & moueat, quoſdam ſcriptores,ita(quod ad quædam verba ſcribenda attinet,)iuuit vt eos ſupra ſuam naturam,cum non eſſet opus, non erexerit. Quare, mirum non eſt, ſi in aliquibus interdum verborum non cernitur puritas.

Denique,quoniam cœleſtes ſcribæ ſpiritu diuino afflati, & ad rerum maximarum cognitionem ſublati, verborum puritatem minus curarunt,de ſolis rebus ſoliciti. Et ſane, diuini ſpiritus libertatem non decebat, vt penitus humanæ eloquentiæ legibus inſeruiret. Cum viri omnium eloquentiſsimi,M.Tullius,& Plato,iis qui res grauiores ſcribunt,qui veritatem plane dicendo exponere volunt, de verborum cultu non eſſe curandum doceant. Et,vt cum Auguſtino concludã,Quapropter & eloquentes quidem,non ſolum ſapientes canonicos noſtros auctores doctoreſq; fateamur tali eloquentia vſos,qualis perſonis eiuſmodi congrue *Theod.li.1. de cur.græc. aff.*

 bat.

bat. Sed iam, quæ contra noſtram ſententiam faciunt argumenta, ea ſolnamus.

De Paulo, qui in Paulo ſummam eloquentiam, & quandam dicendi maieſtatem non agnoſcit, is certe quid eloquentia ſit, nondum intellexit. Nec propterea quicquam contra ipſum Paulum, aut ſanctos Patres affirmo, qui intelligendi ſunt, de quadam eloquentia humana, fucata, laſciuiente, & ſophiſtica, atq; de verborum proprietate, & concinnitate, quam ſane Paulus non affectauit: qui tamen figuris & ſchematibus vbique ſcatet. Quare, qui in Paulo eas delitias & veneres, quæ, vel in Platone, vel in Demoſthene, Iſocrateve cernuntur, requireret, aut in eo eſſe contenderet, is ſane irridendus eſſet: ac proinde vere dixit, Se non veniſſe ad enangelizandum in ſapientia verbi, hoc eſt, oratione ornatu meretricio culta.

De Moſe, ideo ſe infantem eſſe aiebat, quod de ſe ſummiſſe ſentiret, & non tantam eloquentiam ſe habere exiſtimaret, quanta ad opus maximum ad quod a Deo vocabatur, erat neceſſaria; & quia, vt Origenes adnotauit, maiorem quandam in Deo ſecum loquente agnouerat facundiam: atque idem de Ieremia dicas. Apocalypſis ſcriptor, alibi ornatius loquutus eſt, vt ſupra docuimus: qui in maximis arcanis ſcribendis, non ſine ratione, minus de phraſis integritate fuit ſolicitus.

Ex quibus colligeres, quo pacto intelligẽdi ſint ſancti Patres, cum dicunt, in diuinis ſcripturis non eſſe eloquentiam: qui de eloquentia pure humana quadam diligentia affectata loquũtur; non de ea, quæ talibus ſcriptoribus & rebus de quibus agebant, erat conſentanea. Sed de hac difficultate hucuſque: quæ adhuc ex ijs quæ ſequenti capite dicemus, multo manifeſtior fiet.

An Concionator diuinus eloquentia vti debeat. *CAP. II.*

QVONIAM nonnulli, quorundam ſacrorum ſcriptorum phraſim & quaſdam antiquorum Patrum ſententias animaduertentes, facile in eam iuere ſententiam, vt exiſtimauerint Concionatori diuino eloquentiam, vel eſſe deſpiciendam, aut certe non magni faciendã; ideo huiuſce difficultatis tractandæ nobis occaſionem præbent: quibus hæ grauiſſimorum Doctorum auctoritates fauere videntur.

Clemens

Clemens Alexandrinus hac de re loquendo aiebat, Quod ſicuti non eſt honeſtus ille cibi apparatus, qui plura habet condiméta, quam quæ nutriunt; ita nec bellus, ornatusve orationis vſus, qui auditores magis poteſt delectare, quam iuuare. Idem dixit, Eloquentiam non eſſe magni faciendam, &c. ſatis eſſe, ſi id ſignificetur, quod eſt dicendum, & intelligendum: quo autem nomine ſignificetur id quod volumus exprimere, nihil nobis curę eſſe debere: aitque optimum eſſe ſeruare eos, qui ſeruari cupiunt, non autem dictiunculas, tanquam quædam ornamenta componere. Et Græci quidem, Hieroſolymitanus Cyrillus loquitur, per eloquentiam capiunt: mel enim fluit de mulieris labijs fornicariæ: eos vero qui ex Circunciſione ſunt, per ſacras literas, quas male intelligunt, decipere, & hæreticorum filios per blandiloquentiam ſeducere homines minime malos ait. Quid prodeſt ſermo concinnus, ſcribit Athanaſius, ſi mores ſint inconcinni? Si eccleſia eſſet auditorium Rhetorum, opportuna eſſet eloquentia; ſed quia certamen eſt de moribus, & de fructificatione propoſitum eſt, & cœlum eſt quod expectatur, non lingua requiritur, ſed mores boni. Dictionis modus, aiebat Baſilius, nullum riſum tibi moueat; ſi non ſequimur receptas explicationes verborum, neque ſitus ipſorum conciunitatem approbamus: non enim tornatores dictionum, neque probe ſonantes voces recipimus, ſed nominum claritatem præferimus. Nazianzenus Gregorius, verborum leporem & fucatam dicendi artem a Theologia & a diuinis cauſſis reiecit: & aliquando in eloquentes Theologos acriter inuectus eſt. Gloriam Dei, ait Auguſtinus, in ſe vult conuertere, qui rem Dei verbis exornare ſe putat: res enim ipſæ placere debent; vt non ſermo, ſed ſenſus laudetur. Iulius Papa, in rebus eccleſiaſticis non ſpeciem eloquentiæ, ſed canones apoſtolicos requiri aiebat. Theodoretus, vel potius Pythagoras, quem ipſe citat, eum qui lepido ſermone vtitur, Sirenibus perſimilem, Muſis vero qui ſine vllo fuco nudam veritatis formam oſtendit, eſſe aiebat. Proſper, de eloquutione ſe non eſſe ſolicitum, eamque ſe non didiciſſe ſcripſit: & ſermonem cultum totam vim dictorum eneruare. Denique, vt Irenæum, & quoſdam alios miſſos faciam, Hidelbertus in quadam epiſtola elegantiam ſermonis a monaſterio tollendam eſſe docuit, & veritatem ornatum negligere: hoc etiam ab eodem pronuntiatum fuit, Periculoſe quiſque eſt delictus.

Lib. 1 ſtro. 1 · *Cata. 4.* · *Homel. de ſemen.* · *Homil. 3. in hexa.* · *Orat. de laudib. Ath.* · *Orat. 1. de Theol.* · *Epiſt. ad Antioch.* · *Epiſt. 63.*

Ad has auctoritates quaſdam adijcio rationes, quarum pri-

ma ea eſt, quia qui ornate atque compoſite dicere conantur, diuini ſpiritus vim impediunt, atque retardant: quoniam, dum ea perſequi volunt quæ concinne texuerunt, diuini ſpiritus afflatu ſe moueri non ſinunt. Deinde, tota recte concionandi ratio, vt infra docebo, in quodam diuino ſpiritu poſita eſſe videtur, quem non expectant, non excipiunt, qui ſe ad ornate dicendum parãt. Huc facit, quod de quodam ſancto viro fertur, ei, cum ſe ad dicendum aliquando paullo accuratius paraſſet, in dicendo defuiſſe ſermonem, quo alias, cum imparatus accedebat, abundabat. Et ideo Chriſtus ſuis Apoſtolis dixit, Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim in illa hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Matth. 10.*

Denique, ideo quidam catholico Concionatori eloquentia non eſſe vtendum putant, quod ea fidei aduerſarij potiſſimum vtantur, ne crux Chriſti euacuetur. Quid autem hac in parte diuino Oratori tenendum faciendumque ſit, ſequentibus poſitionibus docebo.

Prima poſitio, eloquentiæ ſtudium & vſus diuino Concionatori interdicendum non eſt. Hanc poſitionem vniuerſe demonſtrandam nunc propono, poſtea de qua eloquentia intelligenda ſit priuatim dicam. Licet itaque Oratori diuino in diuinis cauſſis agendis eloquentia vti: quod his rationibus confirmatur. Primum, ſcripturæ diuinæ auctoritate, Qui ſapiens eſt corde, inquit Sapiens, appellabitur prudens: & qui dulcis eſt eloquio, maiora reperiet: Eruditus in verbo, reperiet bona: Fauus mellis cõpoſita verba, dulcedo animæ ſanitas oſſium: Et alio loco, ſapientis os, eius nimirum eloquentia, vena, ſiue fons vitæ appellatur. Huc facit etiam illud, quod de diuina ſapientia dicitur, Linguas infantium diſertas facere. Deinde, exemplis eorum, quos Deus tanquam Legatos & Oratores elegit. Si non opus eſſet eloquentia & eloquentiæ vſu, nunquam Moſes omnium Legiſlatorum & Ducum ſapientiſſimus, & ſapientium eloquentiſſimus, hac excuſatione apud Deum vſus fuiſſet, quod eloquentia ſe deſtitutum eſſe ſentiret: neque etiam Ieremias dixiſſet, Ecce, neſcio loqui, puer ſum: neque Deus Moſi eius fratrem Aaronem virum eloquentia præditum in ſocium dediſſet; nec verba ei ſic miniſtraſſet. Si eloquentiæ congruus vſus diuino Concionatori eſt interdictus, cur artificioſiſſimo cantico, cauſam Dei agendo, ingratum populum accuſauit Moſes? cur tam eleganter, tam orna-

Prouerb. 16
Prouerb. 10.
Sap. 10.

te

te Iobi patientiam literis integro libro commendauit? cur Iſaias, Ieremias, Ezechiel maximo artificio, maximaque eloquentia confectas conciones ad populum, ad quem corrigendum a Deo miſſi fuere, habuerunt? in quibus ornatiſſime micant metaphoræ, pulcherrimæ relucent figuræ, & quaſi ſidera, varia ſchemata ſplendent. cur Regius vates vndique omnibus poetarum ornamentis redundat? quod etiam de Paulo affirmare licet: Quem nunquam Lycaones Mercurium appellaſſent, ni ſingularem aliquam in eo facundiam animaduertiſſent: neque Chryſoſtomus eum ſua eloquentia, antequam miracula edere cœpiſſet, aduerſarios viciſſe, ſcripſiſſet. Cur tot in diuinis libris amplificationes? cur tot deſcriptiones, & exornationes? quas ſuis locis afferemus. Cur Salomon longa & ornatiſſima oratione ſapientiam laudauit? & tanquam facundiſſimus Eccleſiaſtes, mundi vanitatem elegantiſſime demonſtrauit? Et ne plura exempla percurram, cur vir alias modeſtiſſimus, & ſui minime amator Iobus, vt cauſſam quam agebat amplificaret, ab eloquentiæ dignitate, ſe mirifice laudauit? Præterea, idem confirmatur quorundam Patrum ſententijs: Ab inferioribus, ait Chryſoſtomus, qui ob ſingularem eloquentiam Os aureum appellari meruit, dicendi gloria vinci eum, qui dignitate præcellat, remque fortiter ac generoſe perpeti, id non cuiuſlibet, nec noſtri ſane fuerit, ſed adamantini potius cuiuſdam animi. Ex quo eloquentiſsimo patre multas huc pertinentes ſumere liceret ſententias. Lactantius Firmianus, cuius facundiam merito admiratur diuus Hieronymus doctor facundiſsimus, ipſumque Tullianæ eloquentiæ flumen appellat, Multum, inquit, nobis exercitatio illa fictarum litium contulit; vt nunc maiori copia & facultate dicendi cauſſam veritatis peroremus: quæ, licet poſsit ſine eloquentia defendi, vt eſt a multis ſæpe defenſa: tamen claritate & nitore ſermonis illuſtranda, & quodammodo diſſerenda eſt: vt potentius in animos influat, & vi ſua, & inſtructa religione, & luce orationis ornata. Idem, virorum eloquentium paucitatem, Chriſtianæ veritati vehementer obfuiſſe affirmauit: quam eleganter defenderunt, Iuſtinus, Tertullianus, Arnobius, Gregorius Nazianzenus, & alij non vulgari eloquentia ornati Patres. Denique, quaſdam alias ſententias ex libro quarto diui Auguſtini de doctrina Chriſtiana, qui volet, promere poterit: ac etiam ea legere, quæ Ioannes Anglus in ſuæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ præfatione de Chryſoſtomi, Gregorij Nazianzeni, Baſilij, & Hieronymi eloquentia ſcribit.

Lib. 4. de ſacerd.

Lib. 5. de ſacerd.

Lib. 1 diui. inſtit.

Lib. 5.

Epiſ. Ciceſt.

De Chryſoſtomo,ex ore aureo,aureum & diuinum orationis flu men fundere affirmat; quod Tullius de Ariſtotele dixerat: De quo illud Horatianum pronuntiare liceret,

Vehemens & liquidus puroq; ſimillimus anni,
Fundet opes.

Gregoriũ in ſoluta oratione comparat Thucydidi, in carmine Homeri æmulum facit: Baſilium,cũ quodam erudito viro, Chri ſtianum Demoſthenem appellat. In Hieronymo tantam,ait,fuiſ ſe in ſcribendo facultatem, vt omnes prope eloquentiæ neruos expleuerit: cum hæreticis lacertoſe pugnat, cum obtrectatoribus acriter: eleganter narrat,apte conſolatur,copioſe laudat, ſuauiter & compte,per literas colloquitur. Vnde,cum late Hieronymi facundiam deſcripſiſſet, concludendo ait, Aut igitur pellatur Hieronymus,aut laudetur a Chriſtianis eloquentia. In eodem ordine reponeres Cyprianum,quem ob ſingularem dicendi artem,Ciceronem Chriſtianum aliqui appellant, cum in eloquendo ornatior,in explicando facilior, in perſuadendo potentior eo non facile reperiatur alius. Et,vt reliquos omittamus

Ant.Nat. Latinos, cur malleus hæreticorum dictus eſt Auguſtinus, niſi quia vbique docte & neruoſe diſſerit? nũquam ceſſat,nunquam dormitat,ſed ſemper inſurgit,premit, rapit: niſi quia ſimplicia erudite, inculta ornate, abdita aperte, & obſcura dilucide vbique pronuntiat; vt neſcias,vtrum in eo linguam, an pectus magis probes.

Ad auctoritates & exempla accedat etiam ratio: ſi ſacra Theologia,quæ in cognitione verſatur, ſcientijs humanis, vt Dialectica,Phyſica,Morali,aliiſque vtitur; cur etiam ea quæ in actione eſt occupata, & ad docendum, & ad perſuadendum dicendi arte vti non poterit? cum Deus non deſtruat, ſed perficiat naturam,& eo vtatur,quod indidit naturæ, & per humanam curam acceſſit. Potuiſſet Deus ſine vento mare diuidere,ſine ligno amaram aquam in dulcem conuertere,ſine vllo virgæ tactu ex lapide aquam educere: quod ſi ea quæ diximus, quaſi adminicula adhibere voluit,cur etiam dicendi facundia naturæ humanæ maxime accommodata,vti noluerit?

Secunda poſitio,diuinum ſcriptorem, oratoremve nullo modo decet eloquentia quædam fucata,calamiſtrata, immodice ornata,& penitus forenſis. Hanc, vt exiſtimo, eloquentiæ formam

In proœ. Epi antiqui Patres in doctore Chriſtiano damnarunt, & ſpeciatim
ſto. ad Gal. Hieronymus,cum ſcripſit, Iam enim in eccleſiis iſta quæruntur, omiſ-

emiſſaque apoſtolicorum ſimplicitate & paucitate verborum, quaſi ad Athenæum, & ad Auditoria conuenitur; vt plauſus circunſtantium ſuſcitentur, vt oratio rhetoricæ artis fucata mendacio, quaſi quædam meretricula procedat in publicum: non tam eruditura populos, quam fauorem populi quæſitura: & in modum pſalterij, & tibiæ dulce canentis, ſenſus demulceat audientium; & vere illud prophetæ Ezechielis noſtris temporibus poſſit aptari, dicente Domino, Et factus eſt eis, quaſi ſonus citharæ ſuaue canentis, & bene compoſitæ. *Cap. 33.*

Tertia poſitio, eloquentia quæ in ſacro Concionatore deſideratur, debet eſſe grauis, ſobria, pudica, natiuo quodam ſucco plena, ingenuoq; colore affecta, forma bona, quæ res quas tractat, finem quem propoſitum habet, locum in quo verſatur, & eum cuius Concionator perſonam gerit deceat: cuiuſmodi erit, ſi ueluti Eſther ad gloriam Dei, eiuſque populi incolumitatem ſeſe ornabit: cui etiam Dominus conferet ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio, non ex libidine, ſed ex uirtute pendebit; & ideò Dominus iſtam pulchritudinem ampliabit, ut incomparabili decore omnium oculis appareat: cuiuſmodi erit, ſi res, ſi locos, ſi figuras, ſi ſchemata, ſi deſcriptiones, ſi exornationes magis ex diuinæ ſcripturæ libris, quam ex humanis ſcriptoribus ſumet, ſeque in ſacrum Codicem, quaſi in ſpeculum, dum ſe componit, inſpiciet, diuinamque diuinorum librorum pulchritudinem imitabitur: ſi denique magis de rerum, & ſententiarum ornamentis, quam de vocularum cincinnis fuerit ſolicita: nam, ut inquit Sapiens, Qui tantum uerba ſectatur, nihil habebit. Valeat igitur loquentia, ſeu potius loquacitas illa, quæ in ſola uerborum profluentia & uolubilitate conſiſtit: cum demum ea ſit uera eloquentia, quæ ex rerum cognitione effloreſcit: cum nemo ea de re eloquenter dicere poſſit, qui eam non nouerit: cum eloquentis ſit, ſcienter dicere, & eo eloquentius, quo ſcientius id facit. Quare, is eloquens eſt habendus, qui uerbis ſententiarum dignitate robur adijcit, & ſententias uerborum lumine illuſtrat. *Eſther 15.* *Prouer. 18.*

Quarta poſitio, Oratori legatoque diuino humanæ eloquentiæ facultas nullo modo eſt contemnenda: ex qua ea ſumere debet, quæ ſint ad eloquentiam diuinam obſeruandam, & ad uſum traducendam neceſſaria. Nam, ſi parui facienda eſt, eam maxime ob cauſam, quod aures oblectat: uerum, cum non ad aurium lenocinium, ſed ad mentis ſenſus recte & commode explicandos dicendi ars excogitata fuerit; quia, hac ratione ſermo auditoribus

utilior

utilior fore putabatur, non propterea erit reijcienda, ſi utilitatem etiam grata quædam ſequetur iucunditas. Quandoquidem ita natura comparatum eſt, vt vnumquodque quo magis dilucide, magis diſtinčte, magis proprie, magis illuminate dičtum fuerit, eo amplius delečtet. Ruditer vero, & incompoſite, & diſſipate dicere, præter id, quod odioſum eſt auribus & ingratum, ne fručtum quidem vllum fert in vulgum; qui ea non ſuſcipit, nec admiratur, nec intelligit, nec intelligere curat, quæ inepte dicuntur, deterritus obſcuritate verborum & ſententiarum.

Legat aliquis, vt quod doceo aliquo illuſtrem exemplo, quæ Scholaſtici Dočtores de mulierum ornatu paucis uerbis ad docendum accommodatis, uere tradunt; ut quæ diuus Thomas, quæ Alexander Aleſius, uel aliquis alius ſcribit: legat poſtea quæ eadem de re alio modo, uerbis nimirum melioribus, & ſententiis grauioribus eloquentes Patres grauiter, ſplendide, & ad mouendum accommodate ſcripſerunt, & quid eloquentia humana, aut diuina poſsit, uidebit. Legat, inquam, quæ epiſtola ad Poſsidonium ſcribit Auguſtinus; ſed lenius, ut epiſtola requirebat: quæ Cyprianus de habitu Virginum, qui neruoſius urget: quæ Ambroſius libro primo de Virginibus, ubi nuptarum mores uehementer exagitat: quæ denique Hieronymus libro contra Heluidium, dum breuiter, ſed non frigide eandem rem, virginem & nuptam comparando, exponit. In illis itaque nuda ueritas cernitur, in his uero uarietate ornata & quaſi armis inſtručta; talis nimirum, qualem olim antiqui pinxere Mineruam ſapientiæ Deam; ad popularem efficacior. Quod ea quæ in ornato ſermone ſentitur voluptas non ſit negligenda, aut timenda, ex eo etiam demonſtrare licet, quod antiqui Patres res diuinas carmine exponere non dubitauerint; in quo dicendi genere plures ſunt lepores, maiores delitiæ, & denique magis laſciuit ornatus. Id fecit Iuuencus Hiſpanus, qui euangelicam hiſtoriam heroico carmine complexus eſt: Arator qui Apoſtolorum ačtus, quos verſibus comprehenſos Vigilio ſummo Pontifici dicauit: Sedulius, Paulinus, Prudentius, Proſper, Lačtantius, Gregorius Nazianzenus, & ſuperioribus annis Baptiſta Mantuanus, Hieronymus Vida, Sanazarus, & alij, qui ſordidas Gentium muſas in Iordane mundarunt. Huc pertinent antiquorum Patrum cantica, quibus Deo gratias agere ſolebant, Moſis, Iſaiæ, Ezechiæ, Habacuc, Zachariæ, Deboræ, Annæ, & beatæ Virginis, & omnes Dauidis pſalmi, antiquæ & no-

& nouæ legis compendium: vt hic omittam Ieremiam, qui populi captiuitatem luctuoſam materiam, & Moſen qui hiſtoriam de Iobi patientia carmine complexi ſunt. Non obſcure, non ſordide, non ruſtice, ſed diſtincte, nitide, vrbane, & perſpicue laudauit Hieronymus Paulam, Ambroſius Agnetem, Principes Apoſtolorum Leo, beatam Virginem Bernardus, Martinum Sulpicius, Tertullianus patientiam, Ephræm caritatem, Zeno fidem, & alij ſexcenti virtutes omnes, & præſertim religionem Chriſtianam, quam ornatiſſimis apologijs aduerſus doctos & eloquẽtes homines docte eleganterque præter alios defendit Apoſtolorum diſcipulus Quadratus: qui ſuis ſcriptis Adriani Cæſaris ſtrictum in Chriſtianos gladium impediuit. Quare, cum ſagaciſſimus Iulianus videret quantum antiqui Patres in dicendo valerent, hac vna via ſe maxime rem Chriſtianam labefactare & extinguere poſſe exiſtimauit, ſi bonarum artium ſtudia Chriſtianis interdiceret. Denique, ne in re manifeſta pluribus immorer, ſi templorum parietes artificioſe pinguntur, ſi ſignis & tabulis ornantur, ſi auro liniuntur; cur etiam diuina myſteria ornatis verbis ornari & illuſtrari non poterunt? Et ſane, quis non approbet eam orationem quæ ſenſim auditorem allicit, & idoneum ad audiendum reddit, quæ dilucide & veriſimiliter narrat, quæ prudẽter rationes collocat, quæ acriter confirmat, neruoſe refellit, quæ omnia apte concinnat & exornat, quæ denique cum ſenſu, cum motu concludit, & animos quo quo vult trahit & impellit?

Conueniens itaque & neceſſarium quondam fuit, vt quadam maiori verborum ſimplicitate fundaretur Eccleſia, vt diuini verbi vis facilius demonſtraretur: quondam, inquam, cum miraculis erat opus, cum in Eccleſia gratis data abundabant chariſmata, cum homines ſacro ſpiritu perfuſi variis loquebãtur linguis: at vero nunc, non ſunt miracula expectanda, ſed humana cura cum Dei auxilio iungenda eſt, linguæ diſcendæ, ſermo parãdus, & quid dicere oporteat cogitandum ac perpendendum.

Quod vero ad auctoritates quæ contra nos facere videntur attinet, quaſdam afferam communes ſolutiones, quibus facile omnes explicari poterunt. Quando igitur aliqui Patres videntur non approbare, aut nõ requirere in Scriptore, ſiue Oratore Chriſtiano eloquentiam, intelligendi ſunt de nimio & ſuperfluo ſophiſticoque orationis cultu: intelligi etiam poſſunt comparate, quod magis approbent quandam ſimplicitatem cum veritate, quam cultum ſine vlla ſubiecta ſententia: vel eos damnant, qui

ideo

ideo ornatû delectantur, vt inanem inde gloriam conſequantur; & eos, qui magis de orationis cultu, quam de morum integritate, & eos qui magis de verbis, quam de rebus ſunt ſoliciti; præſertim, cum plane & breuiter quippiam docendum eſt; eos deniq; qui dicendi copia abutuntur: vt omittam, quod aliqui ita loquuntur, vt ſe excuſent, ſi non omnino pure ſcribunt: cum eloquentiæ operam non dediſſent; in quam, qui ad Dei gloriam, & ad hominum ſalutem ſtudium collocauerit; is nullo modo vituperandus erit. Quam ideo Hidelbertus a monaſterio reiiciendam putauit, quod iis qui contemplationi potiſſimum vacant, & in concionem non veniunt, non ſit neceſſaria; cum eius nullus ferè ſit vſus in vmbra: ni quis ſcribendo aliquid poſteritati relinquere vellet; vt inter alios Franco Abbas, non minus eloquenter, quam doctè, de gratia Dei ſcribendo, fecit. Vno itaque vel alio ex allatis modis allatas explicares auctoritates.

Quod vero ad rationes attinet, de prima, fatemur a principio rectè dicendi curam aliquid impedimenti afferre poſſe: vbi tamen dicendi conſuetudo acceſſerit, & ars in naturâ migrauerit, bene loquendi rationes ſua ſponte occurrent, & quæ ſunt excogitata, & quæ ſpiritus repente ſuggeret, vberius & neruoſius, & ad docendum mouendumque accommodatius dicentur. Verum, ſi a primis annis bonæ diſcerentur artes, ſi in vmbra qui volunt publice dicere ſub bono dicendi artifice prius ſeſe exercerent; cum in publicum vna cum ſpiritu vitæque integritate & recta intentione veniretur, nullum intercederet impedimentum. Cæterum illud eſt, quo omnia peruertuntur, quod ij dicere volunt, qui nunquam dixerunt, & ij fieri magiſtri, qui nunquam fuerunt diſcipuli.

De ſecunda, vim quidem præcipuam diuino ſpiritui, vt poſtea planius dicetur, tribuimus; qui tamen, vt ſupra docuimus, naturam, & artem naturæ imitatricem non deſtruit, non reiicit, ſed aſſumit, & perficit. Nec tam obſeruandum eſt quid ſpiritus, qui vbi vult ſpirat, in aliquo priuato homine, ſingulari dono, poſſit efficere, quam id quod omnia ſuauiter diſponendo & regendo vniuerſe efficit. Sed hac de re poſtea latius.

De vltima, facile hanc rationem inuerteres; ideo vtendum eſſe, quia aduerſarij vtuntur. Vt enim illi eloquentiæ viribus ſe falſitatem melius docere poſſe arbitrantur; ita, & multo magis, ueritatis aſſertor, eadem dicendi ui, ueritatem ſe a calumniis tueri poſſe exiſtimare debebit. Et ſane, quis tam bardus eſſet, qui

 cum

cum uideret Chriſtianos a Turcis Bombardis oppugnari, earum uſum Chriſtianis denegaret?

Dari eloquentiam quandam diuinam, eaque uti licere exemplis quibuſdam demonſtratur. CAP. III.

VT adhuc multo apertius quæ hactenus docuimus, contra multorum opinionem, uera eſſe demonſtrētur; quibuſdam diuinorum Concionatorum exemplis ea hoc capite priuatim confirmare nitemur; atque primum Chriſti omnium Concionatorum principis ac magiſtri.

Quód ergo Recuperator noſter non inerudité, non inculte, & indecore dixerit, tum ex eius concionibus, tum quibuſdam teſtimoniis oſtendere licet. Quod ad conciones attinet, cum omnis recta dicendi ratio in eo ſita ſit, ut pro ratione rerum, perſonarum, locorumque, uel ſummiſſé, uel mediocriter, uel grauiter & ad perſuadendum apte dicamus, quando apud idiotas & ſimplices agebat, ad quos priuatim ſe miſſum fuiſſe teſtatus eſt, ac proinde aliquando ſcriptum fuit, Et cum ſimplicibus ſermocinatio eius, perſpicue, clare, ſimpliciter, & erudite, dicebat. Hoc obſeruare licet in illo perſpicuo, facili, erudito, atque ſuaui ſermone in monte habito, cum aperiens os ſuum docebat eos. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: in quo ſermone eas omnes animaduerteres orationis virtutes, quas genus dicendi tenue ac ſummiſſum requirit; ſi late in eo rhetoricari velles. Vbi plane proponit, & perſpicue, eruditeque exponit, & aptiſſime ad ſimplicem turbam erudiendam docet. Vbi eloquentiam quandam ſimplicem, naturalem, ſynceram, non calamiſtris inuſtam, non aſperſam fuco, & phaleris inſtructam adhibuit: quæ tamen vim ad docendum & mouendum habebat: & ſpeciatim cum de inimicis diligendis, de eleemoſyna facienda, de nimia rerum comparandarum ſollicitudine abijcienda egit: vbi admirari licet partem illam, de multa cultus cura vitanda. Huc etiam referres tractationes parabolarum; ut ſeminantis vineæ, villici, viduæ & iudicis, ſerui nequam, operariorum, virginum prudentum & fatuarum, ac talentorum.

Iſai. 61. *Luc. 4.* *Prou. 3.* *Matt. 5.* *Matth. 6.* *Matth. 13.* *Marc. 12.* *Luc. 16.*

Temperato ac mediocre dicendi genere non vno in loco, Sapientia illa ſingularis, quæ non potuit non eloquenter & apte dicere, vſa eſt; & ſpeciatim in ſermone illo, quem ad ſuos Apoſtolos

Ioan. 14. & 15.

ſtolos in cœna habuit: quo ſuum erga eos amorem curamque efficaciſſime, & aptiſſime demonſtrauit: cuius ſermonis artificium, energiam, & vigorem a pio lectore obſeruari cuperem.
Matth. 20. & 14. Huc referres encomium, quo Ioannem laudauit, Magdalenæ commendationem, & explicationem calamitatum Iudæis imminentium, & nonnullos alios huius generis ſermones.

Mat. 12. 23 Genere etiam dicendi graui ac vehementi cum oportuit vſus eſt; vt cum Scribarum & Phariſæorum oſtentationem ambitionem, immanitatem, & errores redarguebat. In ſumma, ne inexplicabilem Chriſti in dicendo eloquentiam & aptitudinem explicare velle videar, omnia proprie, omnia perſpicue, omnia ornate, vt talem perſonam decebat, omnia cum decoro enuntiabat: aptis parabolis illuſtrabat, idoneis exēplis amplificabat, & metaphoris ſuauiſſimis exornabat: vt nulla maior excogitari potuerit in dicendo congruentia, & eloquentia; ſi quis perſonas, res, & cætera attributa ſpectauerit. Vt itaque non debuit ſophiſtica quadam elegantia, & inani verborum fuco, atque delicata concinnitate vti; ita nec perturbate, nec incondite, nec ruſtice loqui; ne exiliter, & inepte opus ſibi a Patre de vera doctrina enuntianda, exequeretur; ſed neruoſe & luculenter. Cum itaque apte ad docendum atque mouendum, quæ duo ſunt præcipua oratoris munera, diceret, etiam, vt oportebat, delectabat, cum hoc neceſſario illa conſequatur. Quid, ſi integras eius conciones haberemus?

Sed hanc de Chriſti ſumma in dicendo arte veritatem, quibuſdam auctoritatibus confirmemus. Huc primum facit illa a
Pſalm. 44. Dauide pronuntiata ſententia, in eo Pſalmo, in quo Chriſti laudes proſequitur, Diffuſa eſt gratia in labijs tuis; maxima nimirum ſermonis ſuauitas, non pueriliter & effœminate conquiſita, ſed natiua, ſibi & rebus congrua, grauitatis & dignitatis plena, non mollis & delicata, ſed firma & virilis: qua non blande aures captaret, ſed in intimos ſenſus ſua facilitate penetraret. Ac tale quiddam de eius corporis forma cogitandum eſt, cum in eodem Pſalmo dicatur, fuiſſe ſpecioſum formâ, præ filijs hominum. Hanc ſermonis Filij Dei ſuauitatem guſtaſſe exiſtimandum eſt, mulierem illam, quæ cum eum loquentem audiret, exclamauit,
Luc. 11. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti: in quæ verba, non tam ob res, quas fortaſſe non plane intelligebat, quam ob ſermonis ſuauitatem, qua capta fuerat, vt quidam pius auctor ad

notauit,

notauit, prorupit. Quod autem apte dixerit ad docendum, doctores illi, quibus cum in templo adoleſcens diſputauit, atteſtantur, quia ſtupebant ſuper prudentia & reſponſis eius: ac etiam illi, qui miſſi fuerant ad diſputandum cum eo, ut eum caperent in ſermone, qui victi redierunt, atque palam dixerunt, Nunquam ſic homo loquutus eſt. Denique, quod efficaciter dixerit ad mouendum, plane confeſſus eſt Apoſtolorum princeps, cum dixit, Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & duo illi diſcipuli, quibus expoſuit ſcripturas, cum dixerunt, Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? *Luc.2.* *Ioan.7.* *Ioan.6.* *Luc.24.*

Sed diceret hoc loco quiſpiam, hanc Chriſti vim in dicendo non fuiſſe in ſermone, ſed in poteſtate, qua etiam ventis imperabat, & miracula edebat: vt ſicuti ex eius veſtimentis vis quædam diuina fluebat, qua ſanabat omnes, ita ex eius voce & ſermone. Atqui, eſto id fieri potuerit; tamen, vniuerſe loquendo, non ita factum fuiſſe cum quibuſdam exiſtimarem, ac proinde dicerem, ſeſe, ob ſuam ſingularem atque immenſam ſapientiam, naturæ auditorum accommodaſſe, & eos in ſua libertate reliquiſſe, vt de eius doctrina iudicium facere poſſent: &, in ſumma, humano modo & dicendi ſtylo mouiſſe. Non ſecus ac Deus in operibus naturæ facit, quæ ſine agentibus naturalibus non producit, quamuis poſſit. Sine miraculo itaque, vniuerſe loquendo, auditorum animos permouebat: & ita potens erat ſermone, ob rerum bonitatem, delectum, ordinem, ob doctrinam, aptumq; eloquendi & agendi modum. Sed iam ad alia pergamus exempla. *Luc.6.*

Apte dicendi exempla ab ipſis etiam Chriſti diſcipulis ſumere licet; & quoniam de Paulo non nihil ſupra diximus, nunc illud ſolum cum quodam auctore addiderim, eum multis in locis maieſtate & excellentia orationis vti; vt, ſi eius orationem cum Demoſthenica conferas, multos grauiores locos apud eum reperias. Nunc ſplendide loquitur de ſuis periculis, ut cum ait, Puto enim quod Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, &c. Item, Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum: Sed in omnibus exhibeamus, &c. Item, Hebræi ſunt & ego: Iſraelitæ ſunt & ego, & quæ admirabiliter amplificata ſequuntur: Nunc præclarius de ſua conſtantia ſermonem habet, vt cum dicit, Quis ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti, &c. Nunc caritatem mirificis laudibus in cœlum tollit, Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem nō habuero, *1.Cor.4.* *2.Cor.6.* *2.Cor.11.* *Rom.8.*

& quæ ſequuntur: Et denique, longe præclarius Paulus de ſuo Euangelio, quam Demoſthenes de ſua lege loquitur; ut, nec etiã verborum dignitate eidem cedat; licet, auctoritatis & neceſſitatis gratia, formulis hebraicis interdum vtatur, nec elegantiæ flores ſectetur, quod nec perſonam quam gerebat, nec rem quam
Act. 4. tractabat, decebat. Nihil itaque eſt in Paulo, quem Lycaones ducem, hoc eſt principem & anteſignanum ſermonis, hoc eſt orationis appellarunt, quod non magnifice, non grauiter, non vehementer, & egregie dixerit. Subtiliter vbiq; docet, ſuauiter delectat, & efficaciter mouet; dum leniter hortatur, libere obiurgat, & acriter reprehendit: ornate rerum & perſonarum laudes prædicat, vt fidei, vt Chriſti: enucleate ſcri pturas exponit: humilia ſublimiter, & ſublimia humiliter tractat; & ita in eo tantum eloquentiæ lumen plerunque effulget, vt nihil maius, nihil magnificentius, nihil deſideres illuſtrius. Verum, magis vbiq; mentem complet, & animum delectat, quam aures, & maiorem rerum, quod prudentis Oratoris eſt, quam verborum curam habet: & verborum delicatam munditiem, fucatumq; ſplendorem minime neceſſarium non conſectatur.

Diuus Ioannes explicaturus ſingulare Dei donum quo genus humanum affecit, cum ad eius inſtaurationem ſuum filium in mundum miſit, ſingulari atque diuino vſus eſt dicendi genere, quo nihil grauius, nihil ſublimius excogitari poteſt. Grauiſſimo itaque ſtylo, Verbi maieſtatem, potentiam, & ſingularem in nos mortales curam deſcripſit; vt tandem poſt maximum verborum apparatum, præter omnem expectationem, concluderet,
Ioan. 1. Et Verbum caro factum eſt; & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi, hoc eſt vere, vnigeniti a Patre) plenum gratiæ & veritatis. Eodem artificio eademque dicendi ma-
Philip. 2. ieſtate, ad eandem rem probandam aliquando vſus eſt Paulus, cum ſcripſit, Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: Sed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu inuentus,
Hebr. 2. vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis, &c. Idem Ioannes in genere ſuaſionis verſando, mirifica dicendi aptitudine in ſua prima canonica fideles ad dilectionem eſt cohortatus: cuius oratione qui ad amãdum non permouetur, is ferreus eſt, cum perſpicue, ſuauiter, atque grauiter dicat.

Diuus Lucas, vt eius phraſim, quam multi iure commendant, & multa alia eiuſdem loca prætermittam, ita dilucide, ita probabiliter, ac prudenter noſtræ reparationis negotium deſcribit, vt ea narratione nihil poſſit fieri luculentius: dum accuratiſſime, perſonarum, temporis, loci, modique attributiones ob oculos posuit, cum ait, In menſe autem ſexto, &c. Et rurſus, Factum eſt autem, in diebus illis exijt edictum, &c. Apoſtolorum etiam Acta, vt diuinus hiſtoricus, quadam diuina ratione deſcribit. *Cap. 1.* *Cap. 2.*

Sed iam ex veteribus ſcriptoribus aliquot alia ſubijciamus exempla; in quibus ideo maius quoddam apparuit eloquentiæ lumen, maiorque copia, quod apud eum populum dicerent, qui res ſenſibus ſubiectas ſequebatur, & adamabat: ideoque genere dicendi ornatiore capiendus fuit. Eos itaque ad huiuſmodi populum docendum Deus adhibuit Concionatores, in quibus inſignis efflorescit eloquentia, ſermoque purus, vt eſt hebraicus, nulla alterius linguæ voce commaculatus, aut corruptus; id quod de nullo alio idiomate affirmares. Cum cæteræ linguæ, multa vocabula habeāt hebraica, vt noſtra Italica, racamare, taconare, corno, ſacco, buio, paſſo, & alia quæ longum eſſet recenſere.

An Iſaias eloquenter ſcripſerit, eius indicant conciones, & priuatim ea, quam habet in primo capite, cuius artificium, libro vltimo nos demonſtrabimus: Indicant etiā eiuſdem ampliſſimę & ornatiſſimæ deſcriptiones, quarum nonnullas infra afferemus, cum de amplificatione agemus, vt inter alias hieroſolymarię euerſionis hypotypoſis. *Iſai. c. 3.*

Ezechiel ita eſt copioſus & illuſtris, vt nihil vberius, nihil ſplédidius eo fieri poſſit; vt ſpeciatim intelligi licet ex illa admirabili oratione, qua prius Tyri celebritatem, opes, amplitudinemque deſcripſit, qua deſcriptione nihil in Latinis, nihil in Græcis ſcriptoribus inuenies locupletius & florentius; vt poſtea multo melius euerſionis eius magnitudinem ob oculos poneret. *Cap. 27.*

At, quid de illis diſputationibus & digreſſionibus quæ apud Iobum leguntur dicendum eſt? Quid planius? quid grauius? quid dulcius, eo encomio, quo ſuam eloquentiam prædicauit? cum dixit, Quando procedebam ad portam, & quæ apud ipſum ſplendide & ſententioſe ſequuntur. Conſule, amice Lector, execrationé diei in quo natus eſt: deſcriptiones omnipotentis Dei: hypotypoſes felicitatis, & calamitatis piorum, & impiorum: ſermones quibus ſuas ærumnas, ſuum priorem ſtatum, ſuam in- *Cap. 3.* *Cap. 11.* *Cap. 12. 24. & 27.*

Cap.6.& 7 pauperes miſericordiam, & denique diuinæ ſententiæ ſeueritatem, pingit; vt omittã quorundam animalium illuſtres picturas.

Cap.39.40. & 41. Denique, ne plura ſubijciam exempla, regij Vatis eloquentiam, quæ ſeſe, non ſecus ac radij ſolares in omnes partes effundit, qui non videt, is eſt cęcus, qui non guſtat, eſt ſtupidus, qui ea non permouetur, nullum ſenſum habet: cuius quanta ſit in dicendo diuinitas, non facile alterius ore ac ſtylo, quam eo, quo ipſe vſus eſt, explicares: cum vbique exemplis perſpicue doceat, ſimilitudinibus delectet, ſententiarum varietate capiat & detineat. Quare, quæ de eloquutione agendo afferemus verborum & ſententiarum lumina, & exornationes, potiſſimum ex eo ſumemus: cum Dauidicis ſcriptis nihil magis ornatum & illuminatum inueniri queat. Hebraicus itaque ſermo, quo vſi ſunt prophetæ eſt puriſſimus, proprius, & quaſi cum rebus ipſis natus: Genus tamen dicendi in varijs ſcriptoribus varium. Moſis oratio, vt quidam ſcribunt, ſimplex, propria: Dauidis carmen Atticum, hoc eſt purum, non nimium; venuſtum tamen & ornatum, amplificatumque, cum attice loqui, non ſit ieiune, ſicce, & inornate loqui. Iſaiæ ſermo ſplẽdidus, copioſus, & grãdis: Ezechielis valde ſublimis: Paulus ſono orationis grandi atq; copioſo vtitur; & ſuis in locis cum maieſtate dicit, tonat, ac fulminat. Concludere itaq; ruſus licet, vera eſſe quæ duobus capitibus ſupra demonſtrauimus, dari genus aliquod eloquentiæ diuinum, eiuſque vſum Concionatori non eſſe interdictum.

Cic. in Bru.

Theodoret.

Quare, nullus Concionator ſibi licere exiſtimet, ad ſuam ignauiam excuſandam, ruditer, ſpinoſe, impure, ruſtice & non accurate dicere. Nam, vt eloquia Dei quæ tractat, ſunt pura, & quouis argento ſepties in igne purgato ſynceriora; ſic etiam orationis genere caſto, ſano, integro, & perſpicuo enũciari & explicari debent: ne hæc vna ars, quando omnes aliæ hoc tempore priſtinam formam recuperaſſe videtur, in tanta præſertim concionatorum multitudine, remaneat deformata; & vinea Domini quaſi derelicta atque inculta. Prudens itaq; Concionator dicat ſapienter, dicat eloquenter, dicat etiam & eleganter, non tamen ea elegantia quæ ſit nimia cura & ſtudio conquiſita, quæ in diuini verbi miniſtro, immo in quouis oratore, magis latere, quam extare debet: vt non in ſapientia verbi, non in ſublimitate ſermonis, non in profanis vocum nouitatibus, & inanitatibus, vt nonnulli faciũt, ſed in ſpiritu, in virtute, in ſimplicitate, & veritate, quam maxime decet ſimplicitas & quaſi religio integritaſque

Pſal.11.

1.Co.1.2.4

2.Tim.6.

orationis, veniſſe videatur.

Sed peteret hoc loco quiſpiam, quid inter eloquẽtiam & elegantiam ſit diſcriminis; cui ſic ſatisfacerem: Elegantia deſignat concinnum & ornatum quẽdam dicendi ſtylum, delectandi cauſſa comparatum, qualis olim erat in Sophiſtis, & maiorem quandam in fucanda oratione diligentiam: Eloquẽtia vero ſermonem purum, caſtum, magis ſententijs & ipſo rerum genere, quam verborum coloribus ornatum: In elegantia eſt vis quædam delectandi, in eloquentia vis perſuadendi: illa ſplendet & nitet ad ſenſus inaniter detinendos, hæc flagrat & ardet ad animos permouendos: illa munditiem quandam oſtentat ſpecioſam, ſed hebetem plerumque atque exanguem; hæc impetu valet, ad auditorum mentes a ſcelere reuocandas, & ad honeſtatem excitandas, & in omnem partem flectendas, & impellendas: vt merito Oratorum princeps, Antonium, vt ſummum perfectumque oratorem laudauerit, quod ad iudicium animos permouendos quaſdam veluti orationis faces admoueret: illa denique ſeſe totam in floſculos profundit, hæc vero fructus maxime ſalutares effert. Quare, qui elegantia potiſſimum delectantur, genus dicendi conficiunt, quod græce, epidicticon nominatur, quaſi ad inſpiciendum delectationis cauſſa comparatum: genus inquam, orationis inſigne, florens, pictum, ceruſſatum; in quo omnes verborum & ſententiarum illigantur lepores; quod e Sophiſtarum fontibus defluxit in publicum, pompæ magis, quam pugnæ aptum, a grauibus & eloquentibus viris, e grauibus locis merito repulſum. Quandoquidem, cum concinnitudinis & elegantiæ ſtudium ſeſe oſtentat, neceſſe eſt res ipſas atque ſententias quibus ancillari ac ſeruire verba debent, tanquam maiori quodam lumine obrui & obſcurari. Quo fit, ut auditor a rerum conſideratione abductus, attentionem omnem transferat ad verba: non ſecus atque is, qui fœminam multo auro gemmiſque oneratam inſpiceret; qui non tam eius faciem, quam ornamenta ſpectaret. Denique, qui iſto dicendi genere utuntur, ſimiles videntur mulierculis, quæ quia natiua pulchritudine non multum ſibi ornatæ videntur, extrinſecus ſimulati medicamenta candoris & ruboris aſſumunt: vt quia naturæ beneficio tales non ſunt, artificioſo colore & ſpecie eſſe videantur. At vero qui eloquentia vtuntur, ſententiarum genere modoque dicendi apto, caſtam, dignamque efficiunt orationem; vt nõ ſint ſicut multi, adulterantes verbum Dei: cum videant ſibi magis docendum, mouendum-

Cic. in orat.

Cic.
Quint.

2. Cor. 2.

que populum, quam inani verborum fuco delectandum. Nec tamen ſiccitatem, ieiunitatem, & turpitudinem amant, cum animaduertant, tum naturam, tum artem in ſuis operibus aliquem ſparſiſſe colorem. Rerum naturæ accidentibus varijs veſtiuntur: oſſa neruis, carne, ſuauique colore, arbores, folijs, fructibus ornantur: pictores imagines, pharmacopolæ bellaria exornat, & coqui cibos apte ad guſtandum condiunt. Et cum humana mens ſuapte natura varietatem amet, non poteſt omnino non probare eam orationem, quæ aliqua varietate ſit diſtincta: quę non ſecus ſe ad intellectum habet, quam ad aſpectum colorum, & ad auditum ſonorum varietas. Prudens itaque & eloquens Concionator, ne ſui ſermonis fructum amittat, prudenter, ſuam orationem condit & ornat, & genus dicendi diuinum diuinoſque ſcriptores, quos eloquenter ſcripſiſſe hactenus demonſtrauimus, imitatur. Quod vt facilius facere poſſit, ei artem quandam in diuinis oraculis obſeruatam, deinceps, diuino auxilio freti, ob oculos ponere nitemur.

Quid ſit rhetorica diuina, & quomodo ab humana differat. *CAP. IIII.*

CVM itaque exploratum ſit, dari genus quoddam eloquentię diuinum, diuiniſque Oratoribus eloquentię vſum non eſſe interdictum; auſpice eo ſpiritu, qui eloquentię in diuinis ſcripturis contentę extitit auctor, de diuina eloquentia, deque Oratore diuino agere aggrediamur. Et, vt plane atque perſpicue quę docturi ſumus explicentur, primum totius operis propoſitum ſcopum, & maiores partes ob oculos ponam: Deinde, quid ſit diuina eloquentia, diuinuſque Orator, quod eius officium, qui finis, & quę in eo deſiderentur virtutes: Poſtea ſingula totius operis membra ſuo ordine explanabo.

De primo, is in hac ſcriptione nobis propoſitus eſt ſcopus, vt ex diuinis literis bene dicendi artificiũ colligendo, genus quoddam eloquentię diuinum oſtendamus: ſicuti Hermogenes ex Demoſthenis orationibus genus dicendi Demoſthenicum demonſtrauit; & vt Oratorem quendam diuinum, quem alij Eccleſiaſticum appellant, informemus. Ad quod faciẽdum, in primo libro, demonſtrata huius artis dignitate atque difficultate, quę in tali Oratore deſiderentur partes, eas exponam: In ſecundo, de ſubie-

cta materia, ſiue de quæſtionibus quas tranctandas Concionator ſuſcipit,& de locis ad eas explicandas, ſiue de Inuentione agetur: In tertio, de ratione diſponendarum concionum, ſiue de Diſpoſitione, tum generatim, tũ ſpeciatim: In quarto de amplificandi ratione, ac de mouendis affectibus: In quinto de Elocutione, ſiue de omnibus, tum verborum, tum ſententiarum figuris & ornamentis,& de concinne apteq; dicẽdo: In ſexto de actione, atque memoria. In ſeptimo, de ratione acquirendæ obſeruandęque eloquentiæ.

Rurſus, totum hoc opus in duas primas partes diſtribui poteſt: in quarum prima ea docentur, quæ ad huius artis naturam, & ad eius qui hac arte vtitur partes & conditiones pertinent; quã partem Græci pędiam vocant: in altera vero res ipſa ſubiecta explicatur,& præcepta traduntur. Primam primo libro, poſteriorem in reliquis, ordine iam dicto, exponam. Et quamuis de Rhetorica diuina multa diſputari poſſent: tamen, quia illa communia fere ſunt cum arte dicendi humana, de qua nos latiſſime in libris Rhetoricis diſſeruimus; ideo in præſentia pauca quædam dicemus. Ea vero quæ ad Oratorem diuinum inſtituendum pertinent, cum eius ſint propria, paullo ſuſius explicabuntur. Et vt primum aggrediamur, Rhetoricam diuinam ad hunc modum deſcriberes.

Rhetorica diuina, eſt doctrina ſiue facultas bene dicendi de rebus diuinis, ex diuinis literis collecta, & ad hominum ſalutem, ſiue ad Eccleſię conſtitutionem perfectionẽq; ordinata. Dicitur doctrina, ratione præceptorum ex quibus conficitur: quæ ex diuinis ſcriptoribus ſunt collecta. Dicitur, ſiue facultas, ratione eius qui hac arte vtitur, in quo non ſolum dicendi ratio, ſed etiã rerum dicendarum notitia requiritur: vnde quædam vis exoritur, vt recte de rebus diuinis, quæ ſunt huic facultati ſubiectæ diſſerere ac dicere queat. Dicitur, ex diuinis literis, vt oſtendatur origo,& diſtinctio ab humana rhetorica, quæ ex humanis literis hauritur. Dicitur, ad hominum ſalutem, vt oſtendatur finis, quo tandem omnis Oratoris diuini dictio referenda eſt. Ex qua deſcriptione, vtcunque conflata, nec enim nunc definiendi præcepta religioſe ſeruanda putauimus, colligere licet, quænam ſint cauſſæ ex quibus hæc ars conficitur.

Materia quam docet & exponit, ſunt ipſa bene dicendi præcepta, ſiue elegans & ornata oratio: materia in qua verſatur, & quam tractat, res diuinæ,& quæ ad hominum ſalutem pertinent.

Forma, quod ſit doctrina, ſiue ars quædam ad certam methodum redacta, ſiue certa dicendi ratio, ad certum finem conſequendum accommodata. Efficiens, partim eſt ipſe Deus primus librorum ſacrorum, ex quibus collecta eſt, auctor; ac etiam diuini ſcriptores, quorum dicendi arte diuinus ſpiritus eſt vſus: partim vero præceptorum obſeruatio atque collectio. Quare, vt ad hanc diuinam bene dicendi rationem diuinis oraculis contentam, exprimendam, non ſolum diuina, ſed etiam humana vis aliquo modo iuuit; ita ad artem ipſam componendam, humana ſcribēdi ratio iuuare potuit, ac debuit. Propterea nos collegimus quidem omnem inueniendi & eloquēdi vim ex diuinis ſcriptis, & ſermonibus: at vero artis huius conſtruendæ formam ab humana ratione, humaniſque magiſtris deprōpſimus. Huius artis finis eſt earum rerum perſuaſio, quæ ad felicitatem conſquendam conferunt: eius vero qui hac arte vtitur ſcopus, Dei gloria; ita vt velit homines ſaluos fieri, idq; in Dei gloriā, ob quam Deus, cuius perſonam diuinus gerit Orator, fecit & ſcripſit omnia. Verum, quæ nunc breuiter de cauſſis Rhetoricæ diuinæ diximus, infra latius explicabuntur.

Malac. 2. Diuinus Orator, quem cum quodam propheta, Angelum Domini appellares, eſt vir chriſtianis virtutibus ornatus, atque ſcientia arteque dicendi diuina preditus. Hanc deſcriptionem paullo infra late exponemus, cum quæ in eo deſiderantur, manifeſtabuntur. Eius officium, eſt apte dicere ad perſuadendum ea quæ ſunt homini ad ſalutem conſequendam neceſſaria; ſeu ad
1. Cor. 12. perficiendum corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia: Vel certe, inuenire, diſponere, eloqui, & memoriter pronunciare, quæ ſunt ad ſuū finem conſequendum accommodata: ſiue docere, delectare, & mouere. Finis vero, ea quæ diximus, in gloriam Dei perſuadere, vt poſt accuratius dicetur.

Atq; ex his colligere licet, quo pacto Rhetorica diuina & humana, & celeſtis politicuſque Orator inter ſe differant. Differunt in primis hę duę dicendi facultates, materia; quia vna in rebus verſatur humanis; altera potiſſimum in diuinis, vel in humanis, vt ad diuina referuntur. Deinde differunt forma, quia non eandem prorſus rationem formandę orationis docent; vel quia vna eſt humana, altera vero bona ex parte diuina. Differūt poſtea, cauſſa conficiente, quia, ut diximus, non ex eadem proficiſcuntur cauſſa. Poſtremo, ut alia diſcrimina omittam, diſtinguuntur fine, vt ex dictis patet. Qui his artibus vtuntur, multis etiam modis di-

dis diſtinguuntur, quos nunc recenſere nihil eſt neceſſe: partim, quia colliguntur ex dictis; partim vero quod ex ijs quæ de boni Concionatoris virtutibus dicentur, innoteſcent.

Sed peteret hoc loco quiſpiam, quid hæc noſtra Rhetorica, quam appellamus diuinam, differat ab ea, quam alij eccleſiaſticam appellant; cum eandem habeant ſubiectam materiam, eundemque finem, & reliqua omnia eadem. Primum dicerem, nihil, quod ad ſubſtantiam attinet, differre: ac proinde, eam quam alij ſcripſerunt poſſe appellari diuinam, & noſtram eccleſiaſticam; ita vt Eccleſiaſticus & diuinus Orator ſint idem. Deinde dicerem, noſtram ab ea, quam alij ſcripſerunt, in eo maxime differre, quod illi bene dicendi artem non ex diuinis ſcripturis confecerint, neque in diuinis libris oſtenderint, vt nos fecimus: qui omnem inueniendi & eloquendi facultatem ex diuinis ſermonibus deſumpſimus; at illi partim ex antiquorum Patrum monumentis, partim ex profanis auctoribus. An magis illorum, quam noſtri probandi ſint conatus, aliorum eſto iudicium. Illud ſolum affirmauerim, quoſdam ex illis aliquando deſideraſſe, vt aliquis extaret, qui concionandi artem ex diuinis literis demonſtraret. Id nos, vt ſupra diximus, nobis propoſuimus, an aſſequuti fuerimus, alij iudicabunt. Quod, ſi quid vtilitatis hic noſter conatus ijs qui in diuino dicendi officio uerſari volunt, attulerit, id totum Deo acceptum referant. Atque his de Rethorica diuina breuiter præmiſſis, id quod ſecundo loco explicandum propoſuimus aggrediamur. *Ludo. Gran.*

Quanta ſit artis concionandi præſtantia. *Cap. V.*

INTEGRVM opus conficerem, ſi quod explicandum propoſui caput, id fuſe tractare vellem. Solum itaque locos quoſdam attingam, quibus Concionatorij muneris præſtantiam, vt deſides ad tantum opus alliciantur, paucis demonſtrabo: vt huius rei dignitate perſpecta, in Eccleſia non deſint, qui hoc munus, quo magis neceſſarium nullum aliud inuenies, pro dignitate exerceant.

Supponimus itaque huius functionis neceſſitatem, quæ tanta eſt, vt ſine ea ſalutem conſequi poſsit nemo. Quandoquidem ſcriptum eſt, ſine fide neminem Deo placere poſſe; quæ non habetur niſi per auditum: auditus autem non eſt, vt Paulus ait, ſine concionante. Neceſſaria igitur concio: & quidem multo ma- *Hebr. 11.* *Rom. 8.*

gis,

gis,quam baptiſmus : ſine cuius ſuſceptione poteſt aliquis ſa-
Bernard. lutem conſequi;quam,qui verbum diuinum non audiuerit,con
ſequitur nemo. Quamuis ergo ſola neceſſitas homines ad hoc
officium exercẽdum commouere deberet : tamen,ne quis,quod
minus dignum ac ſublime eſſe putet, illud refugiat, aut negli-
gat,præſtantiſſimum atque digniſſimum eſſe demonſtremus.

Primo, cum Concionator in republica Chriſtiana Oratoris
Cice. libr. 1. orat. perſonam agat,& oratorium munus in omni libera & bene in-
ſtituta ciuitate, & apud omnes populos ſemper in ſummo ho-
nore habitum fuerit, primumque locum obtinuerit , ac floue-
rit; cum & tempore belli & pacis,& in omni vitæ vſu pluri-
mum valeat,atque omnem in partem iuuet;profecto concionan
di ars in republica omnium præſtantiſſima,vt eſt Chriſtiana,ma
xime digna,& illuſtris exiſtimanda erit ; & eo magis, quam hu
mana dicendi facultas,quo grauiores cauſſas tractat, & ob di
gniorem finem,aliaſque rationes,quas ſtatim ſubiiciam.

Secundo,non poteſt non eſſe maxime digna ea ars, quam vi-
ri doctiſſimi,optimi,atque diuini exercuerunt,vt omnes Eccle-
ſiæ doctores,Chryſoſtomi,Baſilij,Gregorij,Auguſtini, Ambro-
ſij,omnes Prophetæ , omnes Apoſtoli,omnes Pontifices, & ho-
rum omnium magiſter & caput Chriſtus verus Dei filius,qui in
hunc mundum ad hoc munus obeundum potiſſimum venit; vt
hominum genus doceret ; de quo apud Dauidem his verbis glo
riatur , Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion mon-
Psal. 2. tem ſanctum eius,prædicans præceptum eius . Quis ergo non
exiſtimet eam functionem digniſsimam , de qua tanta maieſtas
gloriam capit ? Et eius diſcipulus , ac Gentium doctor Paulus ,
1. Cor. 1. Non me miſit Chriſtus baptizare,ſed euangelizare. Huc etiam
facit,quod beatæ illæ mentes & cœleſtes ſpiritus qui diuinæ ma
Heb. 1. ieſtati aſsiſtunt,humanæ ſalutis, hominum animos illuſtrando
atque docendo, miniſtri dicuntur . Cum itaque hoc munus ſit
propheticum,apoſtolicum,pontificium, angelicum,chriſtianũ,
atque diuinum , non poterit non eſſe digniſsimum , atque om-
nium præſtantiſsimum . Quare,qui in eo pro dignitate verſan-
tur,omni honorum genere afficiendi , & omni laudum cumulo
ornandi erunt. Vt iure optimo aliquando illud ſingulare virtu-
tum omnium exemplar Iobus,non ſine cauſa , ex hoc loco de ſe
Cap. 29. his verbis,prædicauerit,Quando procedebam ad portam ciuita-
tis,& in platea parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes,
& abſcondebantur,& ſenes aſſurgentes aſtabant,Principes ceſ-

ſabant

ſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo. Vocem ſuam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus audiens teſtimonium, reddebat mihi. Et paullo infra, Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum. Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant, quaſi ad inbrem ſerotinũ. Hæc eadẽ verba cũ modeſtia, in gloriã Dei, bonus Concionator diuina eloquentia præditus, vſurpare poſſet. Et ſane, nihil poteſt excogitari magnificentius, quam alijs omnibus tacentibus, copioſe, grauiter, de rebus grauibus & magnis dicere. *Cicero.*

Tertio, Concionatores ſunt tanquam Legati & nuncij Dei, ad res grauiſſimas tractandas ad homines miſſi, & ita legationis officio, quod ſemper præſtantiſſimum atque digniſſimum habitum fuit, funguntur. Huc facit illud Malachiæ, Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: Cur autem id fieri debeat, ea ſubditur ratio, Quia Angelus Domini exercituum eſt, id eſt, Dei legatus & nuncius. Cuius legationis dignitas tribus ex rebus colligi poteſt: Ex perſona mittentis Dei, Patris, Filij, & Spiritus ſancti: ex parte eorum ad quos mittitur, hominum nimirum, qui ſunt creaturæ omnium præſtantiſſimæ, Chriſti fratres, Dei filij, & Dij: denique ex parte rei, quam nuntiant, ex Euangelio & gratiſſimo illo nuntio, negotioque, in quo de pace cum Deo facienda, de Inimico vincendo, & de æterna felicitate acquirenda agitur. *Cap. 2. diſt. 36. can. 5.*

Quarto, ex ijs quæ ſacræ literæ dicere ſolẽt de illis, qui in hoc verſantur munere: Et vt ex multis locis vnum vel alterum attingam; Quam pulchri ſuper montes, inquit Iſaias, pedes annuntiantis, & prædicantis pacem? annuntiatis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus, & quæ ibi ſequuntur: qui locus eſt ad hanc rem probandam egregius, quo in eundem finem epiſtola ad Romanos vſus eſt Apoſtolus. Et apud Danielem, Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Sunt ergo Concionatores in Eccleſia, quę eſt ſpirituale firmamentum, velut lucidæ ſtellæ, quæ in nocte huius vitæ iter facientibus lumen præbent. Huc pertinent epitheta illa, quę a diuinis ſcriptoribus ijs qui in concione verſantur, tribuuntur; dum lucerna, lux, ſol, ſal mundi, nubes, flumina, montes qui *Iſai. 52. Rom. 10. Cap. 12.*

ideo ornatu delectantur, vt inanem inde gloriam conſequantur; & eos, qui magis de orationis cultu, quam de morum integritate, & eos qui magis de verbis, quam de rebus ſunt ſoliciti; præſertim, cum plane & breuiter quippiam docendum eſt; eos denique, qui dicendi copia abutuntur: vt omittam, quod aliqui ita loquuntur, vt ſe excuſent, ſi non omnino pure ſcribunt: cum eloquentiæ operam non dediſſent; in quam, qui ad Dei gloriam, & ad hominum ſalutem ſtudium collocauerit; is nullo modo vituperandus erit. Quam ideo Hidelbertus a monaſterio reiiciendam putauit, quod iis qui contemplationi potiſſimum vacant, & in concionem non veniunt, non ſit neceſſaria; cum eius nullus ferę ſit vſus in vmbra: ni quis ſcribendo aliquid poſteritati relinquę re vellet; vt inter alios Franco Abbas, non minus eloquenter, quam docte, de gratia Dei ſcribendo, fecit. Vno itaque vel alio ex allatis modis allatas explicares auctoritates.

Quod vero ad rationes attinet, de prima, fatemur a principio recte dicendi curam aliquid impedimenti afferre poſſe: vbi tamen dicendi conſuetudo acceſſerit, & ars in naturam migrauerit, bene loquendi rationes ſua ſponte occurrent, & quæ ſunt excogitata, & quæ ſpiritus repente ſuggeret, vberius & neruoſius, & ad docendum mouendumque accommodatius dicentur. Verum, ſi a primis annis bonæ diſcerentur artes, ſi in vmbra qui volunt publice dicere ſub bono dicendi artifice prius ſeſe exercerent; cum in publicum vna cum ſpiritu vitæque integritate & recta intentione veniretur, nullum intercederet impedimentum. Cæterum illud eſt, quo omnia peruertuntur; quod ij dicere volunt, qui nunquam dixerunt, & ij fieri magiſtri, qui nunquam fuerunt diſcipuli.

De ſecunda, vim quidem præcipuam diuino ſpiritui, vt poſtea planius dicetur, tribuimus; qui tamen, vt ſupra docuimus, naturam, & artem naturæ imitatricem non deſtruit, non reiicit, ſed aſſumit, & perficit. Nec tam obſeruandum eſt quid ſpiritus, qui vbi vult ſpirat, in aliquo priuato homine, ſingulari dono, poſſit efficere, quam id quod omnia ſuauiter diſponendo & regendo vniuerſe efficit. Sed hac de re poſtea latius.

De vltima, facile hanc rationem inuerteres; ideo vtendum eſſe, quia aduerſarij vtuntur. Vt enim illi eloquentiæ viribus ſe ſalſitatem melius docere poſſe arbitrantur; ita, & multo magis, veritatis aſſertor, eadem dicendi ui, veritatem ſe a calumniis tueri poſſe exiſtimare debebit. Et ſane, quis tam bardus eſſet, qui

cum

cum uideret Chriſtianos a Turcis Bombardis oppugnari, earum uſum Chriſtianis denegaret?

Dari eloquentiam quandam diuinam, eaque vti licere exemplis quibuſdam demonſtratur. CAP. III.

VT adhuc multo apertius quæ hactenus docuimus, contra multorum opinionem, uera eſſe demonſtrētur; quibuſdam diuinorum Concionatorum exemplis ea hoc capite priuatim confirmare nitemur; atque primum Chriſti omnium Concionatorum principis ac magiſtri.

Quod ergo Recuperator noſter non inerudite, non inculte, & indecore dixerit, tum ex eius concionibus, tum quibuſdam teſtimoniis oſtendere licet. Quod ad conciones attinet, cum omnis recta dicendi ratio in eo ſita ſit, ut pro ratione rerum, perſonarum, locorumque, uel ſummiſſe, uel mediocriter, uel grauiter & ad perſuadendum apte dicamus, quando apud idiotas & ſimplices agebat, ad quos priuatim ſe miſſum fuiſſe teſtatus eſt, ac proinde aliquando ſcriptum fuit, Et cum ſimplicibus ſermocinatio eius, perſpicue, clare, ſimpliciter, & erudite, dicebat. Hoc obſeruare licet in illo perſpicuo, facili, erudito, atque ſuaui ſermone in monte habito, cum aperiens os ſuum docebat eos. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum: in quo ſermone eas omnes animaduerteres orationis uirtutes, quas genus dicendi tenue ac ſummiſſum requirit; ſi late in eo rhetoricari velles. Vbi plane proponit, & perſpicue, eruditeque exponit, & aptiſſime ad ſimplicem turbam erudiendam docet. Vbi eloquentiam quandam ſimplicem, naturalem, ſynceram, non calamiſtris inuſtam, non aſperſam fuco, & phaleris inſtructam adhibuit: quæ tamen vim ad docendum & mouendum habebat: & ſpeciatim cum de inimicis diligendis, de eleemoſyna facienda, de nimia rerum comparandarum ſollicitudine abijcienda egit: vbi admirari licet partem illam, de multa cultus cura vitanda. Huc etiam referres tractationes parabolarum; vt ſeminantis vineæ, villici, viduæ & iudicis, ſerui nequam, operariorum, virginum prudentum & fatuarum, ac talentorum.

Temperato ac mediocre dicendi genere non vno in loco, Sapientia illa ſingularis, quæ non potuit non eloquenter & apte dicere, vſa eſt; & ſpeciatim in ſermone illo, quem ad ſuos Apoſtolos

Iſai. 61. Luc. 4. Prou. 3. Matt. 5. Matth. 6. Matth. 13. Marc. 12. Luc. 16. Ioan. 14. & 15.

ſtolos in cœna habuit: quo ſuum erga eos amorem curamque efficaciſſime, & aptiſſime demonſtrauit: cuius ſermonis artificium, energiam, & vigorem a pio lectore obſeruari cuperem.
Matth. 20. & 14. Huc referres encomium, quo Ioannem laudauit, Magdalenæ commendationem, & explicationem calamitatum Iudæis imminentium, & nonnullos alios huius generis ſermones.

Genere etiam dicendi graui ac vehementi cum oportuit vſus
Mat. 12. 23 eſt; vt cum Scribarum & Phariſæorum oſtentationem ambitionem, immanitatem, & errores redarguebat. In ſumma, ne inexplicabilem Chriſti in dicendo eloquentiam & aptitudinem explicare velle videar, omnia proprie, omnia perſpicue, omnia ornate, vt talem perſonam decebat, omnia cum decoro enuntiabat: aptis parabolis illuſtrabat, idoneis exẽplis amplificabat, & metaphoris ſuauiſſimis exornabat: vt nulla maior excogitari potuerit in dicendo congruentia, & eloquentia; ſi quis perſonas, res, & cætera attributa ſpectauerit. Vt itaque non debuit ſophiſtica quadam elegantia, & inani verborum fuco, atque delicata concinnitate vti; ita nec perturbate, nec incondite, nec ruſtice loqui; ne exiliter, & inepte opus ſibi a Patre de vera doctrina enuntianda, exequeretur; ſed neruoſe & luculenter. Cum itaque apte ad docendum atque mouendum, quæ duo ſunt præcipua oratoris munera, diceret, etiam, vt oportebat, delectabat, cum hoc neceſſario illa conſequatur. Quid, ſi integras eius conciones haberemus?

Sed hanc de Chriſti ſumma in dicendo arte veritatem, quibuſdam auctoritatibus confirmemus. Huc primum facit illa a
Pſalm. 44. Dauide pronuntiata ſententia, in eo Pſalmo, in quo Chriſti laudes proſequitur, Diffuſa eſt gratia in labijs tuis; maxima nimirum ſermonis ſuauitas, non pueriliter & effœminate conquiſita, ſed natiua, ſibi & rebus congrua, grauitatis & dignitatis plena, non mollis & delicata, ſed firma & virilis: qua non blande aures captaret, ſed in intimos ſenſus ſua facilitate penetraret. Ac tale quiddam de eius corporis forma cogitandum eſt, cum in eodem Pſalmo dicatur, fuiſſe ſpecioſum formâ, præ filijs hominum. Hanc ſermonis Filij Dei ſuauitatem guſtaſſe exiſtimandum eſt, mulierem illam, quæ cum eum loquentem audiret, exclamauit,
Luc. 11. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti: in quæ verba, non tam ob res, quas fortaſſe non plane intelligebat, quam ob ſermonis ſuauitatem, qua capta fuerat, vt quidam pius auctor ad notauit,

notauit,prorupit. Quod autem apte dixerit ad docendum, doctores illi, quibus cum in templo adoleſcens diſputauit,atteſtantur, quia ſtupebant ſuper prudentia & reſponſis eius: ac etiam illi, qui miſſi fuerant ad diſputandum cum eo, ut eum caperent in ſermone, qui victi redierunt,atque palam dixerunt, Nunquam ſic homo loquutus eſt. Denique,quod efficaciter dixerit ad mouendum,plane confeſſus eſt Apoſtolorum princeps, cum dixit,Ad quem ibimus?verba vitæ æternæ habes: & duo illi diſcipuli, quibus expoſuit ſcripturas,cum dixerunt, Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis,dum loqueretur in via,& aperiret nobis ſcripturas? *Luc.2.* *Ioan.7.* *Ioan.6.* *Luc.24.*

Sed diceret hoc loco quiſpiam, hanc Chriſti vim in dicendo non fuiſſe in ſermone,ſed in poteſtate, qua etiam ventis imperabat,& miracula edebat: vt ſicuti ex eius veſtimentis vis quædam diuina fluebat, qua ſanabat omnes,ita ex eius voce & ſermone. Atqui,eſto id fieri potuerit;tamen,vniuerſe loquendo,non ita factum fuiſſe cum quibuſdam exiſtimarem, ac proinde dicerem, ſeſe, ob ſuam ſingularem atque immenſam ſapientiam, naturæ auditorum accommodaſſe, & eos in ſua libertate reliquiſſe, vt de eius doctrina iudicium facere poſſent: &,in ſumma,humano modo & dicendi ſtylo mouiſſe. Non ſecus ac Deus in operibus naturæ facit,quæ ſine agentibus naturalibus non producit,quiuis poſſit. Sine miraculo itaque, vniuerſe loquendo,auditorum animos permouebat:& ita potens erat ſermone, ob rerum bonitatem,delectum,ordinem, ob doctrinam, aptumq; eloquendi & agendi modum. Sed iam ad alia pergamus exempla. *Luc.6.*

Apte dicendi exempla ab ipſis etiam Chriſti diſcipulis ſumere licet; & quoniam de Paulo non nihil ſupra diximus, nunc illud ſolum cum quodam auctore addiderim, eum multis in locis maieſtate & excellentia orationis vti; vt, ſi eius orationem cum Demoſthenica conferas, multos grauiores locos apud eum reperias. Nunc ſplendide loquitur de ſuis periculis, ut cum ait,Puto enim quod Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, &c. Item, Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum:Sed in omnibus exhibeamus,&c. Item, Hebræi ſunt & ego:Iſraelitæ ſunt & ego,& quæ admirabiliter amplificata ſequuntur: Nunc præclarius de ſua conſtantia ſermonem habet,vt cum dicit,Quis ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti, &c. Nunc caritatem mirificis laudibus in cœlum tollit, Si linguis hominum loquar & Angelorum,caritatem autem nō habuero, *1.Cor.4.* *2.Cor.6.* *2.Cor.11.* *Rom.8.*

& quæ ſequuntur: Et denique, longe præclarius Paulus de ſuo Euangelio, quam Demoſthenes de ſua lege loquitur; ut, nec etiã verborum dignitate eidem cedat; licet, auctoritatis & neceſſitatis gratia, formulis hebraicis interdum vtatur, nec elegantiæ flores ſectetur, quod nec perſonam quam gerebat, nec rem quam
Act. 4. tractabat, decebat. Nihil itaque eſt in Paulo, quem Lycaones ducem, hoc eſt principem & anteſignanum ſermonis, hoc eſt orationis appellarunt, quod non magnifice, non grauiter, non vehementer, & egregie dixerit. Subtiliter vbiq; docet, ſuauiter delectat, & efficaciter mouet; dum leniter hortatur, libere obiurgat, & acriter reprehendit: ornate rerum & perſonarum laudes prædicat, vt fidei, vt Chriſti: enucleate ſcripturas exponit: humilia ſublimiter, & ſublimia humiliter tractat; & ita in eo tantum eloquentiæ lumen plerunque effulget, vt nihil maius, nihil magnificentius, nihil deſideres illuſtrius. Verum, magis vbiq; mentem complet, & animum delectat, quam aures, & maiorem rerum, quod prudentis Oratoris eſt, quam verborum curam habet: & verborum delicatam munditiem, fucatumq; ſplendorem minime neceſſarium non conſectatur.

Diuus Ioannes explicaturus ſingulare Dei donum quo genus humanum affecit, cum ad eius inſtaurationem ſuum filium in mundum miſit, ſingulari atque diuino vſus eſt dicendi genere, quo nihil grauius, nihil ſublimius excogitari poteſt. Grauiſſimo itaque ſtylo, Verbi maieſtatem, potentiam, & ſingularem in nos mortales curam deſcripſit; vt tandem poſt maximum verborum apparatum, præter omnem expectationem, concluderet,
Ioan. 1. Et Verbum caro factum eſt; & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quaſi, hoc eſt vere, vnigeniti a Patre) plenum gratiæ & veritatis. Eodem artificio eademque dicendi ma-
Philip. 2. ieſtate, ad eandem rem probandam aliquando vſus eſt Paulus, cum ſcripſit, Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo; Sed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu inuentus,
Hebr. 2. vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis, &c. Idem Ioannes in genere ſuaſionis verſando, mirifica dicendi aptitudine in ſua prima canonica fideles ad dilectionem eſt cohortatus: cuius oratione qui ad amãdum non permouetur, is ferreus eſt, cum perſpicue, ſuauiter, atque grauiter dicat.

Diuus Lucas,vt eius phraſim,quam multi iure commendant, & multa alia eiuſdem loca prætermittam,ita dilucide, ita probabiliter, ac prudenter noſtræ reparationis negotium deſcribit, vt ea narratione nihil poſſit fieri luculentius:dum accuratiſſime, perſonarum,temporis,loci,modique attributiones ob oculos ponit,cum ait,In menſe autem ſexto,&c. Et rurſus, Factum eſt autem,in diebus illis exijt edictum,&c. Apoſtolorum etiam Acta, vt diuinus hiſtoricus,quadam diuina ratione deſcribit. *Cap.1.* *Cap.2.*

Sed iam ex veteribus ſcriptoribus aliquot alia ſubijciamus exempla;in quibus ideo maius quoddam apparuit eloquentiæ lumen, maiorque copia, quod apud eum populum dicerent, qui res ſenſibus ſubiectas ſequebatur,& adamabat: ideoque genere dicendi ornatiore capiendus fuit. Eos itaque ad huiuſmodi populum docendum Deus adhibuit Concionatores, in quibus inſignis efflorеſcit eloquentia,ſermoque purus,vt eſt hebraicus, nulla alterius linguæ voce commaculatus, aut corruptus; id quod de nullo alio idiomate affirmares. Cum cæteræ linguæ, multa vocabula habeat hebraica, vt noſtra Italica,racamare,taconare,corno,ſacco,buio,paſſo,& alia quæ longum eſſet recenſere.

An Iſaias eloquenter ſcripſerit,eius indicant conciones, & priuatim ea,quam habet in primo capite,cuius artificium,libro vltimo nos demonſtrabimus:Indicant etiã eiuſdem ampliſſimę & ornatiſſimæ deſcriptiones, quarum nonnullas infra afferemus,cum de amplificatione agemus, vt inter alias hieroſolymariæ euerſionis hypotypoſis. *Iſai.c.3.*

Ezechiel ita eſt copioſus & illuſtris,vt nihil vberius,nihil ſplẽdidius eo fieri poſſit; vt ſpeciatim intelligi licet ex illa admirabili oratione, qua prius Tyri celebritatem,opes,amplitudinemque deſcripſit, qua deſcriptione nihil in Latinis, nihil in Græcis ſcriptoribus inuenies locupletius & florentius; vt poſtea multo melius euerſionis eius magnitudinem ob oculos poneret. *Cap.27.*

At,quid de illis diſputationibus & digreſſionibus quæ apud Iobum leguntur dicendum eſt? Quid planius? quid grauius? quid dulcius, eo encomio, quo ſuam eloquentiam prædicauit? cum dixit, Quando procedebam ad portam,& quæ apud ipſum ſplendide & ſententioſe ſequuntur. Conſule, amice Lector,execrationẽ diei in quo natus eſt: deſcriptiones omnipotentis Dei: hypotypoſes felicitatis,& calamitatis piorum,& impiorum:ſermones quibus ſuas ærumnas, ſuum priorem ſtatum, ſuam in- *Cap.3.* *Cap.11.* *Cap.22.24. & 27.*

Cap.6.& 7 pauperes miſericordiam, & denique diuinæ ſententiæ ſeueritatem, pingit; vt omittã quorundam animalium illuſtres picturas.

Cap.39.40. & 41. Denique, ne plura ſubijciam exempla, regij Vatis eloquentiam, quæ ſeſe, non ſecus ac radij ſolares in omnes partes effundit, qui non videt, is eſt cęcus, qui non guſtat, eſt ſtupidus, qui ea non permouetur, nullum ſenſum habet: cuius quanta ſit in dicendo diuinitas, non facile alterius ore ac ſtylo, quam eo, quo ipſe vſus eſt, explicares: cum vbique exemplis perſpicue doceat, ſimilitudinibus delectet, ſententiarum varietate capiat & detineat. Quare, quæ de eloquutione agendo afferemus verborum & ſententiarum lumina, & exornationes, potiſſimum ex eo ſumemus: cum Dauidicis ſcriptis nihil magis ornatum & illuminatum inueniri queat. Hebraicus itaque ſermo, quo vſi ſunt prophetæ eſt puriſſimus, proprius, & quaſi cum rebus ipſis natus: Genus tamen dicendi in varijs ſcriptoribus varium. Moſis oratio, vt quidam ſcribunt, ſimplex, propria: Dauidis carmen Atticum, hoc eſt purum, non nimium; venuſtum tamen & ornatum, amplificatumque, cum attice loqui, non ſit ieiune, ſicce, & inornate loqui. *Cic. in Bru.* Iſaiæ ſermo ſplẽdidus, copioſus, & grãdis: Ezechielis valde ſublimis: Paulus ſono orationis grandi atq; copioſo vtitur; & ſuis in locis cum maieſtate dicit, tonat, ac fulminat. *Theodoret.* Concludere itaq; rurſus licet, vera eſſe quæ duobus capitibus ſupra demonſtrauimus, dari genus aliquod eloquentiæ diuinum, eiuſque vſum Concionatori non eſſe interdictum.

Quare, nullus Concionator ſibi licere exiſtimet, ad ſuam ignauiam excuſandam, ruditer, ſpinoſe, impure, ruſtice & non accurate dicere. *Pſal.11.* Nam, vt eloquia Dei quæ tractat, ſunt pura, & quouis argento ſepties in igne purgato ſynceriora; ſic etiam orationis genere caſto, ſano, integro, & perſpicuo enũciari & explicari debent: ne hæc vna ars, quando omnes aliæ hoc tempore priſtinam formam recuperaſſe vidẽtur, in tanta præſertim concionatorum multitudine, remaneat deformata; & vinea Domini quaſi derelicta atque inculta. Prudens itaq; Concionator dicat ſapienter, dicat eloquenter, dicat etiam & eleganter, non tamen ea elegantia quæ ſit nimia cura & ſtudio conquiſita, quæ in diuini verbi miniſtro, immo in quouis oratore, magis latere, quam extare debet: vt non in ſapientia verbi, non in ſublimitate ſermonis, non in profanis vocum nouitatibus, & inanitatibus, vt nonnulli faciũt, ſed in ſpiritu, in virtute, in ſimplicitate, & veritate, quam maxime decet ſimplicitas & quaſi religio integritaſque *1.Co.1.2.4.* *1.Tim.6.*

oratio-

orationis, veniſſe videatur.

Sed peteret hoc loco quiſpiam, quid inter eloquētiam & elegantiam ſit diſcriminis; cui ſic ſatisfacerem: Elegantia deſignat concinnum & ornatum quēdam dicendi ſtylum, delectandi cauſſa comparatum, qualis olim erat in Sophiſtis,& maiorem quandam in fucanda oratione diligentiam: Eloquētia vero ſermonem purum,caſtum,magis ſententijs & ipſo rerum genere,quam verborum coloribus ornatum: In elegantia eſt vis quædam delectandi,in eloquentia vis perſuadendi: illa ſplendet & nitet ad ſenſus inaniter detinendos,hæc flagrat & ardet ad animos permouendos: illa munditiem quandam oſtentat ſpecioſam, ſed hebetem plerumque atque exanguem;hæc impetu valet, ad auditorum mentes a ſcelere reuocandas, & ad honeſtatem excitandas,& in omnem partem flectendas,& impellendas: vt merito Oratorum princeps, Antonium,vt ſummum perfectumque oratorem laudauerit, quod ad iudicium animos permouendos quaſdam veluti orationis faces admoueret: illa denique ſeſe totam in floſculos profundit, hæc vero fructus maxime ſalutares effert. Quare,qui elegantia potiſſimum delectantur, genus dicendi conficiunt, quod græce, epidicticon nominatur, quaſi ad inſpiciendum delectationis cauſſa comparatum: genus inquam, orationis inſigne,florens,pictum,ceruſſatum; in quo omnes verborum & ſententiarum illigantur lepores; quod e Sophiſtarum fontibus defluxit in publicum, pompæ magis, quam pugnæ aptum, a grauibus & eloquentibus viris, e grauibus locis merito repulſum. Quandoquidem,cum concinnitudinis & elegantiæ ſtudium ſeſe oſtentat, neceſſe eſt res ipſas atque ſententias quibus ancillari ac ſeruire verba debent, tanquam maiori quodam lumine obrui & obſcurari. Quo fit,ut auditor a rerum conſideratione abductus, attentionem omnem transferat ad verba: non ſecus atque is, qui fœminam multo auro gemmiſque oneratam inſpiceret; qui non tam eius faciem,quam ornamenta ſpectaret. Denique,qui iſto dicendi genere utuntur, ſimiles videntur mulierculis,quæ quia natiua pulchritudine non multum ſibi ornatæ videntur, extrinſecus ſimulati medicamenta candoris & ruboris aſſumunt: vt quia naturæ beneficio tales non ſunt,artificioſo colore & ſpecie eſſe videantur. At vero qui eloquentia vtuntur,ſententiarum genere modoque dicendi apto, caſtam,dignámque efficiunt orationem; vt nō ſint ſicut multi, adulterantes verbum Dei: cum videant ſibi magis docendum,mouendum-

Cic. in orat.

Cic. Quint.

2. Cor. 2.

que populum, quam inani verborum fuco delectandum. Nec tamen ſiccitatem, ieiunitatem, & turpitudinem amant, cum animaduertant, tum naturam, tum artem in ſuis operibus aliquem ſparſiſſe colorem. Rerum naturæ accidentibus varijs veſtiuntur: oſſa neruis, carne, ſuauique colore, arbores, folijs, fructibus ornantur: pictores imagines, pharmacopolæ bellaria exornat, & coqui cibos apte ad guſtandum condiunt. Et cum humana mens ſuapte natura varietatem amet, non poteſt omnino non probare eam orationem, quæ aliqua varietate ſit diſtincta: quę non ſecus ſe ad intellectum habet, quam ad aſpectum colorum, & ad auditum ſonorum varietas. Prudens itaque & eloquens Concionator, ne ſui ſermonis fructum amittat, prudenter, ſuam orationem condit & ornat, & genus dicendi diuinum diuinoſque ſcriptores, quos eloquenter ſcripſiſſe hactenus demonſtrauimus, imitatur. Quod vt facilius facere poſſit, ei artem quandam in diuinis oraculis obſeruatam, deinceps, diuino auxilio freti, ob oculos ponere nitemur.

Quid ſit rhetorica diuina, & quomodo ab humana differat.
CAP. IIII.

CVM itaque exploratum ſit, dari genus quoddam eloquentię diuinum, diuiniſque Oratoribus eloquentię vſum non eſſe interdictum; auſpice eo ſpiritu, qui eloquentię in diuinis ſcripturis contentę extitit auctor, de diuina eloquentia, deque Oratore diuino agere aggrediamur. Et, vt plane atque perſpicue quę docturi ſumus explicentur, primum totius operis propoſitum ſcopum, & maiores partes ob oculos ponam: Deinde, quid ſit diuina eloquentia, diuinuſque Orator, quod eius officium, qui finis, & quę in eo deſiderentur virtutes: Poſtea ſingula totius operis membra ſuo ordine explanabo.

De primo, is in hac ſcriptione nobis propoſitus eſt ſcopus, vt ex diuinis literis bene dicendi artificiũ colligendo, genus quoddam eloquentię diuinum oſtendamus: ſicuti Hermogenes ex Demoſthenis orationibus genus dicendi Demoſthenicum demonſtrauit; & vt Oratorem quendam diuinum, quem alij Eccleſiaſticum appellant, informemus. Ad quod faciẽdum, in primo libro, demonſtrata huius artis dignitate atque difficultate, quę in tali Oratore deſiderentur partes, eas exponam: In ſecundo, de ſubie-

cta

cta materia, ſiue de quæſtionibus quas tranctandas Concionator ſuſcipit,& de locis ad eas explicandas, ſiue de Inuentione agetur: In tertio, de ratione diſponendarum concionum, ſiue de Diſpoſitione,tum generatim,tū ſpeciatim:In quarto de amplificandi ratione, ac de mouendis affectibus: In quinto de Eloquutione,ſiue de omnibus,tum verborum,tum ſententiarum figuris & ornamentis,& de concinne apteq; dicēdo:In ſexto de actione, atque memoria.In ſeptimo,de ratione acquirendæ obſeruandæque eloquentiæ.

Rurſus,totum hoc opus in duas primas partes diſtribui poteſt:in quarum prima ea docentur,quæ ad huius artis naturam, & ad eius qui hac arte vtitur partes & conditiones pertinent;quā partem Græci pędiam vocant: In altera vero res ipſa ſubiecta explicatur,& præcepta traduntur.Primam primo libro,poſteriorem in reliquis,ordine iam dicto,exponam. Et quamuis de Rhetorica diuina multa diſputari poſſent: tamen, quia illa communia fere ſunt cum arte dicendi humana, de qua nos latiſſime in libris Rhetoricis diſſeruimus; ideo in præſentia pauca quædam dicemus.Ea vero quæ ad Oratorem diuinum inſtituendum pertinent,cum eius ſint propria, paullo fuſius explicabuntur. Et vt primum aggrediamur,Rhetoricam diuinam ad hunc modum deſcriberes.

Rhetorica diuina,eſt doctrina ſiue facultas bene dicendi de rebus diuinis,ex diuinis literis collecta, & ad hominum ſalutem, ſiue ad Eccleſię conſtitutionem perfectionéq; ordinata. Dicitur doctrina,ratione præceptorum ex quibus conficitur: quæ ex diuinis ſcriptoribus ſunt collecta. Dicitur,ſiue facultas,ratione eius qui hac arte vtitur, in quo non ſolum dicendi ratio, ſed etiā rerum dicendarum notitia requiritur: vnde quædam vis exoritur,vt recte de rebus diuinis,quæ ſunt huic facultati ſubiectæ diſſerere ac dicere queat. Dicitur,ex diuinis literis, vt oſtendatur origo,& diſtinctio ab humana rhetorica,quæ ex humanis literis hauritur. Dicitur,ad hominum ſalutem, vt oſtendatur finis,quo tandem omnis Oratoris diuini dictio referenda eſt. Ex qua deſcriptione,vtcunque conflata, nec enim nunc definiendi præcepta religioſe ſeruanda putauimus,colligere licet,quænam ſint cauſſæ ex quibus hæc ars conficitur.

Materia quam docet & exponit, ſunt ipſa bene dicendi præcepta,ſiue elegans & ornata oratio:materia in qua verſatur, & quam tractat,res diuinæ,& quæ ad hominum ſalutem pertinent.

Forma,

Forma, quod ſit doctrina, ſiue ars quædam ad certam methodum redacta, ſiue certa dicendi ratio, ad certum finem conſequendum accommodata. Efficiens, partim eſt ipſe Deus primus librorum ſacrorum, ex quibus collecta eſt, auctor; ac etiam diuini ſcriptores, quorum dicendi arte diuinus ſpiritus eſt vſus: partim vero præceptorum obſeruatio atque collectio. Quare, vt ad hanc diuinam bene dicendi rationem diuinis oraculis contentam, exprimendam, non ſolum diuina, ſed etiam humana vis aliquo modo iuuit; ita ad artem ipſam componendam, humana ſcribẽdi ratio iuuare potuit, ac debuit. Propterea nos collegimus quidem omnem inueniendi & eloquẽdi vim ex diuinis ſcriptis, & ſermonibus: at vero artis huius conſtruendæ formam ab humana ratione, humaniſque magiſtris deprõpſimus. Huius artis finis eſt earum rerum perſuaſio, quæ ad felicitatem conſquendam conferunt: eius vero qui hac arte vtitur ſcopus, Dei gloria; ita vt velit homines ſaluos fieri, idq; in Dei gloriã, ob quam Deus, cuius perſonam diuinus gerit Orator, fecit & ſcripſit omnia. Verum, quæ nunc breuiter de cauſſis Rhetoricæ diuinæ diximus, infra latius explicabuntur.

Malac. 2. Diuinus Orator, quem cum quodam propheta, Angelum Domini appellares, eſt vir chriſtianis virtutibus ornatus, atque ſcientia arteque dicendi diuina preditus. Hanc deſcriptionem paullo infra late exponemus, cum quæ in eo deſiderantur, manifeſtabuntur. Eius officium, eſt apte dicere ad perſuadendum ea quæ ſunt homini ad ſalutem conſequendam neceſſaria; ſeu ad *1.Cor.12.* perficiendum corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia: Vel certe, inuenire, diſponere, eloqui, & memoriter pronunciare, quæ ſunt ad ſuũ finem conſequendum accommodata: ſiue docere, delectare, & mouere. Finis vero, ea quæ diximus, in gloriam Dei perſuadere, vt poſt accuratius dicetur.

Atq; ex his colligere licet, quo pacto Rhetorica diuina & humana, & celeſtis politicuſque Orator inter ſe differant. Differunt in primis hę duę dicendi facultates, materia; quia vna in rebus verſatur humanis; altera potiſſimum in diuinis, vel in humanis, vt ad diuina referuntur. Deinde differunt forma, quia non eandem prorſus rationem formandę orationis docent; vel quia vna eſt humana, altera vero bona ex parte diuina. Differũt poſtea, cauſſa efficiente, quia, ut diximus, non ex eadem proficiſcuntur cauſſa. Poſtremo, ut alia diſcrimina omittam, diſtinguuntur fine, vt ex dictis patet. Qui his artibus vtuntur, multis etiam modis di-

dis diſtinguuntur, quos nunc recenſere nihil eſt neceſſe: partim, quia colliguntur ex dictis; partim vero quod ex ijs quæ de boni Concionatoris virtutibus dicentur, innoteſcent.

Sed peteret hoc loco quiſpiam, quid hæc noſtra Rhetorica, quam appellamus diuinam, differat ab ea, quam alij eccleſiaſticam appellant; cùm eandem habeant ſubiectam materiam, eundemque finem, & reliqua omnia eadem. Primum dicerem, nihil, quod ad ſubſtantiam attinet, differre: ac proinde, eam quam alij ſcripſerunt poſſe appellari diuinam, & noſtram eccleſiaſticam; ita vt Eccleſiaſticus & diuinus Orator ſint idem. Deinde dicerem, noſtram ab ea, quam alij ſcripſerunt, in eo maxime differre, quod illi bene dicendi artem non ex diuinis ſcripturis confecerint, neque in diuinis libris oſtenderint, vt nos fecimus: qui omnem inueniendi & eloquendi facultatem ex diuinis ſermonibus deſumpſimus; at illi partim ex antiquorum Patrum monumentis, partim ex profanis auctoribus. An magis illorum, quam noſtri probandi ſint conatus, aliorum eſto iudicium. Illud ſolum affirmauerim, quoſdam ex illis aliquando deſideraſſe, vt aliquis extaret, qui concionandi artem ex diuinis literis demonſtraret. Id nos, vt ſupra diximus, nobis propoſuimus, an aſſequuti fuerimus, alij iudicabunt. Quod, ſi quid vtilitatis hic noſter conatus ijs qui in diuino dicendi officio uerſari volunt, attulerit, id totum Deo acceptum referant. Atque his de Rethorica diuina breuiter præmiſſis, id quod ſecundo loco explicandum propoſuimus aggrediamur. *Ludo. Gran.*

Quanta ſit artis concionandi præſtantia. *Cap. V.*

INTEGRUM opus conficerem, ſi quod explicandum propoſui caput, id fuſe tractare vellem. Solum itaque locos quoſdam attingam, quibus Concionatorij muneris præſtantiam, vt deſides ad tantum opus alliciantur, paucis demonſtrabo: vt huius rei dignitate perſpecta, in Eccleſia non deſint, qui hoc munus, quo magis neceſſarium nullum aliud inuenies, pro dignitate exerceant.

Supponimus itaque huius functionis neceſſitatem, quæ tanta eſt, vt ſine ea ſalutem conſequi poſſit nemo. Quandoquidem ſcriptum eſt, ſine fide neminem Deo placere poſſe; quæ non habetur niſi per auditum: auditus autem non eſt, vt Paulus ait, ſine concionante. Neceſſaria igitur concio: & quidem multo magis, *Hebr. 11.* *Rom. 8.*

gis,

Bernard. gis,quam baptiſmus : ſine cuius ſuſceptione poteſt aliquis ſalutem conſequi;quam,qui verbum diuinum non audiuerit,conſequitur nemo. Quamuis ergo ſola neceſſitas homines ad hoc officium exercẽdum commouere deberet : tamen,ne quis,quod minus dignum ac ſublime eſſe putet, illud refugiat, aut negligat,præſtantiſſimum atque digniſſimum eſſe demonſtremus.

Cice. libr. 1. orat. Primo, cum Concionator in republica Chriſtiana Oratoris perſonam agat,& oratorium munus in omni libera & bene inſtituta ciuitate, & apud omnes populos ſemper in ſummo honore habitum fuerit, primumque locum obtinuerit, ac floruerit; cum & tempore belli & pacis,& in omni vitæ vſu plurimum valeat,atque omnem in partem iuuet;profecto concionandi ars in republica omnium præſtantiſſima,vt eſt Chriſtiana,maxime digna,& illuſtris exiſtimanda erit; & eo magis, quam humana dicendi facultas,quo grauiores cauſſas tractat, & ob digniorem finem,aliaſque rationes,quas ſtatim ſubiiciam.

Secundo, non poteſt non eſſe maxime digna ea ars, quam viri doctiſſimi,optimi,atque diuini exercuerunt,vt omnes Eccleſiæ doctores,Chryſoſtomi,Baſilij,Gregorij,Auguſtini, Ambroſij,omnes Prophetæ , omnes Apoſtoli,omnes Pontifices, & horum omnium magiſter & caput Chriſtus verus Dei filius,qui in hunc mundum ad hoc munus obeundum potiſſimum venit; vt hominum genus doceret; de quo apud Dauidem his verbis gloriatur, Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius,prædicans præceptum eius. Quis ergo non exiſtimet eam functionem dignisſimam, de qua tanta maieſtas gloriam capit? Et eius diſcipulus, ac Gentium doctor Paulus, Non me miſit Chriſtus baptizare,ſed euangelizare. Huc etiam facit,quod beatæ illæ mentes & cœleſtes ſpiritus qui diuinæ maieſtati aſsiſtunt,humanæ ſalutis, hominum animos illuſtrando atque docendo, miniſtri dicuntur. Cum itaque hoc munus ſit propheticum,apoſtolicum,pontificium, angelicum,chriſtianũ, atque diuinum, non poterit non eſſe dignisſimum, atque omnium præſtantisſimum. Quare,qui in eo pro dignitate verſantur,omni honorum genere afficiendi, & omni laudum cumulo ornandi erunt. Vt iure optimo aliquando illud ſingulare virtutum omnium exemplar Iobus,non ſine cauſa, ex hoc loco de ſe his verbis,prædicauerit,Quando procedebam ad portam ciuitatis,& in platea parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes, & abſcondebantur,& ſenes aſſurgentes aſtabant. Principes ceſſabant

Pſal. 2.
1. Cor. 1.
Heb. 1.
Cap. 29

ſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo; Vocem ſuam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus audiens teſtimonium, reddebat mihi. Et paullò infra, Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum. Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant, quaſi ad imbrem ſerotinũ. Hæc eadẽ verbã cũ modeſtia, in gloriã Dei, bonus Concionator diuina eloquentia præditus, vſurpare poſſet. Et ſane, nihil poteſt excogitari magnificentius, quam alijs omnibus tacentibus, copioſe, grauiter, de rebus grauibus & magnis dicere. *Cicero.*

Tertio, Concionatores ſunt tanquam Legati & nuncij Dei, ad res grauiſſimas tractandas ad homines miſſi; & ita legationis officio, quod ſemper præſtantiſſimum atque digniſſimum habitum fuit, funguntur. Huc facit illud Malachiæ, Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: Cur autem id fieri debeat, ea ſubditur ratio, Quia Angelus Domini exercituum eſt, id eſt, Dei legatus & nuncius. Cuius legationis dignitas tribus ex rebus colligi poteſt: Ex perſona mittentis Dei, Patris, Filij, & Spiritus ſancti: ex parte eorum ad quos mittitur, hominum nimirum, qui ſunt creaturæ omnium præſtantiſſimæ, Chriſti fratres, Dei filij, & Dij: denique ex parte rei, quam nuntiant, ex Euangelio & gratiſſimo illo nuntio, negotioque, in quo de pace cum Deo facienda, de Inimico vincendo, & de æterna felicitate acquirenda agitur. *Cap. 2. diſt. 36. can. 5.*

Quarto, ex ijs quæ ſacræ literæ dicere ſolẽt de illis, qui in hoc verſantur munere: Et vt ex infinitis locis vnum vel alterum attingam; Quam pulchri ſuper montes, inquit Iſaias, pedes annuntiantis, & prædicantis pacem? annuntiatis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus, & quæ ibi ſequuntur: qui locus eſt ad hanc rem probandam egregius, quo in eundem finem epiſtola ad Romanos vſus eſt Apoſtolus. Et apud Danielem, Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Sunt ergo Concionatores in Eccleſia, quę eſt ſpirituale firmamentum, velut lucidæ ſtellæ, quæ in nocte huius vitæ iter facientibus lumen præbent. Huc pertinent epitheta illa, quę a diuinis ſcriptoribus ijs qui in concione verſantur, tribuuntur; dum lucerna, lux, ſol, ſal mundi, nubes, flumina, mon- *Iſai. 52. Rom. 10. Cap. 12.*

tes qui

tes qui pacem populo ſuſcipiunt, & dij Dei vocantur: Qui in æterna beatitudine aureolæ inſigni & ornamento ab alijs diſtinguentur. Huc referres innumeras ſanctorum Patrum auctoritates, quas afferrem, ſi rem hanc ex profeſſo tractarem; Dionyſius Areopagita nihil diuinius eſſe putauit, quam cum Deo, vt Concionatores faciunt, ad animarum ſalutem coöperari. Bernardus ſatis ſibi eſſe ducebat, ſi omnibus ſermonibus vnius animam ſeruaſſet. Quæ præcor, ait Anterus Papa, maior caritas, aut quod efficacius pietatis patrocinium poteſt a quopiam alicui impendi, quam ſi ignorantiæ tenebras & imperitiæ caliginem ab eo repellat, ac demum veræ ſidei pabulo, non ad quæſtum, non ad ambitionem, ſed ad eruditionem, & ædificationem reficiat? Tanquam enim mutilo ſit manus, pes claudo, oculus ceco, &c.

Epiſt. ad epiſ. Betica.

Quincto, demonſtrari poteſt huius artis dignitas ex materia in qua verſatur. Eſt autem huic arti ſubiecta materia, duplex Dei verbum, vtrunque inuolutũ: alterum ab æterno genitum, & poſtea mortali carne circundatum, Chriſtus dominus: alterum ſcriptum ſub cortice literæ, & rerum ſignis contentum: illud totam deitatem, ac omnium creaturarum vniuerſitatem includit; hoc diuinum ſpiritum, gratiam, & omnia ſupernaturalia dona continet: immo vtrunque cuncta complectitur; ita vt omnia humana & diuina, creata & increata, naturalia & ſupernaturalia huic arti ſint ſubiecta: quo fit, vt nulla alia ſit, aut eſſe poſſit, hac vna præſtantior, atque illuſtrior.

Sexto, ex fine, qui eſt animarum ſalus, perpetuæ pęnæ vitatio, & ſummi boni adeptio, æternique numinis æterna gloria: quam ob cauſſam, æternus Dei Filius non dubitauit a regalibus ſedibus delabi, ſerui formam ſuſcipere, multos annos laborare, & tandem indigniſſimam, atque atrociſſimam mortem perpeti. Tradidit itaque Deus pro nobis Filium ſuum, & cum eo, vt Paulus ait, omnia. Glorientur hoc loco in Domino, iterum dico glorientur, qui ad eundem finem, ad quem Deus Filium ſuum, vt ipſe non ſemel teſtatus eſt, in hunc mundum miſit, vocati ac deſtinati ſunt.

Philip. 2.

Septimo, ex eo, quod Concionatores profitētur, dum hoc funguntur officio: Profitentur enim ſe eſſe totius populi in fide & moribus inſtitutores, magiſtros filiorum Dei, & interdum doctorum ac ſanctorum hominum præceptores. Nihil religionis doctrina præſtantius, nihil bonis moribus & pietate illuſtrius: ac proinde nihil eo homine admirabilius, qui iſta omnia publi-

ce, ex

ſe,ex officio alios docet. Ex quibus facile intelligeres, quã audaces & temerarij illi cenſendi ſint,qui ad hoc munus tractandum ſeſe ingerunt: quia tanta ſcientia, ac ſanctitate ſe præditos eſſe præſumunt, vt putent ſe totius populi & doctrinæ, & morum idoneos poſſe eſſe magiſtros; cum ſępenumerò contingere poſſit,atque contingat,vt eos habeant auditores a quibus, & doctrina,& moribus ſuperantur,a quibus ipſi docendi eſſent. Quod, ita abſurdum,ſua natura,exiſtimari debet, ac ſi diſcipulus magiſtrum,tiro veteranum,infans adultum,& idiota hominem ſapientem docere vellet:quod non ſine magna temeritate & impudentia fieret. Quid igitur Concionatores agant,diligenter videant: & tantum munus,non ſua præſumptione impulſi, ſed aliorum auctoritate vocati, vel etiam coacti ſuſcipiant, vt infra planius docebitur.

Octauo,huius officij præſtantia ex ipſa rei difficultate,vt alios locos ſilentio prætereamus,ſatis aperte colligi poteſt, de qua ſequenti capite breuiter dicemus. Nam,vt quidam ſapienter pronuntiauit; Pulchra ſunt difficilia.

Quanta ſit artis concionandi difficultas. Cap. VI.

QVOD igitur ad huius artis difficultatem demonſtrandam attinet, quoſdam indicabo locos, quibus in rep.Chriſtiana nullum eſſe officiũ hoc vno magis arduum atque difficile facile demonſtrabitur.

Primo, ex ijs rebus quæ in bono Concionatore deſiderantur: quas ad tr ia capita reuocares;quorum ſingula ſunt rara,& admiratione digna;ſunt autem iſta, Natura præſtans atque excellens ab omni vitio aliena: eadem natura ſingulari dicendi arte ornata & omnium aliarum artium atque ſcientiarum genere exculta:Spiritus denique diuinus, caritatis ardore inflammatus,& gratiæ gratis datæ. *Lege lib. 1. de cauſ. eloq.*

Secundo,ex eo quod Concionatores, Epiſcoporum, Apoſtolorum, Angelorum, & Chriſti ſuſcipiunt perſonam: quorum inchoatum opus,Eccleſię nimirum & Chriſti corpus,ſe perficere profitentur.Huc pertinet illud concionatorum Principis,Filij ad huc vos parturio donec formetur Chriſtus in vobis. *1. Cor. 12.*

Tertio, ex qualitate, & varietate auditorum. Sunt enim eius auditores Dei diſcipuli, iuxta illud, Et erunt omnes docibiles Dei: &, vt paullo ante diximus, fieri ſępenumero poteſt, vt do- *Galat. 4.* *Ioan. 6.*

ctiores

ctiores & meliores ſint diſcipuli, quam magiſtri. Si varietatem ſpectes, quis non exiſtimet omnino difficile, ne dicam impoſſibile, tam varijs hominum guſtibus tum naturalibus, tum ſpiritualibus vno eodemque cibo ſatisfacere? quod ſane non humanę facultatis, ſed diuinæ potentiæ eſt; quę vnum poteſt creare manna, quod omnes contineat ſapores: quamuis reperiri poſſint, qui ob guſtus deprauationem dicant, Nauſeat anima noſtra ſuper ć bo iſto leuiſſimo.

Exod. 16.
Num. 21.

Quarto, quoniam Concionatores ſua arte hominum animos flectere, incitare, animare, inflammare, & inflammatos comprimere, & extinguere, & vt vno verbo dicam, pro ſua voluntate vnica oratione tractare ſe poſſe profitentur: Non ſecus ac ſi quis vno freno equos plures indomitos frenare, ac regere conaretur. Quod ſane, vt pręſtantiſſimum eſt, ita & difficillimum a ſummis Oratoribus ſemper exiſtimatum fuit: id, qui ſe præſtare non poſſe putat, is, meo quidem conſilio, hanc prouinciam non ſuſcipiat, & ſuſceptam deponat: alias ipſe fruſtra deſudabit, & auditores inutiliter audiendo tempus conſument.

Quincto, ex eo præterea capite huius muneris maxima apparet difficultas, quod res humanis ſenſibus contrarias, deprauatæ & male affectæ hominum naturæ inſuaues & minime gratas ſuadere debet: vt eſt diuitiarum paruipenſio, honorum aſpernatio, voluptatum fuga, parentum odium, inimicorum amor, iniuriarum perpeſſio, & denique totius mundi & omniũ quæ in eo ſunt, & ſui etiam ipſius contemptus, & cunctarum miſeriarum voluntaria & læta ſuſceptio. Quare, ſi ſummi Oratores res alias faciles, hominibus non ingratas, & ſalutares, omnibus eloquentiæ neruis adhibitis, vix tandem perſuaſerunt; quanto difficilius quæ diximus, ob auditorum prauitatem perſuaderi poterunt? Quam ob cauſſam, etiam omnipotenti Deo eſſe difficile, non male diceres, cum ipſe aliquando per quendam Prophetam dixerit, Quid eſt, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Et alio loco, Quis cęcus, niſi ſeruus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi? Alibi, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi. Vt merito quidam diuini verbi Concionator admiratione affectus, Deo dixerit, Domine, quis credit auditui noſtro? neque enim omnes obediunt Euangelio. Hæc ita vera ſunt, vt Iſaias eloquentiſſimus, atque ſanctiſſimus atque facũdiſſimus Concionator, non ſine ſummo, vt exiſtimo,

Iſa. 5. 42. et 65.
Rom. 10.

animi

animi dolore, aliquando in hæc verba proruperit, Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ: Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei, & quæ apud ipſum ſequuntur: ac ſi dixiſſet, Eandem cantilenam prouerbij cauſſa factam ſuper vineam, quam cepit ædificare & perficere non potuit fratris mei filius, ipſi Deo populi Iudaici cultori canere potero; cum quem volebat, fructum, ex eo colligere non potuerit. *Cap. 5.*

Sexto, ne plures conſecter locos, vt temporum, perſonarum, locorum varias circunſtantias omittam, murmurationes, cenſuræ, reprehenſiones, vituperationes, detractiones, & perſequutiones, quibus Concionatores quotidie ſunt ſubiecti, hoc munus maxime difficile reddunt. Neque enim melior eſſe debet diſcipulorum conditio, quam fuerit Magiſtri, qui aliquando ſuis diſcipulis dixit, Si me perſequuti ſunt, & vos perſequentur. Sed veniet hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Verum, ipſi conſtanti animo omnia perferre debét, atque ſummopere gaudere, quod digni facti ſint pro nomine Chriſti contumeliam pati. Vigilandum itaque eſt Concionatori, laborandum, multorum ſtultitia perpetienda, arrogantia perferenda, & difficultas exorbenda. Ob has ergo & alias multas difficultates, concionandi onus pauci, vel etiam nulli, ſuſciperent, niſi diuina prouidentia in re maxime neceſſaria aliter diſponeret. Et ſane, ſi non eſt inuetus, qui eam Veneris partem, quam Apelles inchoatam reliquerat, abſolueret, nec qui Panetij de officijs imperfectos libros perficeret; non facile reperirentur, qui, vt dicebam, opus a Chriſto inchoatum vellet attingere; niſi ipſe quoſdam ſibi eligeret, & ad tantum opus perficiendum idoneos redderet: quamuis non deſint, qui ſeipſos parum honeſte intrudunt. Et, vt huic capiti finem faciamus, nemo exiſtimet, nos ideo concionandi difficultatem oſtendiſſe velle, vt quempiam ab hoc officio maxime neceſſario deterreamus; ſed potius, vt quorundam audaciam comprimamus, & ad earum rerum conſequutionem, quæ in bono Concionatore deſiderantur, de quibus mox ſcripturi ſumus, excitemus. *Ioan. 15.16* *Act. 5.* *Cicer. pro Mur.* *Cic.*

Quæ in bono Concionatore deſiderentur partes: et primum de natura atque doctrina. Cap. VII.

CVM nobis in animo ſit, non tam Oratorem politicum & Ciceronianum deſcribere, quàm quendam bonum & chriſtianum Præconem delineare: propterea eas potiſſimum boni Concionatoris afferemus partes, quæ nobis magis neceſſariæ & ad noſtrum ſcopum accommodatæ videntur, & quas ſacræ literæ, & ſancti Patres in eo requirunt.

Libr. 1. de cauſ. eloq. *Cicer. lib. 1. orat.* Primum igitur, cum omnium artium fundamentum ſit natura, quam ars excolit; in eo qui bonus ſit futurus Concionator, quædam naturæ bona, tum ex parte corporis tum animi deſiderantur: quibus, qui eſſet deſtitutus, fruſtra, abſque ſingulari Dei prouidentia, in hac arte operam poneret. In animo deſiderantur celeres quidam motus, ad inueniendum, ad iudicandum, & ad plane explicandum idonei: facilitas ad percipiendum, retinendum, & enunciandum. In corpore, dignitas & aptitudo aliqua, latera firma, & vocis bonitas. Et licet natura ad bonum Concionatorem formandum multum conferat: tamen non tantum naturæ tribuo, vt exiſtimem quampiam, ni ſit omnino bonorum naturæ expers, ab hoc munere ob naturæ deſtitutionem abſtinere debere: Cum nemo fere ſit ita natura deſtitutus, vt, ſi alia quædam quæ ſtudio & arte accedunt, adfuerint, ſuſceptam cauſſam perorare non queat: præſertim, cum ex animo quippiam dicendum eſt; quod etiam in mulierculis & in infantibus cerneres. *Libr. 1. de cauſ. eloqu. diſp. 2. Infra lib. 6. cap. 2.*

Naturæ ſuperaddenda eſt ars, & exercitatio: illa naturam expolit, hęc artem perficit. Neque enim placent ij, qui volunt vt ſine arte dicatur; cùm in diuinis ſcriptoribus maxima notetur ars: quæ, ſicuti nec natura ipſa quam perficit, cum ſpiritu pugnat: qualis autem hæc ars eſſe debeat ſuo poſtea explicabitur loco. *Lib. 6.*

Requiritur deinde in Concionatore bono bona, hoc eſt ſana & ab omni prauitate aliena doctrina. Nanque, vt ex ſacris literis diſcimus, ſæpiſſime Deus ignaros miniſtros reprehendit: & ſi quo in artifice damnanda eſt ignorantia & multa deſideranda eſt doctrina, maxime in eo, qui ſe publicum Eccleſiæ doctorem, & magiſtrum, aliorumque ducem præbet: Qui Epiſcoporum in munere arduo & præcipuo partes ſuſcipit: qui tanquam Sol luminis

minis plenus ignorantiæ tenebras ab aliorum animis depellere, & tanquam lucerna omnibus qui in domo ſunt, lumen dare debet: qui quaſi diuinum oraculum omnium petitionibus & dubijs reſponſurus venit: & denique, qui maxima & ſyncera doctrina non eſt munitus, de rebus grauiſſimis & obſcuris diſſerendo, ad ſingula fere verba, non poterit non offendere. Multum itaque hac in parte miror, quod videre liceat, hoc maxime arduum munus, etiam angelicis humeris formidandum, ab ijs ſubiri, qui potius in ludo grammatico, quam in theologico inſtituendi eſſent: qui intollerabilis abuſus omnino eradicari deberet. Nam, vt Innocentius primus præclare ſcripſit, Miſerum eſt magiſtrum fieri, qui nunquã diſcipulus fuit. Etenim ſæpe theologica tractant, ſcripturam exponunt, mores docent, qui iſta nunquam didicerunt. Quis, ait Gregorius, cogitationum vulnera occultiora eſſe neſcit vulneribus viſcerum? & tamen ſæpe qui nulla ſpiritualia præcepta cognouerunt, cordis ſe medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim neſciunt, videri carnis medici erubeſcunt. Si indoctus & inſcius officium doctoris aſſumat, proculdubio diſcipuli & auditores ignorantiæ tenebris obuoluti in interitum demergentur, & cęcus cum cęcis in foueam cadet. Clemens Romanus ait. Nanque, vt præclare Menander ſcripſit, ὁ γραμμάτων ἄπειρος, οὐ βλέπει βλέπων, hoc eſt, literatum ignarus, non videt videns. Qui itaque Concionator eſſe cupit, hoc Sapientis amplectatur conſilium, Antequã loquaris, diſce. Multo tempore diſce, quod doceas, ad Ruſticum ſcribens, aiebat Hieronymus.

Epiſt. 12. *In Paſtor.* *Epiſt. 1.* *Eccl. 6.*

Id autem, quod priuatim, & ex officio bonus Concionator diſcere debet, eſt diuina ſcriptura: quæ ita ab eo diſcenda eſt, vt vere cum propheta dicere poſſit, Tota die lex tua meditatio mea eſt: Meditabor in mandatis tuis, nec obliuiſcar ſermones tuos. Sequatur itaque conſilium, quod Hieronymus Heliodoro dabat, Sępius lege, immo de manibus tuis nunquam ſacra lectio deponatur. Noſti, idem dicebat Florentio, hoc eſſe animæ pabulum, ſi in lege Dei meditetur die ac nocte. Si iuxta Apoſtolum, idem auctor ſcribit, Chriſtus Dei virtus eſt, & Dei ſapientia, qui neſcit ſcripturas, neſcit Dei virtutem, eiuſque ſapientiam. Ignorantia igitur ſcripturarum, ignorantia Chriſti eſt: at, quomodo Chriſtianam doctrinam docebit, & Chriſtianos inſtituet, qui Chriſtum ignorat?

Pſal. 118. *Prol. in Iſa.*

Neque ſatis eſt quodcunque ſtudium, ſed opus eſt laborioſa,

Hierony. ad Paul. & improba contentione: quia medulla ſcripturarum latet in nucleo:nucleus varijs corticibus inuolutus eſt, qui edere cupit, cortices frangere debet. Luctandum eſt quodammodo cum *Gen. 32.* Deo, vt per luctam intelligentiæ ſcripturarum referatur victoria: quam tunc facilius, & ſecurius Doctor obtinebit, ſi ſanctos Patres habebit magiſtros, & eorum ſcripta diurna atque noctu- *Epiſt. 5.* ra euoluet manu. Oportet,aiebat Clemens,ab eo intelligentiam accipere ſcripturarum,qui eam a maioribus ſecũdum veritatem ſibi traditam ſeruauit;vt & ipſe poſſit ea quæ recte ſuſcepit,com petenter aſſerere. Hanc eandem regulam Remenſe Concilium *Cap. 14.* Concionatoribus tradidit, cum ſtatuit, Lectioni diuinæ incumbant,ideſt canonicis libris & opuſculis Patrum, & verbum Dei *Cap. 18.* omnibus prædicent: alio loco,Homelias Sanctorum Patrum & ſermones,pro vt omnes intelligant,prædicare ſtudeant.

Denique,ne quid docendo peccent, pro veritatis regula Ro- *Celebr. ann. 1419.* manam habeant Eccleſiam. Nihil enim prouide, vt Treuerenſe Concilium ait, aliunde credendum, tenendum, aut docendum eſt, niſi quod ſancta Romana tenet & docet Eccleſia omnium conſentientium Eccleſiarum mater & magiſtra. Nam,vt Hiero- *Ad Dem.* nymus ſcriptum reliquit,qui a fide catholica & Romanæ Eccleſiæ recedit,neceſſe eſt eum a veritate & capite deficere. Ad hanc igitur amuſſim omnia Concionator examinet, & errabit nunquam.

Quamuis autem diuinus Præco a diuinis literis,& ſanctis patribus diſcere, & quæ docturus eſt accipere debet: tamen ab externis etiam ſcriptoribus aliquid ei ſumere licebit, cum antiqui *Calix. epiſt. ad Benedic.* Patres & Concionatores id fecerint: ſed ſobrie faciat, & ea ſolum ſumat, quæ ad rem & ad finem ſibi propoſitum ſunt valde *Pacian.* accommodata: in quo multum multos peccare videmus; dum non minus Dialectici,vel Philoſophi,vel Medici,vel Iuriſperiti, vel Hiſtorici, & Poetæ, quam Theologi videri volunt. Illud igitur hac in parte animaduertant,quod optimo & eloquentiſſimo *Ezech. 3.* Concionatori à Deo dictum fuiſſe legimus, Annuntiabis eis ex me:& loqueris verba mea ad eos. Huc pertinent illa ſępe repetita diuinæ Scripturæ verba, Hæc dicit Dominus. Et denique ita doceat, vt cum omnium Concionatorum magiſtro dicere *Ioan. 7. 14.* queat, Mea doctrina non eſt mea,ſed eius,qui miſit me: Verba quæ ego loquor vobis,a meipſo nõ loquor: Et cũ quodã condiſcipulo,Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum qui lapſus eſt,verbo:erigit mane, mane erigit mihi au

rem,

rem,vt audiam quaſi magiſtrum.Quod vero ad quantitatem cu mulumque doctrinæ attinet,ſolum aliquid vniuerſe dicam.Primum, tanta in bono Concionatore requiritur doctrina,ut ſit idoneus reddere rationem de ea quam ipſe profitetur,& alios docet fide;& vt Princeps Apoſtolorum monet, vt ſit paratus ad ſatisfaciendum omni rationem poſcenti. Nihil enim,vt quidam ſcripſit,ita conuenit diuino miniſtro & internuntio, quam paratum eſſe ad reddendam rationem omni petenti rationem de ſpe, quæ in ipſo eſt & gratia.Deinde,cum Origene diceres,Quod ergo ſacerdotis pectus & quale? Ego tale puto eſſe, quod plenum ſit ſapientia,plenum ſcientia, plenum omni diuina intelligētia: & quid dico, plenum intelligentia? immo quod plenum ſit Deo: Vel cum Hieronymo, tale debet eſſe doctoris Chriſtiani pectus,vt Chriſti ſit officina. Denique,tantam requireres in Eccleſiaſte eruditionem,quantam in expoſitore diuinæ ſcripturæ, vel quantam in ſuo Oratore requirebat Tullius, ni velis etiam maiorem:ſine qua doctrina non erit aptus ad docendum, arguē dum,corripiendum,& perficiendum hominem, & opus a Chriſto inchoatum.Omnium itaque rerum diuinarum atque humanarum eam debet habere notitiam,quæ ad opus ſupremum,diuinum, & omnium difficillimum eſt neceſſaria. Et,quod ad res humanas attinet,non debet vllo modo ignorare quæ ad commu nem & ciuilem vitam,& ad omnes omnium hominum ſtatus & artes pertinent: quarum rerum cognitionem, & in Prophetis, & in bonis Cōcionatoribus fuiſſe facile animaduerteres. Nam, cum acturus ſit cum hominibus, qui in rebus humanis tractandis ſunt occupati,eos nunquam poterit, aut recte inſtituere, aut erratorum recte admonere, ſi harum rerum fuerit ignarus. Et, quod huc facit,priuatorum hominum apud quos dicit,mores, ſtudia,leges,& viuendi rationes debet habere perſpectas: quam cognitionem in ſuo Oratore prudenter requirebat Tullius. In ſumma, quis doctrinam quandam prope infinitam atque diuinam in eo non requirat,qui Apoſtolorum omni ſcientia diuinitus repletorum,& Chriſti munus ſuſcipit? qui publicum Eccleſiæ magiſtrum ſe præbet:qui ſententias de æterna uita,& de perpetuis ſupplicijs laturus eſt:qui denique aduerſus Diaboli artes & vires alios inſtituere,& armis ſpiritualibus armare debet.

Epiſt.1.c.3.

Liberat.in breu.c.11.

Lib.6.in Lauit.

2.Tim.3.

Quod & quanta ex Concionatorum ignorantia, aut parua eruditione oriantur mala & incommoda, qui vellet penitus exponere,longum omnino faceret: breui igitur dicam. Primum,

parum eruditus Eccleſiaſtes facile dicendo offendit:cum vix eruditi homines de rebus diuinis ſyncere & incorrupte , multa dicendo,loquantur : his præſertim temporibus, cum variæ in omni fere dogmate vigeant hæreſes;in quas,verbis inordinate prolatis,facile incid.tur. Deinde,impeditur maximus animarũ fructus;dum ob ignorantiam, vel res inanes tractantur,vel graues ſine grauitate , vel obſcuræ,ſine luce, vel vtiles, non apte,non ſuo loco & tempore explicantur. Poſtea,parum docti facile a populo deſpiciuntur, cum doctrinæ opinio non paruam auctoritatem Concionatori tribuat:& cum ſint ſal ſine ſapientia , quid aliud reſtat,niſi vt conculcentur ab hominibus?Quo fit,vt populus conciones non frequentet , et diuinum verbum facile deſpiciat:quę omnia vera eſſe ipſa experientia docet. Ad hęc,ex magiſtrorum ignorantia totius mundi oritur perturbatio; quod Deus per Dauidem,hac grauiſſima reprehenſione apertiſſime demon
Pſal. 81. ſtrauit,Neſcierunt,neque intellexerunt,in tenebris ambulant,: mouebuntur omnia fundamenta terræ, ac ſi diceretur, Omnia, humana atque diuina , ob miniſtrorum inſcientiam peruertentur.Denique,ne plura , quæ multa & maxima ſunt incommoda percenſeam , & Concionator & populus tempus perdunt,quod qui perdit,ipſam vitam,qua nihil eſt carius,perdit.Atque de Cõcionatoris doctrina hactenus:nunc de genere vitæ, moruq; integritate agamus.

Concionatorem bonum virum eſſe debere. Cap. VIII.

ETSI vitæ integritatem Chriſtiano Oratori ad rectam ſui muneris functionem neceſſariam eſſe omnino exploratum ſit: tamen,quia non deſunt, qui magis de doctrina, & de dicendi artificio,quã de vitæ genere ſunt ſoliciti;non erit inutile, ſi honeſtas viuendi rationes,ad bene concionandum omnino neceſſarias eſſe,& quidem non minus,quam doctrinam,paucis demonſtrauero.

Quantum igitur ſingularis quædam virtus,& pietas non vulgaris in Chriſtiano Oratore ſit neceſſaria, ex eo primum perſpicitur,quod nunquam perfectam & ſynceram doctrinam ſine vi-
Prouerb. 1. tæ candore acquiret:Cum initium Sapientiæ ſit timor Domini ,
Sapien. 1. & in animam maleuolam peccatis ſubiectam intrare nequeat ſapientia.Ideo regius Vates qui innocenter viuebat,canere po-

tuit,

tuit, Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui: A mandatis tuis, id eſt, ob mandatorum tuorum obſeruationem, intellexi. *Pſal. 118.*

Deinde, quoniam Deus, quos ipſe ſibi priuatim elegit miniſtros, eos prius bonos & iuſtos fecit: Ieremiã & Ioannem, etiã in vtero deliteſcentes ſpiritu ſancto repleuit: Iſaiæ labia per Seraphim ab omni peccati labe purgauit: Apoſtolos omnium virtutum & donorum genere repleuit: Paulum non modo cœleſtibus muneribus exornauit, ſed etiam ad tertium vſque cœlum rapuit: et denique Filium ſuum, in quo erant omnes ſuæ ſcientiæ & ſapientiæ theſauri, non anteà voluit ad concionandum prodire, quàm per ieiunium & orationẽ per quadraginta dies ſe præparauerit. Qui non modo exemplo, ſed etiam verbo, quam Dei miniſtro neceſſarius ſit vitæ candor, ſuos miniſtros docuit, cum dixit, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Quibus verbis, quid ex vitæ innocentia & ſplendore oriatur, aperte demonſtratur, Gloria nimirum Dei, quam Concionator propoſitam habere debet, vt poſtea docebo: quod aliquando vaticinatus eſt Iſaias, cum dixit; Et vocabuntur, hoc eſt, erunt, in ea fortes iuſtitię, id eſt viri iuſtitia, hoc eſt omnium virtutũ cumulo fortes, plantatio Domini ad glorificandum. *Cap. 6.* *Act. 2.* *Matth. 5.* *Cap. 61.*

Præterea, quoniam Deus ab illis hanc munditiam requirit, vt patet ex verbis noſtri Redemptoris paullo ante citatis, & ex alto loco, vbi dicitur, Mundamini qui fertis vaſa Domini: at quanto magis Concionator, qui fert ipſum Dei verbum? qui eſt veluti quoddam Dei vas, in quod ſua dona ad recte concionandum neceſſaria debet infundere. Quod ſi Dei vaſa impuris manibus nõ ſunt contrectanda, quanto magis eius verba impolluto ore non erunt proferenda? ac proinde in eum qui ſecus facit, hanc grauem Deus pronũtiat ſentẽtiam, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam meam, & proieciſti ſermones meos retrorſum, & quæ ibi per pulcherrimã amplificationem ſequuntur. Intelligite igitur hæc, qui obliuiſcimini Deum, ne quando rapiat, & nõ ſit qui eripiat. *Iſa. 52.* *Pſal. 49.* *Pſal. 49.*

Poſtea, eadem neceſſitas demonſtratur ex fine quem ſibi conſequendum proponit, qui eſt peccantium conuerſio, diuinæ legis obſeruatio; ad cuius conſequutionem dicentis vita & mo-

Ca.1.rhet. res, vt Ariſtoteles docuit, vim habent præcipuam. Quod ſi, vt quidam volunt, ciuilis Orator perfectus eſſe non poteſt, niſi fue-
Fab. M.Cato. rit vir bonus, cum tamen non ſit bonitatis artifex, neque id agat, vt alios bonos efficiat, quonam pacto is bonus Cõcionator erit, qui hoc vnum profitet, vt alios bonos reddat, ni ipſe bonus fuerit? Huc pertinent dictata illa, Sermones de moribus minus mouent, quam opera ipſa: Et magis exempla docent, quam verba.
Act.1. Et ſane, cum, vt Philoſophi docent, ijs rebus res augeantur, & conſeruentur, quibus generatę ſunt, cum eccleſia, Chriſti & ſanctorum exemplis ædificata fuerit, Chriſtus enim cępit prius facere, & poſtea docere, quem boni omnes diuini verbi miniſtri imitati ſunt, ijſdem etiam vitæ honeſtis & ſanctis rationibus a Concionatoribus conſeruanda erit. Neceſſaria igitur eſt Eccleſiaſti bona vita, ſi quod docet perſuadere, & eos apud quos dicit bonos facere voluerit; & quidẽ multo magis, q̃ doctrina. Ideo q-
Eccl.37. dam diuinus Concionator dixit, Anima viri ſancti annuntiat aliquando vera, pluſquam ſeptem ſpeculatores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Talis fuit anima Franciſci, Dominici, Bernardi, Bernardini, Vincentij, Simonis cognomento Stilitis, Antonij, & innumerorum ſanctorum, qui non tam doctrina, quam moribus Eccleſiam ædificarunt, conſeruarunt, auxerunt, dilatarunt. Et re vera, quonam modo, frigidus calefaciet, immundus mũdabit, cęcus alios ducet, lapſus ſuſtentabit, ad Deum reuocabit, qui ab eo recedit, & bonum eructabit verbum, cuius cor plenum fuerit malitiæ? Qui nunquam iter fecit, viam demonſtrabit, & itineris incertas rationes explicabit? Qui nunquam nauigauit, maris pericula denuntiabit, ventorum varietates exponet, ſcopuloſque fugiendos indicabit? Qui nunquam militiæ fuit, qui nunquam arma tractauit, aut ad manus cum hoſte venit, is pugnandi artem docebit, & victoriæ conſequendæ rationem exponet? Vnde merito Annibal Carthaginenſium decus, vt eſt apud Cice-
Lib.2. de orat. ronem, de Phormione peripatetico qui aliquot horas de Imperatoris officio, de omni re militari diſputauerat, quid ſentiret interrogatus, libere dixit, Multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe, ſed qui magis, quam Phormio deliraret, vidiſſe neminem: quod quæ ipſe non eſſet expertus, vellet cæteros docere, & eum præſertim, qui tot annos de imperio omnium gentiũ cum populo Romano certaret. Aut certe is, qui ſi iter cœpit, aberrauit, ſi nauigauit, naufragium fecit, & ſi pugnam iniuit, victus atq; ſuperatus fuit. Quomodo denique, quot & quantæ ſint ſuauitates ſpiritus is explanabit,

planabit,qui eas guſtauit nunquam, & ſolos carnis ſenſus percipit? Quomodo animę cum Deo verſantis delitias explicabit,qui ſolum corporis voluptates nouit? Quomodo cœleſtes diuitias, qui animam ad terrenas opes abiecit? Quomodo æterna bona, qui ſolum nouit caduca? Concludere itaque licet, Chriſtianum Oratorem non minus honeſtate vitæ, quam doctrina debere eſſe ornatum; ita vt non ſolum non malus,ſed bonus,immo etiã perfectus eſſe debeat, ſi alios bonos reddere perficere voluerit. Quandoquidem, vt in natura cernimus, nihil ſibi ſimile generat,niſi iam adultum atque perfectum; non herbæ, non arbores, non animalia. Et,vt hunc locum cum Bernardo concludam, Da bis (cum Concionatore loquitur) voci tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades,tibi illud prius perſuaſiſſe cognoueris. Talis igitur eſto,vt cum Concionatorum principe dicere poſſit, Imitatores mei eſtote,fratres,ſicuti & ego Chriſti. Neminem læſimus,neminem corrupimus,neminem circumuenimus: De cętero,fratres, quæcunque ſunt vera,quæcunque pudica, quæcunque iuſta,quęcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, hæc cogitate,quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiuiſtis,& quæ vidiſtis in me. Non ſolum itaque bonus Eccleſiaſtes dicat, ſed etiam faciat, & quidem multo plura quã dicat: quandoquidem canes qui ſolum latrant, vt eſt in prouerbio, non mordent. *2.Cor.7.* *Philip.4.*

Denique,vt locum ampliſſimum paucis concludam, incommoda quæ ex mala, ſeu non bona Concionatoris vita naſcuntur, ei vitæ candorem neceſſarium eſſe omnino demonſtrant, ni inutilis rabula,& vanus clamator eſſe voluerit. Primum,quoniam ei qui bene docet & male viuit,populus dicere poteſt, Medice,cura teipſum: Eice prius trabem ex oculo tuo: qui alium doces,teipſum non doces? qui prædicas non furandum,furaris? cur moribus deſtruis,quod verbis ædificas? &re negas,quod verbis affirmas? Plus enim homines oculis,quam auribus credunt: & vt docte Ariſtoteles docuit, Vulgus non diſtinguit. Perditur itaque loquendi auctoritas,quando ex operibus non iuuatur. Qui dat, inquit Lactantius, præcepta viuendi, debet amputare omnium excuſationum vias,vt imponat hominibus parendi neceſſitatem,non vi aliqua,ſed pudore. Quomodo vero amputari poterit excuſatio, niſi qui docet, faciat quæ docet, & ſit quaſi præuius, & manum porrigat ſequuturo. Nam habere non poſſunt *Mat.7.* *Rom.2.* *Ezec.34.36* *Lib.1 o.eth. cap.1.* *Sen.epiſt.30*

quæ doces firmitatem, niſi ea prior feceris: quia natura hominum procliuis in vitia,videri vult, nõ modo cum venia, ſed cum ratione peccare.Hæc Lactantius.Huc etiam faciunt,quæ aliquã-
In Paſt. do ſcripſit Gregorius,Sunt nonnulli, qui ſolerti cura ſpiritualia præcepta perſcrutantur,ſed quæ intelligendo penetrant, viuendo conculcant.Repente docent,quæ non opere,ſed meditatione didicerunt:& quod verbis prædicant, moribus impugnant. In ſumma, quid poteſt excogitari perditius, quid a ratione abhorrentius,quam quod apud Aeſopum lupus ait,Alia dicunt,alia fa-
Matth. 23. ciunt:& quod noſter Recuperator dixit,Alligant onera grauia, & importabilia: digito autem ſuo nolunt ea mouere:& aquam pedibus perturbare,quam alijs bibendam præbes?

Deinde, ex mala doctoris vita illud grauiſſimum naſcitur incommodum, vt populus vel ad male dicendum, vel ad male viuendum prouocetur.Nemo,ſcribit Gregorius,amplius nocet in
Can. qualis 8.q.1. eccleſia, quam qui perverſe agens, nomen vel ordinem ſanctæ vitę habet,&,ſi,vt quidam dixit,nihil eſt quod magis eccleſiam Dei deſtruat,quam ſi meliores ſint laici, quam ſacerdotes, quid dicendum erit,ſi ipſi recte ſentiendi & viuendi magiſtri boni nõ fuerint?Vnde illud aliud grauiſſimum dimanat incommodum, vt nomen Dei blaſphemetur in Gentibus,& vt male de religio-
Vinc.Liren. ne ſentiant externi.Propterea,recte quidã antiquus pater ſcriptum reliquit,Nullam eſſe maiorem Eccleſiæ perſequutionem, quam exemplum malę vitę eorum, qui Eccleſiam ædificare debent:a qua nunquam poterit ſe liberare,dum qui eius defenſionem ſuſceperunt, male vixerint. Huc pertinent quæ aliquando Seneca vir ſapientiſſimus de malis Philoſophis loquendo litte-
Epiſt.109. ris commendauit.Nullos quidem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui philoſophiam, velut aliquod artificiũ venale didicerunt:qui aliter viuunt, quam viuendum eſſe præcipiunt.Exempla enim ſeipſos inutilis diſciplinę circumferũt: nulli non vitio, quod inſequuntur obnoxij. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor,quam gubernator in tempeſtate nauſeabundus.Tenendum eſt rapiente fluctu gubernaculum:luctandum cum ipſo mari:eripienda ſunt vento vela. Quid poteſt adiuuare rector nauigij attonitus & vomitans?Quanto maiore putas vitam tempeſtate iactari,quam vllam ratem?Non eſt loquendum,ſed gubernandum. Hęc ille:ad quę quid dicerent, qui alios regendos & docendos ſuſcipiunt, & ſeipſos perdunt?Et hinc fortaſſe fit,cur in tanta Concionatorum multitudi

ne,quo-

ne, quorum vocibus omnia perſonant templa, tam paucos videmus concionum fructus: vel quia, ni vita fuerit omnino mala, is deeſt Concionatori ſcopus, quo omnes ſuos debet referre conatus. Quem autem ſcopum concionanti debeat eſſe propoſitus, nunc paucis exponam.

Quem Concionator ſcopum ſibi proponere debeat.
Cap. IX.

QVI Concionando, quod ad finem attinet, errare non vult, eum ſibi proponat, quem Deus in omnibus rebus faciendis propoſitum habuit, gloriam nimirum ſuam: hanc itaque primum bonus Concionator ſpectet, & deinde animarum ſalutem, ob quam Filius Dei omnia ob peccatum collapſa, formam hominis accipiens, refecit. Sui itaq; & ſuorum commodorum, honoriſque, & infamię bonus Eccleſiaſtes oblitus, hunc vnum ſcopum tota cogitatione perpetuo ſpectet, & nunquam ab eo mentis oculos auertat: quod faciet, ſi animaduertet, quam ſit nefarium, immortalis Dei honore, & hominum ſalute poſthabita, vanam gloriolam ſectari, & aurę popularis rumuſculos aucupari velle. Hoc Dominus docuiſſe videtur, dum ſuis diſcipulis ad concionandum ituris, tale pręceptum dedit; Neminem per uiam ſalutaueritis. Quid enim eſt aliud neminem per viam ſalutare, quam ita in ſuſcepto itinere pergere, vt nunquam oculi a vię termino auertantur? In hac itaque via ita progrediendum eſt, quaſi nemo occurrat, in quem oculos conuertas, & neminem ſalutes, a quo reſalutari, aut laudari velis: quod ſane volunt, qui ſolum vt hominibus placeāt, dicunt. Omnium ergo aliarum rerum oblitus, hoc vnum bonus Concionator agat, hoc vnum cogitet, in hoc vnum habeat oculos defixos: non ſecus ac mulier illa, quę ad Cyri hominum pulcherrimi conuiuium vocata, & a ſuo viro quid de illius pulchritudine ſentiret, interogata, reſpondit, A te, mi vir, nunquam oculos deflexi; ac proinde qualis ſit alieni viri forma prorſus ignoro. Atque hic eſt oculus illę ſponſæ, quo ſe vulneratum fuiſſe aiebat ſponſus, recte nimirum intentionis oculus: a qua qui, dum Dei opus tractant, recedunt, indignum facinus committunt, dum a ſummi Parentis gloria oculos auertunt, & ad vaniſſimę ſuę glorię fumum, a quo excęcantur, eos conuertunt: quo fit, vt qua, & quo eant, non videant, ac proinde facile corruunt. Et

Prouer. 16.
Luc. 10.
Cant. 4.

quamis.

quamuis tanta ſit in hac re turpitudo, atque peruerſitas, quantam verbis exprimere,aut cogitatione complecti poſſet nemo: tamen hanc foueam vitare,non eſt omnino facile. Etenim adeo honoris glorięque appetitio eſt hominum mentibus infixa, vt huius rei cauſſa,nihil ſit tam arduum,nihil tam difficile,atque moleſtum,quod homines ſui amantes non ſuſcipiant:ut paucos inuenire liceat, qui cum cętera uitia deprauatoſque affectus uicerint,huic uni non ſuccumbant.Qui affectus,eo eſt maior,eoq; uehementius incēdit,quo maius eſt id,unde appetita gloria proficiſcitur. Quare, cum dicendi ars ſit omnium pręſtantiſſima, quę ex ea naſcitur gloria,uehementius animos incendet; & idcirco difficilius extingui poterit. Hęc una eſt in cauſſa, ut ſtudiorum ſummi labores,bellorum certiſſima pericula ſuſcipiantur,& dies noctesque artifices omnes in ſuſceptis artibus deſudent.Hanc ingentem proprię laudis cupiditatem ignominię timor mirum in modum auget;cum nemo, etiam abiectiſſimus, reperiatur,qui ignominiam non pertimeſcat,non fugiat,quo fit, ut qui dicturi accedunt, interdum hoc timore oppreſſi, palleſcant,titubent,& omnibus membris contremiſcant. His itaque rebus Concionatoris minus conſtantis, & amori diuino minus accenſi, mens perturbata, aut propoſitum ſcopum non uidet, aut perpetuo nō intuetur,ſed alio diſtrahitur.Hęc,an uera ſint, quiſque in ſeipſo facilius experientia, quam ullius ſermone intelliget. Ex quibus illud inferre licet, neminem ſine diuino auxilio hanc puram ſynceramque intentionem habere, & an habeat,ſine cœleſti lumine cognoſcere non poſſe. Nam,ut Gregorius ſapienter in ſuo paſtorali ſcribit, Sępe mens ſibi mentitur, & fingit de bono opere amare id, quod non amat; de mundi autem gloria non amare id, quod agat. Idem, explanans illud Iobi, ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea,Sed ſunt,inquit,nonnulla,quę ſciri a nobis facile nequeūt, etiam cum geruntur.Sępe officium prędicationis aſſumimus,vt per hoc fraternę utilitati ſeruiamus:ſed niſi placeamus illi cui loquimur,nequaquam libenter accipitur,quod prędicatur. Cumque placere mens utiliter ſtudet,ad amorem proprię laudis profluit turpiter: & quę a captiuitate uitiorum alios curabat auertere,ipſa ſuis fauoribus incipit captiua ſeruire. Quaſi latrunculus quippe eſt appetitus laudis humanę, qui recto itinere gradiētibus ex latere iungitur: ut ex occultis educto gladio, gradientium uita trucidetur:cumque propoſitę utilitatis intentio ad ſtu-

Iob 9.

dia

dia priuata deducitur, horrendo mō, unū idemq; opus culpa per agit, quod virtus inchoauit. Sæpe ab ipſis exordijs aliud cogitatio expetit, aliud actio oſtendit. Et hæc eloquenter ſapienterque Gregorius. Cum itaque Concionator aliqua parte placere debeat, & is cui placet, non poſſit placentem non laudare, & laus oblata diſplicere non ſoleat, arduum, atque difficile erit, nolle ſibi in dicendo placere, & non quod ſuum, ſed quod Dei & proximi eſt, ſolummodo quærere. Orandus ergo erit a Concionatore diuinus Spiritus, cuius recta ſunt conſilia, vt ipſum per viam rectā ducat; & ſuam voluntatem facere doceat. Sed de intentionis integritate hactenus: Qua autem ratione hæc intentio comparari & conſeruari poſſit, poſtea dicetur. *Pſal.142.*

De Concionatoris ſpiritu, caritatis ve feruore.
Cap. X.

EVANGELICAE doctrinæ finem aſſequi volenti, qui eſt, impiorum ob gloriam Dei conuerſio, & ſpiritualis regeneratio, non modo doctrina, & honeſta vita, rectaque intentio eſt neceſſaria, ſed etiam, quē in alijs ingenerare debet, diuinus ſpiritus. De quo, etſi longus fieri poſſet ſermo; tamen nos qui ſolum docemus, multa in vnum caput conferemus: ac primum quidem, quid nomine ſpiritus intelligatur aperiemus: deinde eius neceſſitatem demōſtrabimus: poſtea nonnullas cauſſas cur neceſſarius ſit, afferemus: poſtremo quantus eſſe debeat, & qua ratione comparari poſſit indicabimus.

Quod igitur ad primum attinet, ſpiritum, quem diuina oracula & ſancti ſcriptores in diuini verbi miniſtro requirunt, ſacræ literæ, zelum, facultatem, virtutem, vim, fiduciam, potentiam, libertatemque in proponendo, dicendo, & mouendo vocant. Spiritus itaque, eſt poteſtas quædam Concionatori a Deo tributa, per quam eius verba energiam, pondus, efficacitatemque habēt, ad mouendum audientium corda; qua poteſtate verba ſine ſpiritu prolata carent: Vel, eſt quidam caritatis ardor, vnde diuinę gloriæ & ſalutis animarum naſcitur deſiderium, a Spiritu ſancto cordibus Concionatorum inditus: qui mortuo verbo vitam tribuit, literam viuificat, gladium verbi Dei acuit, dicentis cor inflammat, & audientium viſcera commouet: quo qui fœcundatus eſt, vna cum muliere illa, de qua in diuina Apocalypſi fit mentio, *Matt.7. Mar.1. Luc.24. Ioan 7. Ierem.1. Apoc.12.*

Gen.30. mentio, cruciatur, vt pariat, & cum Rachele viro ſuo, Deo nimirum ipſi, inquit, Da mihi liberos, alioqui moriar. Quod autem hic ſpiritus ſit Præconi diuino neceſſarius; quamuis ſit per ſe manifeſtum; tamen, vno vel altero diuinæ legis teſtimonio comprobare libet. 1.Cor.2. Si nemo, vt aliquando ſcripſit Paulus, poteſt dicere, Dominum Ieſum, hoc eſt, in Ieſum credere, niſi in Spiritu ſancto; quanto minus quiſpiam vniuerſam Chriſti Ieſu doctrinam docere, & ad eam exequendam alios permouere ſine hoc ſpiritu poterit? Rom.8. alio loco, per ſpiritum adoptionis, Abba, pater, nos clamare poſſe teſtatum reliquit: & alibi, Diuiſiones gratiarum 1.Cor.12. ſunt, idem autem ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus: vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem.

Et quamuis multæ ſint cauſſæ ob quas hic ſpiritus in bono Concionatore eſt neceſſarius: tamen ex multis, ne in re manifeſta ſim multus, paucas paucis attingam. Primum igitur, ideo eſt neceſſarius, quia legem ſpiritualem ſpiritualiter tractare, ac docere debet: quod facere non poterit, qui hoc ſpiritu fuerit deſtitu 2.Cor.3. tus. Neque enim eſt miniſter literæ, quæ occidit, ſed ſpiritus, qui viuificat: non docet carnalia, ſed ſpiritualia: non ſolum facienda demonſtrat, ſed etiam modum quo fieri debent & poſſunt oſtendit: quod eſt eius legis, quam tractat, proprium. Vt itaque a Iudaico & literæ miniſtro differat, & ſpiritu libertatis non timoris doceat, eſt ei neceſſarius nouæ legis ſpiritus, quo, qua ratione lex ſpiritualis ſeruari debeat, auditores doceat. At nemo, etiam eruditiſſimus, mea quidem ſententia, quomodo ſpiritu ambulandum ſit bene docebit, ni prius ipſe a ſpiritu fuerit edoctus, & ea quæ dicit ipſe prius per hunc ſpiritum guſtauerit. Cum nemo ſciat, 1.Cor.2. quæ ſunt Dei, niſi ſpiritus Dei, & cui voluerit reuelare. Ideo optimus Concionator Paulus aiebat, Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: vt ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis: quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Hic hic ſpiritus eſt optimus dicendi artifex, hic abſolutus eloquentiæ magiſter, hic perfectum informat Concionatorem, quem humana præcepta & Rhetorū meliores ſcholæ formare non poſſunt: hic omnes ſuadendi rationes ſubminiſtrat: hic omnes machinas ad animos permouendos fabricat: hic auditorum mentes vnde vult abducit, & quo vult impellit. Qui

eſt hoc

eſt hoc ornatus ſpiritu, Lazarum iam fœtidum e ſepulchro educit. Viduæ filium in vitam reuocat, & dæmones ex hominum mẽtibus eijcit. Qui eſt hoc ſpiritu præditus, ſurdis auditum, claudis greſſum, cœcis viſum reſtituit. Qui eſt hoc imbutus ſpiritu, clamat, obſecrat, terret, arguit, increpat, & auditores in admirationem rapit, ſine qua admiratione, vt Cicero ſcribit, nulla eſt eloquentiæ laus. *Cicer.* Quem igitur homines tanquam Deum admirantur? in quo ſtupent? niſi in eo, qui quodam diuino ſpiritu incenſus, inflammatam ad audientium corda adhibet orationem. Atque hic eſt ille ſpiritus robuſtorum, qui turbinis inſtar impellit *Iſai. 25.* parietem, hoc eſt, qui hominum pectora diuturna peccandi conſuetudine obdurata concutit, atque diſrumpit; & vox illa Domini, quæ confringit cedros Libani intercidentis flammam ignis; *Pſal. 28.* vox inquam Domini concutiens deſertum. Tale quiddam humanæ eloquentię artifices in ſuo Oratore perfecto requirunt, vt apte ad perſuadendum dicat, atque etiam perſuadeat. Neque fieri poteſt, inquit apud Ciceronem Antonius, vt doleat is, qui audit, vt oderit, vt inuideat, vt pertimeſcat aliquid, vt ad fletum miſericordiamque deducatur, niſi omnes ij motus, quos Orator adhibere volet iudices, in ipſo Oratore impreſſi atque inuſti videbũtur. Et infra, Neq; enim facile eſt perficere, vt iraſcatur cui tu velis iudex, ſi tu ipſe lente ferre videare: neque vt oderit eum, quem tu velis, niſi te ipſum flagrantem odio ante viderit: neque ad miſericordiam adducetur, niſi ei tu ſigna doloris tui, verbis, ſententijs, voce, vultu, collacrymatione deniq; oſtenderis. Vt enim nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quæ niſi admoto igni, ignem concipere poſſit: ſic nulla mens eſt tam ad comprehendendam vim Oratoris parata, quæ poſſit incendi niſi inflammatus ipſe ad eam & ardens acceſſeris, & multa alia lectu digna, quæ ibi ſequuntur. Et cum exponeret qua ratione ipſe quandam cauſſam peroraſſet, hæc inter alia dixit, Et cum iſta feci, quæ tu Craſſe laudas, non arte, de qua quid loquar neſcio, ſed motu magno animi ac dolore, vt diſcinderem tunicam, vt cicatrices oſtenderem; cum C. Marius mœrorem orationis meæ præſens ac ſedens multum lacrymis ſuis adiuuaret; cumque ego illum crebro appellans, collegam ei ſuum commendarem, atque ipſum aduocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam inuocarem: Non fuit hæc ſine meis lacrymis, non ſine dolore magno miſeratio, omniumque deorum, & hominum, & ciuium, & ſociorum imploratio. Quibus omnibus verbis, quæ a me tum

ſunt habita, ſi dolor abfuiſſet meus, non modo non miſerabilis, ſed etiam irridenda fuiſſet oratio mea. Quamobrem hoc vos doceo Sulpiti, bonus ego atque eruditus magiſter, vt in dicendo iraſci, vt dolere, vt flere poſſitis. Hactenus ille. Quem locum ideo adſcribere placuit, vt Concionatores intelligant, quantum in eis efficeret diuinus ſpiritus, ſi eo eſſent imbuti, cum quidam humanus ſenſus tantum queat efficere: quo ſpiritu qui ſunt incenſi, in
Ierem. 22. has prorumpunt voces, Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini: Generatio praua atque peruerſa, hæccine reddis Domino
Pſ. 118. 68. popule ſtulte & inſipiens? Vidi præuaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt: Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me: De-
2. Corin. 11. fectio tenuit me pro derelinquentibus legem tuam: Quis infir-
Galat. 4. matur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vo-
1. Cor. 9. bis. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Et vt hunc locum, de quo alibi non nihil dicetur, concludam, qui hoc diuino ſpiritu fuerit imbutus, quæ in ſe ipſe prius ſentiet, quę ipſe guſtabit, efficaciter alijs proponet, perſuadebit, ſeque & alios tanquam bonus gallus ad bene agendum excitabit.

Deinde, vt ex ijs quæ dicebamus facile colligitur, ideo hic ſpiritus feruor eſt Concionatori neceſſarius, vt auditorum animos
Luc. 24. quaſi ignis ita incendat, vt dicere poſſint, Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? & ueluti malleus corda conterat, & quaſi gladius utrin-
Heb. 4. que acutus uſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum penetret, & cogitationes intentioneſq;
2. Cor. 10. cordis diſcernat. Nam, ut ait Paulus, Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit ueſtra obedientia. Debet itaque concionantis gladius eſſe ſpiritualis, ut dæmonis regnum deſtruere, & regnum Dei tueri poſſit:
Ioan. 6. qualis nunquam erit, ſi ipſe ſpiritu caruerit. Et, cum Chriſto in officio ſuccedat, ea loqui debebit uerba, quæ ſpiritus & uita ſint, ut Chriſtus loquebatur: ut qui ea audiunt, dicere queant, Verba uitæ habes: & mirent in uerbis, quæ ex ipſius ore procedunt: atq;
Luc. 11. et exclament, Beatus venter qui te portauit, & ubera quę ſuxiſti. Ad hæc,

Ad hæc, ideo eſt neceſſarius in Euangelico Concionatore ſpiritus, vt diuinæ legis, quæ ſpiritu ſcripta fuit, ſpiritum excipiat, & concipiat, conceptumque pariat. Hoc, ait Petrus Apoſtolus, primum ſcitote, quod omnis prophetia ſcripturæ, propria interpretatione non fit: Cuius rei rationem reddendo ſubiecit, Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, loquuti ſunt Dei homines. Opus igitur erit ad eam exponendam eo ſpiritu, quo ſcripta fuit: & præſertim ſi ita exponi debeat, vt expoſitio ad actionem, & ad permouendos affectus, quod eſt Concionatoris proprium, referenda ſit. Explicet, gratia exempli, quiſpiam diuino affectus ſpiritu hæc verba, Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus, & mirabilem quendam in ſe, & in alijs amandi Deum excitabit affectum. Explicet alius ſine ſpiritu, is & ſe & alios parum, aut nihil commouebit. Itaq;, qui ſine hoc ſpiritu ad dicendum accedet, verborum & rerum in ſcriptura contentarum vim non percipiet, non ſentiet, non guſtabit; ac proinde cum ſenſu dicere non poterit, Guſtate & videte quam ſuauis eſt Dominus: nec etiã exclamare, quã dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo? Hinc eſt, quod videmus quoſdam, qui etiamſi ipſam Chriſti mortem truculentiſſimam & acerbiſſimã tractent, nec vnam quidem lacrymam ex auditorum oculis excutiunt, quamuis omnem humanum conatum adhibeant. Huc etiam pertinet, quod diuina oracula omnem humanam excedunt intelligentiam; quæ qui ſpiritu carent, minime poſſunt attingere: Ideo recte monebat Sapiens, Altiora te ne quæſiueris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſine ſpiritu ſcilicet diuino, qui plurima ſuper ſenſum humanum hominibus reuelat.

2. Pet. 1.

1. Ioan. 3.

Pſal. 33.

Pſal. 18.

Eccl. 3.

Denique, vt multas alias cauſſas miſſas faciam, ea mihi ſemper viſa eſt eius quod quærimus efficaciſſima rõ, quam & ſupra attigimus, quia Concionator ſpiritualium hominum ſe magiſtrum eſſe, ſeque ſpiritualem vitam alios docere profitetur. At ſi ſpiritu carebit, quomodo honeſte in ſpirituali ſchola verſabitur? quomodo id communicabit, quo caret ipſe? quomodo docebit, quod ignorat? Cogitent hic, obſecro, qui ſine ſpiritu, hãc ſpiritualem functionem aggrediuntur, ſæpe contingere poſſe, vt apud eos dicant, a quibus ipſi ſpiritualem doctrinam doceri poſſent: At quanta eſt peruerſitas, vt is eum doceat, a quo docendus eſſet? vt is fiat præceptor, qui deberet eſſe diſcipulus? vt cæcus videnti ſe ducem præbeat? Et, vt quod ſentio dicam, hæc vna res ab

huius muneris tractatione me potiſſimum retraheret, quod ſem per timerē, ne eos viderer docere, a quibus ipſe docendus eſſem; & ſepenumero etiam ab aliqua minima & rudi muliercula. Vnde ſapienter Plotinus, cum publice in quodam gymnaſio legeret, & in eius ſcholam Origenes ingreſſus eſſet, lectionem abrupit, dixitque, Non legit diſcipulus, vbi magiſter adeſt.

Huius ſpiritus neceſſitatem aliqui animaduertentes, & ſe eo carere ſuſpicantes, tanti muneris functionem reliquerunt. Ideo quidam vir pius interrogatus, quid eſſet maxime neceſſarium ad hoc munus recte obeundum, reſpondit, Ardentiſſimo Domini Ieſu amore flagrare.

Sed peteret hoc loco quiſpiam, quantus nam eſſe debeat hic ſpiritus, hic ardor; tantus, dicerem, quanta eſt finis propoſiti magnitudo, gloria Dei, ſalus animarum; quarum cauſſa Filius Dei in hunc mundum venit, tot annos laborauit, tot calamitates pertulit, & totum ſanguinem cum vita profudit: quanta in homine auariſſimo non eſt auri cupiditas, & quanta in ambitioſiſſimo non eſt honoris appetitio. Rurſus rogaret quiſpiam, qua ratione hic ſpiritus comparari, & quo pacto, an aliquis eo ſit praeditus cognoſci queat, cui ſequenti capite ſatiſfacere conabimur.

Quomodo ſpiritus Concionatori neceſſarius acquiri, & an acquiſitus ſit, cognoſci poſsit. Cap. XI.

CVM tanta ſit in Oratore chriſtiano ſpiritus diuini neceſſitudo, quantam fortaſſe explicaret nemo, propterea non erit inutile, nec a loco in quo nunc verſamur alienum, paucis docere, quo pacto acquiri, & an acquiſitus ſit cognoſcere liceat; ne quis temere ſine eo tantum opus ſuſcipiat, aut ſuſceptum, ſine vtilitate exerceat.

Cum ergo qui requiritur in diuino Praecone ſpiritus, non humanis viribus, non ſtudio, non arte acquiratur, illa ſeſe primo ad eum conſequendum offert via, vt à Deo omnium bonorum largitore ſummis precibus petatur: ad quod faciendum diuinę literae nos hortantur, & exempla eorum qui id fecerunt nobis proponunt. Da mihi, aiebat Eſther, fiduciam Domine rex Deorum, & vniuerſae poteſtatis: tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri, vt & ipſe pereat, & caeteri qui ei conſentiunt: & regius Vates,

Cap. 14.

Domine

Domine labia mea aperies,& os meum annunciabit laudem tuã: *Pſal. 50.*
Spiritum rectum innoua in viſceribus meis:& poſtea ſubiecit,
Docebo iniquos vias tuas. Denique, Apoſtoli ideo Spiritumſan- *Act. 1. & 2*
ctum accipere meruerunt, quia erant perſeuerantes in oratione.
Qui igitur hoc ſpiritu ſe egere ſentit, poſtulet eum a Domino, *Iacob. 1.*
qui dat omnibus affluenter,& non improperat: Poſtulet autem
in fide, nihil hæſitans. Spiritusſanctus, ait Auguſtinus, fidelibus *Lib. 4. de Fide ad Pet. c. 45.*
ſe deprecantibus copioſum ſubminiſtrat adiutorium, ſicut Pro-
pheta dicit, Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, om-
nibus inuocantibus eum in veritate: voluntatem timentium ſe fa- *Pſal. 144.*
ciet,& preces eorum exaudiet,& ſaluos faciet eos.

Deinde, integra vita, pietas,& religio ad hunc ſpiritum con-
ſequendum conferunt, quo etiam referres rectæ intentionis pu-
ritatem, de quibus rebus ſupra diximus. Quoniam Deus non po-
teſt non communicare ſpiritum ſuum eis, qui eius gloriam,&
animarum ſalutem concionando quærunt. Ad hanc rectam in-
tentionem habendam, ex qua maxime pendet recta huius diuini
muneris functio, multum conferet, ſi quantum meriti referatur
ex vnius animæ ſalute, quam ſpectandam eſſe diximus, Concio-
nator conſideraret: cum nullum, auctore Gregorio, ſit ſa-
crificium Deo gratius, quam ſalus animarum. Quare, nullo
modo Deus eam animam ſuo ſpiritu infœcundam relinquet,
qui ad eum aberrantes animas reducere curabit. Ideo aiebat Sa- *Prou. 11.*
piens, Anima quæ benedicit, impinguabitur:& quæ inebriat, ip-
ſa quoque inebriabitur. Et diuus Iacobus, Fratres mei, ſi quis ex *Iac. 5.*
vobis errauerit a veritate,& conuerterit quis eum, ſcire debet,
quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſal-
uabit animam eius a morte,& operiet multitudinem peccatorũ.
Si ſui nominis ſibi a Chriſto impoſiti meminerit, hoc eſt, ſe eſſe
hominum piſcatorem, ac proinde ſibi nihil poſſe accidere ingra
tius, quam ſi in vanum ſagenam in mare miſerit, quam ſi totam
noctem laborando nihil ceperit. Denique, ſi eam conſolationem *Luc. 5.*
animaduertet, quæ ex alicuius peccatoris cõuerſione percipi po
teſt: Quoniam qui filium Deo peperit, honeſta quadam gloria,
vna cum Lia diceret, Nunc quoque copulabitur mihi maritus *Gen. 29.*
meus, eo quod pepererim ei tres filios. Mentis eius qui concio-
natur maritus, eſt diuinus ſpiritus, quo fœcundata, concipere &
parere filios ſpirituales poteſt.

Præterea, ad hunc ſpiritum concipiendum,& acquirendum,
mirum in modum confert humilitas, per quam homo ſeipſum

quodammodo euacuat, dum nec naturalibus donis, nec literis, nec vlla arte innixus, ſolo diuino ſpiritu, ſe id efficere poſſe ſperat, quod omnes naturæ vires ſuperat: intelligitque, ſe ſuo ſtudio nunquam poſſe perficere, vt id exprimat, quod eſt ſupra naturã, cum ars nondum eo peruenerit, vt ipſam naturam exprimat perfecte. Cum itaque Deus pauperes, hoc eſt, eos qui parum de ſe ſentiunt, ſuo ſpiritu doceat, & vero ſpiritu repleat, quem poſtea in alios effundant, neceſſe eſt, vt Concionatoris animus per humilitatem concha fiat, vt poſtea quaſi canalis, quæ ipſe accepit, aliis communicet: de qua re, cum multi aliter faciant, pie aliquãdo quæſtus eſt Bernardus, & qui eum imitatus eſt Bernardinus. Suſcipiant ergo montes pacem populo, & colles iuſtitiam, hoc eſt, Concionatores res diuinas, quas populo communicent.

Act. 1. *Pſal. 71.*

Huc referres obedientiam, ex qua, qui hoc munus ſuſcipit, multo dignior eſt, vt ei Deus ſuum impertiat ſpiritum, quaſi legato a ſe miſſo; qua de re plura poſtea dicentur. Multum itaque piſcium is capiet piſcator, qui in Chriſti nomine ſua laxabit retia. Ex his omnibus quæ ad ſpiritum concipiendum conferre poſſe diximus, vim maximam habet oratio. Ideo Bernardus hac de re ſcribendo dixit, Nunc manent tria, verbum, exemplum, & oratio; maior autem horum oratio. Ea nanque operi, & voci gratiam & efficaciam promeretur. Ideo Chriſtus Dominus Concionatorum perfectum exemplar, in orationibus pernoctabat: & de die populum docebat. Per orationem itaque Eccleſiaſtes rapitur in cœlum, terramq; nobis promiſſam, hoc eſt, beatam vitam explorat, vt quanta ſit æternæ felicitatis magnitudo alijs poſſit exponere. Per orationem iuſtorum ſempiterna pręmia videt, æternos malorum cruciatus ſentit, piorum felicem ſtatum intuetur, peccatorum miſeram & calamitoſiſſimam conditionem perſpicit, ſeipſum inflammat, & pro ijs quos docturus & ad bonam frugem reuocaturus eſt, Dei miſericordiam deprecatur. Deniq; vt hunc locum concludam, Prædicator, ait Proſper, non in verborum ſplendore, ſed in operum virtute, totam prædicandi fiduciam ponat: non vocibus delectet populi clamantis, ſed fletibus: nec plauſum a populo ſtudeat expectare, ſed gemitum: lacrymaſque, quas vult a ſuis auditoribus fundi, ipſe primitus fundat: & ſic eos compunctione ſui cordis accedat. Quibus ſane verbis ea fere continentur omnia, quæ hactenus recenſuimus.

Luc. 5. *Epiſt. 201.* *Luc. 6.* *Lib. 1. de vita contem.*

Quod vero attinet ad aliud, quod explicãdum propoſuimus, primum, ipſemet diuinus ſpiritus hoc intus ipſum Concionatorem.

Rom. 8.

rem do cebit:ipſe enim teſtimonium reddit ſpiritui noſtro,quod ſimus filij Dei. Deinde,animaduertat,an concionando ea in auditorum animis efficiat, quæ diuinum verbum ex ſpiritu prolatum efficere ſolet: ea, inquam, quæ homines hoc diuino repleti gratia fecerunt;vt Petrus, Paulus, Stephanus, Franciſcus, Dominicus, Vincentius, Bernardinus, & alij, hoc eſt, an ita auditores commoueat,vt eos a peccato reuocet,ad perfectionem incēdat, & ad perſeuerantiam inducat; an, inquam,efficiat,vt humana contemnant,diuitias conculcent, honores flocci faciant, & omnia huius vitæ bona pro nihilo habeant: an conciones frequentent,an ab ore dicentis pendeant,& magis Deum quendam,quā hominem ſe audire exiſtiment, quem mirentur, ſuſpiciant, & reuereantur; quod in eo maius quiddam eſſe intelligant, quam quod humana vi præſtari poſſit: an ſentiant, ſpiritui,qui loquitur in eo reſiſtere poſſe neminem: & an qui eum intuentur, videant faciem eius,tanquam faciem Angeli. Et quoniam multo eſt ſecurior de huius ſpiritus conſequutione & adeptione is qui ad hoc munus vocatus accedit;ideo,quàm ſit neceſſaria hęc conditio in eo,qui hoc munere idoneè fungi voluerit, paucis doceamus. *Act. 6.*

Quod nemo niſi vocatus & miſſus concionari debeat.

Cap. XII.

QVAM ſit neceſſe vt diuini verbi miniſter vocatus & miſſus ad concionandum accedat, hæc primum illuſtris diui Pauli docet auctoritas,qua dicitur, Nec quiſquam aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo,tanquam Aaron. Cum itaque concionandi munus ſit perhonorificum atque diuinum, nemo,niſi a Deo vocatus,illud ſibi aſſumat:& qui ſecus faciunt,non leuiter offendunt; cum non ſine magna præſumptione & audacia,ſe tanquam homines perfectos & aliorum magiſtros ingerant. De quorum temeritate aliquando Deus per Ieremiam hunc in modum conqueſtus eſt,Falſo prophetæ vaticinantur in nomine meo:non miſi eos,non præcepi eis,neque loquutus ſum ad eos. Quæ miſſio niſi eſſet neceſſaria,nunquam Paulus dixiſſet, Quomodo autē audient ſine prędicante? Quomodo autem prædicabūnt niſi mittantur?

Heb. 5.
Primas in hunc locum.
Iſa. 48.55. 61.
Iere 14.23. & 29.
Rom. 10.

Deinde,huius miſſionis neceſſitudo ex eo demōſtrari poteſt, quod,cum hoc munus,ut ſupra docuimus,ſit maxime arduum,

1. Tim.4. & vires ſuperet humanas, diuina gratia & priuato ſpiritu indi-
2. Tim. 1. get; quem Deus ijs ſolum dabit, quos ipſe vocauerit, & miſerit,
non furibus & latronibus, qui per feneſtras, non vocati, ſeſe in-
Ioel. 2. trudunt: Deus enim ſuſcitat verbum ſerui ſui, & conſilium nun
Iſai.44. tiorum ſuorum complet. Non ſecus, ac ſi quis legationem regiã
ex ſe ſuſciperet, cui profectò Rex ad eam obeundam neceſſaria
auxilia non ſuppeditaret. Quare, qui temere in publicum ve-
niunt, diuina gratia deſtituti, ſibi & alijs nocent, bonorum mini
ſtrorum locum occupant, Eccleſiaſticos ordines perturbant, &
digniſſimum miniſterium indigne tractant.

Præterea, idem confirmare licet ex omnium bonarum rerum
publ. conſuetudine; in quibus ad maiora munera obeunda, nemo
niſi vocatus electuſq; accedit: Quã conſuetudinem ab ipſo mun
di exordio in Eccleſia Dei ſemper fuiſſe multis exemplis com-
probare licet. Vocatus fuit Noe ad conficiendam arcam, Abra-
ham ad ſacrificandum filium, Moſes ad populi Hebræi liberatio-
nem, cui ex vocatione diuina ſocius datus fuit Aaron: Samuel ad
vngendos Reges, Saul & Dauid ad regnandum, & denique om-
Gen. 6. nes Prophetæ, & Apoſtoli, vt Iſaias, Ieremias, Amos, Ionas, Ioan
Iſai.5. Baptiſta, Andreas, Petrus, Iacobus, Matthæus, Paulus, & alij ad
Ierem.1. concionandum: & Septuaginta interpretes, non niſi vocati &
Mar.1.10. miſſi, diuinam ſcripturam, non ſine diuino ſpiritu, verterunt.
Luc.5. Immo Chriſtiani omnes vocantur, ob quam cauſſam in diuinis
Matt. 9. literis Vocati, nominari ſolent. Si ergo nemo ſit Chriſtianus ni-
ſi vocatus, quanta erit eius impudentia & audacia qui non voca-
tus chriſtianorum Magiſter ſeipſum conſtituet? cum etiam ipſe
Pſal.2.109 Dei Filius conſtitutus ſit Rex a Patre ſuper montem ſanctũ Siõ,
Rom.1. prædicans præceptum eius, vocatus inquam & deſtinatus: qui
Hebr. 5. non ſeipſum glorificauit vt Pontifex fieret. Habet hoc, inquit
Luc.4. Treuerenſe Concilium, Apoſtolica eccleſia, vt nullus niſi miſſus
prædicet; ſicuti Chriſtus non niſi miſſus prædicauit; ipſo apud I-
Cap. 61. ſaiam atteſtãte, Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxit me: ad
Luc.4. annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde,
&c. Si itaque, qui in hoc munere verſantur, illud ex obedientia,
quæ ſine humilitate eſſe non poteſt, ſuſciperent, multo magis i-
donei ad diuinum ſpiritum recipiẽdum fierent, & vberiores in
agro Dominico fructus efferrent, & Dominus de eis nõ diceret,
Iere.23. Nihil profuerunt populo huic. Atque de vocationis neceſſitate
hæc pauca dixiſſe ſufficiat.

Con-

Concionatores examinandos & probandos eſſe. *Cap.* X I I I.

LONGVM ſane facerem, ſi omnes boni Concionatoris partes priuatim exponere vellem. Satis itaque erit, ſi præcipuas attigero, quas reliquæ neceſſario ſequentur: aut, ſi abfuerint, non multum intererit. Dicam igitur hoc capite aliquid de approbatione, quæ cum vocatione & miſſione debet eſſe coniuncta.

Vocandus itaque & mittendus eſt diuinus Orator, ut diximus, in agrum & vineam Domini tanquam bonus operarius: ſed an bonus ſit, hoc eſt, an eas habeat partes, quæ omnino ad hoc munus cũm Dei honore & animarum ſalute exercendum, ſunt neceſſariæ, omnino videndum eſt: quod qui non vident Epiſcopi & Prælati, nec ſibi, nec ſubditis vident, nec inuigilant: nec quod in Concilio Lateranenſi, & Tridentino prudentiſſime ſancitum eſt, obſeruant. Et Treuerenſe Concilium ſpeciatim definiens quales eſſe debeant qui admittendi ſunt, ita decernit, Attamen, non tam eloquentiores, quam ſapientiores; non tam argutiores, quam meliores eligendi ſunt; modo gregi, ſana doctrina paſcendo, non ſint prorſus inidonei. Aut, cum Clemente Romano, is eligendus eſt, qui ſit apprime eruditus, doctus, irreprehenſibilis, maturus, & impauidus. *Sub Leone X. ſeſſ. 11. Seſſ. 5. ca. 2. de refor. & ſeſſ. 24. c. 4.*

Cum itaque eccleſiaſticus Declamator illud verbum docere debeat, quod eſt examinatum & probatum ſeptuplum, hoc eſt diligentiſſime, ipſe quoque diligenter examinandus eſt; an ſit ea doctrina & illis moribus informatus, ſine quibus honeſte & vtiliter tanto munere fungi non poteſt. Et ſane, ſi ij qui ad religionis ſtatũ, & ad perfectionem acquirendam admittendi ſunt, per annum probantur; quanto magis ij probãdi eſſent, qui ſe alios poſſe perficere profitentur, & ad alios perficienods accedunt? Si in quibuſdam bene inſtitutis ciuitatibus non admittuntur artifices ad ligna dolanda, ad veſtes conficiendas, ad calceos ſuendos, niſi aliquot annos in ea quam volunt profiteri arte fuerint verſati, & poſtea approbati, cur quicunq; temere ad hanc omnium artium artem tractandam, non verſatus, non exercitatus, non approbatus admittetur? Si nec Tabelliones ad inſtrumenta conficienda, nec Iudices ad cauſſas definiendas, nec Medici ad morbos ſanandos admittuntur, niſi prius in ſcholis verſati, exercitati, & tandẽ publice approbati fuerint, cur imperiti, non exercitati, non exa- *Pſalm. 11.*

minati Concionatores, qui cauſſas maximi momenti, In quibus de ſumma rerum, hoc eſt de animarum ſalute agitur, ſine vllo examine admittentur? qua in re, an aliquis ſit abuſus, alij viderint. Quare, ſi vere quidam ſanctus Pontifex dixit, Expedire Eccleſiæ Dei paucos habere ſacerdotes, idem de Concionatoribus fortaſſe affirmari poſſet. Ego vere illud referam me quoſdam cuiuſdam religionis habuiſſe diſcipulos, qui prima Dialecticæ elemẽta, immo etiam ipſam Grammaticam ignorabant, pręter iuuenilem ætatem, qui ad concionandum admittebantur. Et, vt hunc locum concludam, ſi ordinibus initiandi, ſi ad animarum curam admittendi, examinantur, cur non etiam Concionatores, qui perſonam Dei, cuius ſunt nuntij referentes, tanquam oracula quædam omnibus quos docent, in ijs, quæ ad fidei dogmata & bonos mores pertinent, ſatisfacere debent, diligenter examinandi non erunt? Qui, ſi huius muneris difficultatem ac magnitudinem animaduerterent, omnino maiorum approbationem & examen requirerent, ne quid de ſe viderentur præſumere; & vt approbati, minus de ſua indignitate dubitarent. Ad quod faciendum facile permouerentur, ſi Moſis, & Ieremiæ exempla ſibi ob oculos ponerent: quorum alter vocatus a Deo ad agendum cum Pharaone de Iudaici populi liberatione, dixit, Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Aegypto? Et rurſus, tãtæ prouinciæ difficultatem animaduertens, ſe ad eam ſuſcipiendam ineptum eſſe aiebat, ac proinde Deo dicebat, Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius: & ex quo loquutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguę ſum. Et quamuis Deus in eius ore ſe futurum, & quid loquuturus eſſet, ſe docturum pollicitus eſſet, iterum eandem prouinciam his verbis recuſauit, Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es; ac ſi dixiſſet, Mitte Filium tuum, qui eſt ſapientia tua, quem te miſſurũ promiſiſti. Tandem, Deus eius fratrem Aaronem, virum eloquẽtem ei in ſocium dedit, & in vtriuſque ore ſe futurum promiſit. Animaduertant hic audaces & infantes Concionatores, videantque, quid Pharao, quid Aegyptus, quid animæ inde educẽdæ deſignent, perpendant Moſis viri ſapientiſſimi doctrinam, & Aaronis eloquentiam; & de ſe iudicium ferant. Alter vero, cum ſe prophetam Gentibus datum eſſe audiuiſſet, ad Deum conuerſus, dixit, A, a, a, domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Qui igitur cum vtilitate, ſalua religione, hoc munus exercere volunt, illud examinari, & probari ſuſcipiant.

Clem. Rom. *Exod. 3.* *Exod. 4.* *Ierem. 1.*

Quam

Quam ſit neceſſaria in Concionatore prudentia, atque conſtantia.
Cap. XIIII.

QVod autem ad Concionatoris prudentiam attinet, de qua longus poſſet haberi ſermo, breui dicam, tantam eſſe debere in chriſtiano Oratore prudentiam, quanta fortaſſe in nullo alio Eccleſiæ miniſtro requiritur: Quod veriſſimum eſſe is intelliget, qui ea leget, quæ de politico Oratore libro tertio de Eloquutione oratoria, in quæſtione de decoro in dicendo ſeruando, deque Iudicio, in altero de arte dicendi libro ſcripſimus. Et ſane, quis in eo prudentiam quandam pluſquam humanam non requirat, qui cauſſas grauiſſimas, varias apte & accommodate ad varia loca, ad varia tempora ad varias hominum voluntates ſit tractaturus? qui vna voce, vno & eodem tempore diuerſis hominum voluntatibus & ſenſibus ſit ſatisfacturus? Summa itaque ac prope diuina prudentia ſit chriſtianus Eccleſiaſtes ornatus, qua in his potiſſimum rebus vti debebit.

Primum, in diſtribuendo diuino verbo, pro auditorum capacitate: cum fruſtra fundantur verba, vbi non eſt auditus, qui, re vera, non eſt, vbi audienti intelligentia abeſt: non ſecus ac ſi quis ad ſcamna & ad parietes verba funderet: qua in re, an paſſim a multis per imprudentiam peccetur, nihil attinet dicere.

Deinde, in ſeligendis rebus vtilibus, vtilibus inquam, iis apud quos dicitur; cum non ſint omnia omnibus vtilia, nec quodcunque bonum ſit cuique bonum: alia idiotis, alia eruditis, alia peccatoribus, alia piis hominibus, alia religioſis, alia ſecularib, alia deniq; aliis hominum ſtatibus vtilia & accommodata ſunt; Ad quod faciendum humanarum rerum rationes auditorumq; varietatem, ſtatuumque conditiones perſpectas habere oportebit; vt paullo planius alio dicetur loco. Huc referres eorum imprudentiam, qui dubitationes curioſas & incertas in concione tractat: quæ res, præter multa alia incommoda, illud habet, quod rudium animos offendit: dum ineruditi vident inter doctores varias eſſe ſententias, & interdum pugnantes. Sermo itaque prudentis Concionatoris ſit popularis: oratio ad populum in eccleſia, non lectio ad diſcipulos in ſchola. *Ariſt. lib. 5. ethic.*

Præterea, in modo rationeque dicendi, vt ſane, vt pie, vt caſte loquatur, ne piorum aures ſimplices & caſtas offendat, & puſillis

can-

ſcandali occaſionem præbeat.

Denique, maxima eſt opus prudentia, in locorum, temporum, & perſonarum circunſtantijs obſeruandis, pro quarum ratione, quæ dicuntur, modusque dicendi variandus eſt: quas qui non cōſiderant, non animaduertunt, ſæpenumero grauiſſime errant: & maxime cum in reprehendendo verſantur, qua de re poſtea latius ſcribetur, vt, ſi quis de malis ſacerdotum moribus apud plebem diceret.

Quod vero ad conſtantiam, ac libertatem in dicendo attinet, ſi diuinus Orator ſine vlla adulatione vitia damnare & quæ dicenda ſunt infracto animo pronuntiare debet: ea animi firmitudine in medium armatus veniat, vt nihil vnquam poſſit eum impedire, quin veritatem dicat, vt Dei gloriam & animarum ſalutem dicendo conſequatur. Hanc animi conſtantiam, vt ex ſacris literis colligere licet, Deus ijs quos ipſe miſit miniſtris tribuit. Ideo cuidam Concionatori a ſe miſſo dixit, Ne formides a facie eorū: nec enim timere te faciam vultum eorum. Ideo bono Concionatori ea de qua loquimur firmitudo eſt neceſſaria, vt aduerſarijs, mundo videlicet, & diabolo ſeſe opponat, & eorum inſultibus reſiſtat: cum vtrique dicendo diſplicere, eorumque artes detegere, atque vtrunque damnare debeat. Et quod interdum accidere ſolet, atque difficilius eſt, etiam cum ſeipſo ei pugnandum erit; dum, vel ſibi non ſatisfaciet, vel eum ſpiritum, quem vellet habere, nō habebit; vel non eum fructum quem deſideraret, ex ſuis laboribus colliget. Quare, ſæpe ipſi ſibi erit grauis, & contra ſe, hoc eſt contra ſuas appetitiones rationi contrarias pugnare debebit: quod Deus interdum ad maius illius meritum permittet: vt quo minus ſibi in hac re placet, magis Deo, & alijs quoque placeat.

Pſal. 118. *Iſai. 49.* *Ierem. 1.*

Præterea, neceſſaria eſt hæc conſtantia, atque hoc animi robur, in pronuntianda veritate, cum opus eſt, ita ut nullius timeat perſonam, non minas, non cruciatus. Idcirco recte monebat Sapiens, Noli quęrere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua. Hac fiducia atque conſtantia erat armatus ille qui dicebat, Loquebar in teſtimonijs tuis in conſpectu Regū, & non confundebar. Hac conſtantia Moſes, Elias, Micheas, Daniel, Machabæi, Ioannes Baptiſta, & Apoſtoli omnes fuerunt a Deo muniti. Hac animi magnitudine bonus Concionator roboratus, atque ſola recte concionandi intentione, de qua ſupra dixi-

Eccl. 7. *Pſal. 118.*

diximus, motus, facile etiam de ſe victoriam referet, quod ſeipſum prędicare nolit,& de frequenti concione,auditorumq; multitudine non erit multum ſolicitus:quæ res multorum Concionatorum animos perturbare conſueuit; ſed ſatis ſibi eſſe exiſtimabit,ſi,vel vnum habeat auditorem, quem ad Deum traducere queat.Huc pertinet ſingulare Chriſti recuperatoris exemplum, qui ampliſſimam & artificioſiſſimam concionem ad vnam Samaritanam habuit.Quę res,non ſolum ad animi ſummiſſionem & maximum meritum pertinebit,ſed etiam ad maiorem fructũ, cum facilius perſuadeatur paucis, ijs nimirum, qui ad verbum Dei excipiendum, magis idonei eſſe ſolent, quam multis. Non eſt itaque, vt arbitror, bono Concionatori opus frequenti auditorio; quod fortaſſe quibuſdam paradoxum videri poſſet; cum tamen ſit veriſſimum. Huc facit tritum illud prouerbium, *ἓν ἀντὶ πάντων*, idest vnum omnia;vnus pro omnibus.Cato, centum Ciceroni,vnus Plato Antimacho, & Epicuro vnus,theatrum erat.In hoc,qui libenter acquieſcet,humanæ laudis gloriolam & vanos plebis rumuſculos facile contemnet, & ſolum Chriſtum non autem ſeipſum prædicabit:quem omnes ſe prædicare profitentur,dum eius doctrinam exponunt; ſed, re vera,non ita eſt,ſi inde ſuam gloriam,vel lucrum referre tandem velint;quod, vt ſupra ſcripſimus,eſt omnino abſurdum & monſtruoſum. Bonus itaque operarius in Dei meſſem miſſus, non lolium,ſed frumentum colligat:& bonos piſces, non coaxantes ranas prudens piſcator capiat.

Ioan.4.

Boch. in Symb.

Sed peteret hoc loco quiſpiam, an Chriſtiano Concionatori deſiderare liceat,vt eum meritis laudibus auditores afficiant:cui hac ſapientiſſima diui Auguſtini reſponderem ſententia. Laudari a male uiuentibus nolo,& deteſtor:laudari autem a bene uiuẽtibus,ſi dicam,nolo,mentior:ſi dicam uolo,timeo,ne ſim humanitatis plus,quam ſoliditatis.Quid ergo dicam?nec plane nolo, nec plane volo. Non plane volo,ne in humana laude periclitetur: nec plane nolo,ne ingrati ſint,quibus prędico.Et ne plura de boni Concionatoris partibus dicamus, hæc pauca ſint ſatis,quibus reliqua omnia continentur.

Serm. de diu. Conſ.

Quales eſſe debeant qui concionem ſunt audituri. *Cap.* XV.

ETsi Christus Dominus omnes & ſingulas partes, quæ in Concionatore eſſe, aut deſiderari poſſunt, tanquam abſolutiſſima Concionatorum idea ha-
Luc. 24. buerit, & opere ſermoneque potens extiterit; ita vt ob eius dicendi vim atque ſuauitatem maxima auditorum multitudo diu per varia loca, etiam ieiuna, eum ſequeretur: tamen, ob audientium prauitatem & peruerſitatem non ſemper perſuadebat, nec illos fructus ex ſuis concionibus referebat, quos infinita illa tanti Concionatoris ſapientia & eloquentia referre debuiſſet. Propterea, aliquando ei ciuitati, in qua ſæpe conciona-
Matth. 23. tus fuerat dixit, Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Huc
Ecci. 8. etiam facit parabola illa de ſeminante & ſemine in diuerſis locis cadente, quam aliquando ipſe propoſuit & expoſuit; docuitque, non omnes eodem modo ad diuini verbi ſemen excipiendum eſſe paratos; ac proinde non omnes eundem fructum reddere, ad quem producendum diuinum verbum maximam vim habet. Quo fit, vt mirum videri nō debeat, ſi bonus alias Concionator, ex ſuis concionibus eos fructus non capit, quos, ſi auditores habuiſſet idoneos, capere potuiſſet. Expediret itaque, vt exiſtimo, ſi, qui hoc munus exercere aggrediuntur, primum ſuos auditores, qua ratione diuinum verbum excipiendum, audiendumque ſit docerent. Quare, non erit a noſtro inſtituto vllo modo alienum, ſi dum ipſum Concionatorem inſtituimus, etiam ipſos auditores audiendæ concionis rationem docuerimus; eiſque ad rem magni momenti cum vtilitate efficiendam, aliquot præceptiones tradiderimus.

Quod igitur in auditore diuini verbi neceſſaria ſit aliqua diſpoſitio, vt cum vtilitate & fructu audiat, ex hac luculenta diuinæ ſcripturæ ſantentia demonſtrare licet, Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum. I-
Luc. 8. deo, qui imparatus ad orandum accedit, Deum tentare videtur; quod indignus ſit, vt Deus id ei tribuat, quod male orando poſtulat: & idcirco, potius Deum contra ſe irritat, quam ſibi per orationem gratioſum reddat. At, quid aliud eſt Concionatoris ſermo, & huius ſermonis auſcultatio, quam quædam Dei cum anima loquutio? Qui itaque eſt ſuæ ſalutis cupidus, & cum fructu concio-

concionem audire, & Dei iram ſubterfugere ſtudet, cum ad diuinum verbum audiendum accedit, animam ſuam præparet, & cum regio Vate dicat, Audiam quid loquatur in me Dominus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuã, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui conuertuntur ad cor; hoc eſt, in eos qui ſuam conſcientiam examinant, & ad ſeipſos per ſui cognitionem redeũt, quid peccauerint vident, quid ſibi deſit cognoſcunt, deq; ſuo ſpirituali progreſſu cogitant. *Pſal. 84.*

Sed rogaret hoc loco quiſpiam, quanam ratione is Deum tentare cenſeatur, qui imparatus ad conciones audiendas accedit: Ea nimirum, quoniam, ideo auditum venit, vt a peccato recedat, vt amicitiam cum Deo conciliet, vt melior fiat, vel denique, vt aliquem ſpiritalem fructum inde referat: quos effectus diuinum verbum, aut Deus per Concionatores non producit, ni qui audit ſe idoneum & facilem ad diuinos afflatus excipiendos reddat, & quod in ſe eſt, præſtet, ſuumque conatum adhibeat: quem profecto is non adhibet, qui ſine vlla animi conſideratione, & quaſi aliud agens, concioni intereſt. Cum itaque iſte velit diuina verba in ſe eos effectus gignere, ad quos excipiendos animũ nullo modo parauit, ſed potius, opus Dei negligenter agendo, ſe minus idoneum reddidit, proculdubio Deum tentauit; cùm id ab eo tacite petiuerit, & expectauerit, quod Deus facere nullo modo debuit.

Ex hac hominum hac in re negligentia atque incuria multa proficiſcuntur incõmoda; vt ſunt, temporis amiſſio, cuius vel minima iactura deberet exiſtimari maxima: verbi diuini contéptus quidam, aut parua æſtimatio: audiendi iterum frigidum deſiderium: aliqua Concionatoris vituperatio, dum fructus non percepti cauſſa male in ipſum reijcitur: vtilitatis quæ percepta fuiſſet amiſſio: & denique, ne plura numerem incommoda, quæ ſunt pene innumera, rerum ſpiritualium nauſea quædam. Neque enim ſecus accidit ijs, qui ſine vlla animi præparatione ad conciones ſe conferunt, atq; Iudæis mannæ diuinitus dati ſuauitates ob deprauatum guſtum non ſentientibus: quo factum eſt, vt non ſine magna Dei opt. max. iniuria, in hęc ſtultiſſima verba prorumperint, Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo; & eo inſanię deuenerint, vt ſupernaturali cibo contempto, Aegypti porros, allia, & cępas deſiderauerint. Nullo itaque modo tanti momenti opus, in quo de ſumma vtilitate, de honeſtate, vita, fœlicitateque æterna agitur, temere, negligenterque auſpicandum eſt; *Exod. 16.* *Num. 21.* *Num. 11.*

eſt;ſed cum aliqua animi conſideratione atque attentione. Et ſane, ſi homines cum ad ſacram ædem concionem audituri eunt, quid acturi ſint vt oportet præuiderent, ſeſe accurate diligenterque ad tantum opus recte & vtiliter exequendum pararent. Quanta autem ſit concionum audiendarum vtilitas, atque neceſſitas id demonſtrandum, atq; exaggerandum Concionatorib. relinquentes, nonnullas admonitiones ad diuina verba digne vtiliterque audienda ſubijciemus.

Prima admonitio, omnes quæ ex auſcultatione diuinæ doctrinæ percipi poſſunt vtilitates, ad tria capita reuocare licet: ad remouendum peccatum & corrigendos deprauatos mores: ad confirmandum animum in bono, & ad maiores progreſſus in ſpirituali vita faciendos: poſtremo ad habendam maiorem rerum diuinarum cognitionem. Hos igitur fines omnes, vel ex his aliquẽ concionem auditurus ſibi proponat, & quanti ſint momenti intelligat; ſecumque ſtatuat, vt nolit à ſpirituali conuiuio recedere niſi aliquo cibo paſtus: quod ſane nollet, ſi animaduerteret, nihil opportunius, nihil vtilius, nihil magis neceſſarium in hac vita ab homine agi poſſe, quam id, vnde maior Dei habetur notitia; qua in re ſapientes omnes veram fœlicitatem poſitam eſſe exiſtimarunt: id inquam, in quo de æterna pena vitanda, & de perpetua beatitudine conſequenda agitur; cuius rei cauſſa in hanc lucem editi ſumus, & in ea conſeruamur.

Secunda, hoc propoſito ſibi fine, aliquantulum ſeipſum colligat, & deſiderium emendandæ vitæ, aut perfectionis adipiſcendæ in ſe excitet, diuinamque opem ad id efficiendum imploret; cum ſine auxilio diuini ſpiritus, qui quo vult ſpirat, cogitare, aut perficere ex nobis poſſimus nihil; vt eleganter his verbis aliquando docuit Gregorius, Niſi Spiritusſanctus cordi adſit audientis, otioſus eſt ſermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit: quia, niſi intus ſit qui doceat, doctoris lingua exterius in vanum laborat. Vbi vero ad ſacram ædem venerit, ibi modeſte pieque verſetur: quod ad fructum ex concione percipiendum, non parum conferet. Animaduertat ergo ſe eſſe in domo Dei; quæ non confabulationum, non deambulationum, non negotiationum, ſed orationis domus eſt: Conſideret ſe quadam priuata ratione coram Angelis, coram Chriſto in altare exiſtente, & coram Deo ſtare: meminerit Recuperatorem noſtrum agnum manſuetiſſimum nunquam tanto zelo exarſiſſe, atque cum ſacrum templum profanari vidit. Zelus itaq;

Ioan. 3.
2. Cor. 3.
Hom. 30. in Euang.

Iſai. 61.
Beda ĩ Luc.
Cõc. Aquiſ.
I 132.
Ioan. 2.

domus

domus Dei pium Chriſtianum vehementer afficiat; vt non modò ipſe quicquam minus honeſte in domo Dei agat, ſed ne alij efficiant, quantum in ſe eſt, curet. Et cum hac in re non raro peccetur, boni Concionatoris erit, pro re nata, ſuos auditores grauiter huius rei monere. *Pſal. 68. Augu. lib. 2. de ciui. c. 8.*

Tertia, quando iam concio exaudienda erit, beneuole, attente, humiliterque audiat, & tanquam bona terra diuinum ſemen excipiat, retineat, foueat, ex eoque copioſum fructum efferat. Quæ ſane efficiet, ſi præter ea quæ diximus, conſiderabit, ſe non tam humana, quam diuina verba, nō tam hominem, quam Deū ipſum auditurum: cum bonus Concionator, non ſua, ſed quæ a Deo accepit, non quæ ex ſuo ſenſu cogitauit, ſed quæ diuinus ſpiritus ei communicauit, ſit dicturus. Etenim de bonis Dei miniſtris dictum eſt, Non eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Videat ergo ſuæ ſalutis cupidus auditor, quanta attentione audiendus ſit is, qui non humana, ſed diuina docet, is per quem Deus loquitur, is inquam, qui æterni numinis perſonam refert. Non minus erit reus, ſcripſit aliquando Auguſtinus, qui verbum Dei negligenter audiuerit, quam qui corpus Chriſti ſua negligentia in terram cadere permiſerit. *Ezech. 3. Matth. 7. 1. Quaſt. 1. Can. interrogo.*

Quarta, ſit erga Concionatorem bene affectus: eum eſſe integræ vitæ, & venerationis dignum putet: omnia quæ ab eo audit æqui bonique conſulat: & denique ſit ſui magiſtri bonus diſcipulus, non moroſus cenſor: in quo bene multi non leuiter peccant, & ideo inutiliter audiunt. Tantus enim, vt id vniuerſe dicam, erit audientis profectus, quantus eſt eiuſdem in dicētem affectus. Et quoniam, vt dicebam, paſſim in hac re peccatur, quibuſdam diuinæ ſcripturæ teſtimonijs, quantum errent qui Dei miniſtros parum reuerentur, aut etiam vilipendunt, antequam vltra progredior, breuiter docebo.

Non enim aiebat Deus Samueli a filijs Iſrael ſpreto, te ſpreuerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Ideoque Moſes Dei adminiſter aliquando dixit, Non aduerſus me murmuraſtis, ſed aduerſus Deum veſtrum. Huc etiam facit grauiſſima illa apud Zachariam ſententia, Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: Et denique, Chriſtus Dominus, Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit & eum, qui me miſit; ac ſi dixiſſet, qui meum miniſtrum & legatum a me miſſum deſpicit, totā ſanctiſſimam Trinitatem, Patrem, Filium, *1. Reg. 8. Exod. 16. Cap. 2. Iuſt dialog. cum Trip. Luc. 10.*

& Spiritum ſanctum contemnit. Crucifigunt Dominum, aiebat
Epiſt. 3. Alexander primus, qui eum in ſacerdotibus ſuis proſequuntur,
Præceptum de honorandis parentibus, & de mortis ſententia in
eos qui illud tranſgrediuntur, non modo de carnalibus intelligẽ-
dum eſt, ſed etiam de illis, qui nos in Christo regenerant, qui nos
Ad Saxoniũ ducem, locus legem. Chriſtianos faciunt, qui nobis peccata dimittunt, & ab æterna
morte vendicant; qui denique, vt grauiter Alexander VI. ſcripſit,
ſacramentis cœleſtibus nos paſcunt.

Quod ſi quid turpitudinis pius auditor in Concionatore eſſe
Gen. 9. videbit, caueat, ne Cham imitando, ſui parentis verenda reuelet:
ſed potius, tanquam gratus filius, ſuo pallio occultet: ne, ſi ſecus
fecerit, maledictionem mereatur paternam. Quod ſi interdum vi
derit, non ita eſſe integræ vitæ, vt eſſe deberet, ac etiam ipſe cu-
Epiſt. 3. peret, animaduertat id, quod Anacletus nobis ſcriptum reliquit,
Pro meritis plebis ſæpe paſtores deprauari, vt procliuius corruãt,
qui ſequuntur: Et D. Iſidorus, hac de re agendo, cum docuiſſet, do
ctorem non debere iudicari a plebe, hæc ſubiecit verba, Populũ
meminiſſe debere, ſui friſſe meriti peruerſi regimen ſuſcipere
Pontificis; & vt ſcripſit de ſuis Hieronymus, patellæ accommo-
Cõc. Aquiſ. c. 31. datum operculum: nam pro meritis plebium, diſponitur a Deo
vita Doctorum.

Quincta, pius auditor pro ſuo Concionatore ex animo ora-
ret, vt ei Deus ad audientium vtilitatem ſuum ſpiritum commu
De doctrina Chriſt. nicet. Orent pro eis, ait Auguſtinus, a quibus doctrinam accipe-
re volunt, antequam accipiant, vt eis Deus det, quod per eos acci
pere volunt. Id ſi fieret, illud eueniret, quod aliquando Sapiens
Prou. 22. Salonius. dixit, Diues & pauper obuiauerunt ſibi, vtriuſq; adiutor eſt Do-
minus. Quem locum Salonius epiſcopus Vticenſis de Concio-
natore & audiente concionem expoſuit. Tunc autem ij quos di-
ximus ſibi occurrere cenſentur, cum vno eodemq; ſpiritu moti,
& ſalutis cupidi, alter pro altero orat, & alter docere, alter doce-
ri cupit: ac proinde vtriuſque adiutor eſt Dominus: quoniam ſi-
ne gratia diuinæ pietatis, nec ille potuit prædicare, nec iſte audi-
re. Faciet igitur prudens auditor, vt ij qui currentes in ſtadio ſpe-
ctant; qui non modo voluntate, ſed, & voce, & geſtu eos excitare
Baſ. hom. 6. & impellere conantur; ita vt vires ad palmam obtinendam ſub-
miniſtrare, & non tam ſpectare, quam certare uideantur: qua de
re præſtanda, olim apud Græcos ſancita lex erat. Fauebit autem,
& ad finem conſequendum iuuabit, ſi beneuole & attente au-
diet. Eſt autem attentio omnino neceſſaria, cum nullo tempore
vehemen-

vehementius noſter aduerſarius nos aggrediatur, & interturbet, quam, cum quo pacto eum vincere poſſimus, inſtruimur, & ad dimicandum contra ipſum murimur:& idcirco quod ſpargitur ſemen, e cordibus auferre conatur. Accedat etiam ad eandem attentionem excitandam, quod Spiritusſancti vox, quæ ad cor loquitur, eſt veluti quidam ſonus auræ tenuis, ſubtilis, qui cito pertranſit, ad quem percipiendum magna eſt attentione opus. Huc pertinere videtur illa Sapientis admonitio, Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas. 3. Reg 19. Iob 4. Eccli. 5.

Sexta, iter audiendum, ſi quid erit quod animum commoueat atque afficiat, id diligenter excipiatur, & retineatur: atque ad illud exequendum aliqua precatiuncula a Deo auxilium petatur. Dicat itaque ſecum pius auditor, En dilectus meus loquitur mihi: ſonet vox tua in auribus meis: Deus propitius eſto mihi peccatori: illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: Doce me facere voluntatem tuam: Spiritum rectum innoua in viſceribus meis: Vtinam dirigantur viæ meæ, ad faciendam voluntatem tuam. His itaque & alijs ſimilibus verbis conceptum ſpiritum auditor foueat. Ad quod faciendum beatiſſimæ Virginis nos moueat exemplum, de qua ſcriptum eſt, Maria autem cõſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Id et excitare poſſet, ſi quis animaduerteret quod aliquando Origenes his verbis ſcriptum reliquit, Angeli Dei aſcendunt & deſcendũt ad filios hominum; perquirunt, ac curioſe agunt, quid in vnoquoq; noſtrum inueniant, quod Deo offerant. Intuentur, ſi quis noſtrũ ex ijs, quæ dicuntur in Eccleſia corde compungitur, & animum conuertit ad pœnitentiam: ſi his auditis cogitet vias ſuas, & obliuiſcatur præterita, & ſe præparet ad futura. Cant. 2. Luc. 2. Li. 9. in Leu.

Septima, ex ijs quæ audiuntur aliquid memoriæ mandetur, vt poſtea cum alijs communicetur: aut certe diligẽtius ruminetur, & cogitationis dentibus frangatur, vt facilius in ſuccum ſanguinemque conuertatur. Panis noſter, ait Auguſtinus, eſt verbũ Dei, quem quando audis, aut quando legis, manducas: quando eum recogitas, ruminas, vt ſis animal mundum, non immundum. Et Origenes, exponens illud ſcripturæ, Reliquam autem partem ſimilæ comedet Aaron cum filijs ſuis, abſque fermento; Ex his, inquit, docemini, vt quæ auditis in Eccleſia, tanquam munda animalia, velut ruminetis ea, & reuocetis ad memoriam, & cum corde veſtro quæ dicta ſunt conferatis. Quo loco, paullo infra, hanc aliam pro audientibus diuinum verbum poſuit admonitionem. Leu. 6.

E Quod

Quod ſi aliqua memoriæ ſuperfuerint, & intellectum veſtrum ſuperauerint, facite, quod præſentis mandati auctoritas præcipit. Quod autem ſuperfuerit, ex his manducabit Aaron, & filij eius, Hoc eſt, ſerua ſacerdoti, vt ipſe hæc manducet, ipſe diſcutiat, ipſe exponat.

Octaua, eum quiſque ſibi Concionatorem audiendum eligat, qui non oblectet aures, qui nõ muliebri delectetur fuco; ſed qui ſeuere & grauiter a peccato retrahat, ad perfectionem inflammet, & ad ſui & Dei cognitionẽ inducat: vel, vt ait Auguſtinus, Eum qui quo modo ad vitam æternam perueniatur, annunciet; vel ſi placet, cum Seneca dicamus, Quem magis admiretur cum viderit, quam cum audiuerit. Neque hic auditores moroſos eſſe vellem, vt quiſque pro ſua voluntate ſibi Cõcionatorem fingat; quem, vel tantũ ad ſuum ſenſum accommodatum, vel eundem ſemper eſſe velit; ita vt nunquam deficiat, ſed ſemper ſe præclare & optime gerat; cum interdum Deus ſpiritus feruorem dicenti ſubtrahat, & non omnia quæ tractantur ſint eodem modo ad afficiendum auditorem accommodata, nec omnia omnibus omni ex parte perſpecta: &, vt eſt in prouerbio, Aliquando bonus dormitat Homerus. Quare, ſi quas prauitates, & præſertim naturales Concionator habebit, vt linguam impeditam, vocem non canoram, geſtus non ita compoſitos, eas libenter ferat; & id vnum potiſſimum ſpectet, quod omnibus preponderat, an ex eius concionibus aliquem ſpiritalem fructum referat, & an ſe commoueri ab eo ſentiat. Quo fiet, vt de Concionatoris abſolutione, & excellentia, vt plerique facere conſueuêre, ſine vtilitate non diſputet, aut de eo interdum parum honeſte non loquatur. Eum itaq; eligat, frequentet, bonumque eſſe putet, a quo ſe iuuari & commoueri ſentiet.

Hom. 2. in Apoc. *Epiſt. 33.* *Hor.*

Nona, illud etiam, de quo paullo ante mentionem feci, monẽdum puto, vt ex concione non ſolum pro ſe, ſed etiam pro alijs aliquam partem ſumat, & maxime pro ijs, ad quos inſtituendos aliqua ratione eſt obligatus: vt parentes pro filijs, amicus pro amico, dominus pro ſeruo, & tandem quiuis pro quocunque, vt quiſque ſpiritualem eleemoſynam alios docendo faciat. Optamus, aiebat Origenes, vt vel his auditis operam detis, non ſolum in eccleſia audire verba Dei, ſed in omnibus domibus veſtris exerceri & meditari in lege Domini die ac nocte. Ideo in antiqua lege ſcriptum erat, Eruntque hæc verba, quæ præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ſedens

Li. 9. ī Leu. *Deut. 6.*

in domo

in domo tua,& ambulans in itinere,dormiens, atq; conſurgẽs. Quod ſi ea eſt hominum conſuetudo,vt audito aliquo leui,& interdum etiam falſo nuntio uehementer cupiãt illum alijs referre quorum ſciant nec ne,nihil refert; cur ea quæ in concione audiuntur,quæ veriſſima ſunt, quæ ſcire omnium maxime intereſt,referri,& narrari,cum alijſque communicati non debeant? Imitemur itaque eos qui ad lautiſſimum conuiuium vocati, non ſolum ſeipſos paſcunt, ſed etiam aliquid quod amicis largiãtur, inde referunt.

Poſtrema,ut alias admonitiones omittam,illud adſcripſerim, non propterea,quod quiſpiam non ita paratus ad audiendum erit,ut nos monuimus,ab audiendo diuino uerbo abſtinebit. Quoniam quæ nos docuimus, eo potiſſimum ſpectant, ut maiori cũ vtilitate diuina concio audiatur. Nec ea quæ attulimus ſunt obſeruatu difficilia, cum paruo temporis ſpatio, paruaque adhibita in re magni momenti cura, præſtari vtique poſſint. Et ſane,ſi diebus preſertim feſtis, in ornando corpore, vt nitidi & elegantes alijs videamur,tanta vtimur diligentia, quanta in ornanda & præparanda anima cum ad Dei conſpectum atque colloquium accedere debemus,adhibenda eſſet? In die feſto recente ſubucula induimur,feſtas veſtes diligenter cõſeruatas excutimus, caput pectimus,faciem lauamus, calceos tergimus, integraſque horas in corpore ornando conſumimus, & ne quid nobis deſit, ſæpius ſpeculum conſulimus, atq; etiam aliorum iudicium requirimus. Corpus ergo tanta cum diligentia, tantoque cum luxu ornare non piget,nec pudet,animam vero ornare non curabimus? Omnia pulchra,omnia noua,omnia nitida volumus,togam,caligas, calceos,ſoleas,animam vero ſolam immundam, & ſordidam habere pro nihilo ducimus:quo fit, vt indigna ſit, quæ ad Dei conſpectum veniat,& vt cum ea Deus loquatur.Non itaque mirandum eſt, ſi diuinum verbum, quod eſt malleus qui petras conterit,gladius qui ad intimas vſque medullas penetrat, ignis deniq; qui omnia conſumit,ſi multorum corda non frangat, non feriat, non exurat; cum homines imparati,& quaſi aliud agentes illud audire ſoleant.

Ea quoque poſſet aſſignari ratio, cur parum vtillitatis ex verbi diuini auſcultatione auditores capiant; quod in eis quædam clara & viua fides ſit neceſſaria,qua res quæ audiuntur,ita videãtur,ac ſi oculis cernerentur,quæ fidei euidentia in paucis reperitur.Huc pertinent quidam pulcherrimus Origenis locus; vbi

H.9.I Leu. cum nonnulla de pœnis inferni diſputaſſet, ita ſcripſit, Sed cum hæc dicuntur contemptui habentur: quare? quia fides deeſt. Alioqui, ſi tibi diceretur, Quia iudex ſæculi vult te die craſtino viuum exurere; & his auditis, ſi eſſet tibi vnius diei ſpatium liberũ, quanta faceres? quo modo, & per quos diſcurreres? quam humilis, quam lugens, & ſordidus obſecrares? Nonne effunderes omnem pecuniam tuam in eo, vt redemptionem faceres animæ tuæ? Quod ſi aliquis te retardaret, nonne diceres, Pereant omnes pro ſalute mea, nec quicquam remaneat, modo tantum viuam. Hoc quare faceres? quia ibi non dubitares; hic dubitas. Hactenus Origenes. Et nos quoque hac de re hucuſque, de qua plura fortaſſe diximus, quam noſtrum inſtitutum requirebat. Nunc, expoſitis ijs, quæ in diuino præcone deſiderantur, ad aliam huius operis partem explicandam tranſeamus.

Libri primi finis.

DE RHETORICA DIVINA

Liber Secundus:

IN QVO DE INVENTIONE agitur.

Quot & quæ ſint concionum, ſiue orationum genera Concionatori ſubiecta.

CAPVT PRIMVM.

QVAE Præcipue in Oratore Chriſtiano deſiderentur partes, eas primo libro expoſuimus: in conſequentibus qua ratione ſuas conciones inſtituere & formare debeat demonſtrare conabimur. Et quamuis nos qui multos de recta dicendi ratione libros iam in lucem dedimus, eccleſiaſticum Præconem ad ea quæ alibi late docuimus reijcere poſſemus; quia maximam cum politico Oratore, quem illis libris informauimus, affinitatem habet: tamen, cum ab eodem nonnihil differat, priuata inſtitutione ex diuinis oraculis ſumpta, opus eſſe exiſtimauimus. Et licet de ſuſcepta materia multi multa ſcripſerint: nos tamen ea omnia quæ vtilia & neceſſaria ſunt, quidquid boni alij dixerunt colligendo, & alia de nouo addendo, breuius quam res tanta ſcribi deberet, complectemur.

Lud. Gran.
Aug. Valer.
Tho. Trug.
Fran. Pan.
Dieg. Stel.
Lucas Balli.
Laur. a Vil.
Alſonſ Zor.
Tuſignan.

Cum itaque, vt rem aggrediamur, dicere volenti, res ipſa quę explicanda eſt, primum occurrat, de qua recte dicere minime poterit, ni ſubiectę materię genus cauſſamve ipſam cognouerit;

Iac. Pareſ. ideo priore loco varia concionum, ſiue orationum, cauſſarumve
Amb. Quiſ. genera nobis proponenda & explicanda ſunt.
Did. Valla.

Quidam ergo, qui de recta concionandi ratione ſcripſere,
Rhetorum doctrinam ſequentes, omnes conciones ad tria gene
ra reuocarunt: quæ ſunt, Demonſtratiuum ſiue laudationis; Deli
Iul. Roger. beratiuum, ſiue deliberationis, & Iudiciale, ſiue accuſationis.
Primi generis communes & præcipue partes, ſunt laus & vitu-
peratio: tempus, præſens & præteritum: finis, honeſtas & turpi-
tudo: motus, delectatio, ſiue amor & odium. Laudantur autem,
vel perſonæ, vel res, vel facta, vt poſtea planius dicetur. Secundi
generis partes ſunt ſuaſio & diſſuaſio: tempus, futurum: finis, vti-
litas, inutilitas: motus, ſpes & metus, ſiue deſperatio: Sub quod
genus cadunt ſolū ea quæ ad nos pertinent, & a nobis fieri poſ-
ſunt. Tertij generis partes ſunt accuſatio & defenſio: tempus, præ
ſens & præteritum: finis, iuſtum & iniuſtum; motus clementia &
ſeuitia.

Alij vero, his tribus generibus non cōtenti, addunt quartum,
quod græce Didaſcalicon, & didacticon, latine doctrinale vo
cant: cuius proximus finis, eſt veritatis cognitio, & falſi-
Lib. 2. de tatis refutatio: Quod tamen, vt in rhetoricis docuimus, vel
Quæſt. orat. ab alijs tribus non diſtingueres, vel ſub demonſtratiuo con-
tineri diceres.

Alij rurſus, animaduertentes multo plura a Chriſtiano Eccle
ſiaſte tractari, quæ dictis generibus non videntur contineri, ex
2. Tim. 3. diuo Paulo plura dicendi genera conſtituerunt, Didaſcalicum,
Rom. 12. Redargutiuum, Inſtitutiuum, Correctorium, & Conſolatorium.
Primo genere, veritatem docemus: ſecundo, falſa dogmata refel-
limus: tertio, mores formamus, & quid agendum ſit oſtendimus:
quarto, male facta corrigimus & reprehendimus: poſtremo, affli
ctos conſolamur, erigimus, & in ſpem uocamus. Additur etiam
miſtum genus ex duobus, uel pluribus conflatum: ut, cum ſubie-
cta materia partim eſt didaſcalica, partim inſtitutiua: ſed tamen
ſemper unum erit præcipuum genus, illud nimirum in quo ma-
ior pars concionis uerſatur, quo omnia referuntur. Verum has
omnes dicendi formas ſub tribus prioribus contineri diceres;
vt in rhetoricis docuimus: cum ſint illorum generum partes
quædam.

Denique, alij ad dicendi noſtrorum temporum rationem pro
pius accedentes, alias concionandi formas numerant, hoc modo.
Aut concio continet aliquam materiam ab Euangelio ſeiunctā,
vt ſi

ut ſiquis habiturus eſſet orationem de bono eleemoſynæ, de pœnitentia, de peccato, vel de alicuius Martyris laudibus, non attingendo Euangelium: aut materia ſumitur ab Euangelio; & hoc bifariam; vel ex vno tantum Euangelij loco, vel ex omnibus, aut pluribus eius partibus, applicando omnia quæ in Euangelio dicuntur ei materiæ, de qua agitur: aut denique in ſola euangelij expoſitione tota dictio verſatur: quod tribus modis fieri poteſt. Primo, cum vnus vel alter tantum exponitur locus: Secundo, cũ Euangelium vna cum epiſtola coniungitur, & vtrumque ſimul declaratur: poſtremo, cum alterum ſolum explicatur. His, ſi addas tres formas ſimplices, quarum vna laudat, altera ſuadet, tertia errores refellit, duodecim, vt ijdem ſcribunt, fient concionandi formæ. Tres ſimplices iam numeratæ: eædem tres ſumptæ ex vna parte, vel loco euangelij: & totidem ex toto euangelio, vt ſi ex vniuerſa euangelij materia aliquid laudares, ſuaderes, refelleres: & denique aliæ tres ex modo explicandi Euangelicam doctrinam, nihil laudando, ſuadendo, aut confutando. Cæterum, ſi quis ſolam Euãgelij doctrinam exponeret, potius paraphraſim, ſiue commentarium faceret, quam concionem haberet: cuius dictionis tot eſſent capita, ſiue themata, quot eſſent euangelij partes, ſtatuſve. Quare, qui concionem aptam non modo ad docendum, ſed etiam ad permouendum conficere vult, ut omnes Concionatores velle deberent, vnam materiam, vnamque propoſitionem ſumat, ad quam omnia dirigat, quæ in concione dicit: quod qui non faciunt, diſſipate, & inepte ad mouendum dicunt.

Et, quod ad hunc locum pertinet, & inferius nobis erit vſui; aut euangelium quod præ manibus habetur continet doctrinam, aut hiſtoriam, vel vnam, vel plures, aut partim hiſtoriam, partim doctrinam: illud autem quod parabolã habet, ad ſenſum grammaticum, ſeu literalem reuocatur, vnde oritur doctrina. Si ſolam contineat doctrinam, facile erit ex eo, pro opportunitate, ſumere tractandum thema, ſiue propoſitionem: Si hiſtoriam, ſumenda erit materia, vel ex fine hiſtoriæ, vel ex attributis perſonarum de quibus in hiſtoria fit mentio: Si duæ ſint hiſtoriæ, vel altera ſumatur, vel ex ambabus aliquid commune eliciatur: Si ſit miſtum, ex maiore, & magis idonea, & ad rem accommodata parte concio fieri poterit. In ſumma, cum omnis dictio ſemper de aliqua certa re eſſe debeat, qui apte dicere voluerit, aliquam ſibi proponet quæſtionem, ſiue thema, quo omnia quæ dicuntur

referenda ſunt:in quo themate explicando totus debet eſſe occupatus Orator:de cuius dicendi generibus ſatis dictum puto.

Illud tamen addiderim, nullo modo mihi probari eos,qui oratorem Christianum in ſolo genere deliberatiuo, ſeu ſuaſorio verſari volunt.Nec etiam ei,vt aliqui faciunt,iudiciale genus omnino ſubtraherem;cum,re uera,aliquas huius generis partes tractet,licet in foro non verſetur.Cum alijs itaque dicamus,huic artifici omnia tria cauſſarum genera eſſe ſubiecta ; quamuis crebrius in deliberatiuo,quam in duobus alijs, & ſæpius in laudatione,quam in accuſatione verſetur.

Ant. Rio. *Lud. Gran.* *Aug. Valer.* *Roger.*

De varijs quæſtionum generibus. Cap. II.

EVM qui apte ad docendum dicere voluerit,aliquam certam quæſtionem ſibi proponere debere,ſupra docuimus. Quare, de quæſtionum varietate,quaſi de ſubiecta Inueutioni materia,aliquid nobis dicendum eſſe exiſtimauimus.Eſt autem quęſtio nihil aliud, quam cum interrogatione elata vox;ut,Quare fremuerunt gentes,& populi meditati ſunt inania? Quid eſt veritas? Licet dare cenſum Cæſari nec ne? Et quamuis quæſtio varie diuidi poſſit:tamen nos eas ſubijciemus diuiſiones,quæ ſunt magis ad noſtrum iuſtitutum accommodatæ.

Primum, quęſtionum quæ in concionē venire poſſunt, aliæ ſunt cognitionis,quarum finis eſt ſola veritatis notitia; vt, An Filius ſit ęqualis Patri:An Deus ſit vbique: Vtra virtus potior ſit caritas,an iuſtitia:Aliæ actionis, quæ ad vitam recte inſtituēdam & ad pie agendum referuntur; vt,An vnam maxillam percutienti,altera ſit prębenda:An ſacras imagines adorare liceat: quibus rebus homines ad ſalutem conſequendam indigent.

Lege lib. de quaſt. orat.

Rurſus,quęſtionum alię dicuntur infinitæ, græce theſes,hoc eſt poſitiones ſiue propoſita;quibus vniuerſe de aliqua re quæritur,remotis perſonarum,locorum, & temporum circunſtantijs; vt,pręſtet ne caſte viuere,quam matrimonio copulari: expediat ne magis omnia renuntiare,an aliquid poſſidere.Alię finitæ,quę ſunt ad certas perſonas, tempora, & loca contractę, quas Gręci hypotheſes,quaſi diceres,ſub theſibus contentæ, Latini Cauſſas vocant;vt,An Ioanni pręſtiterit Chriſtum ſequi, quam matrimonio iungi:An Petro licuerit gladio Chriſtum defendere:An in die ſabbathi liceat hominem ſanare. Rurſus, ex Cicerone addi

poteſt

poteſt illa diuiſio, qua actionis quæſtio diuiditur in quæſtionem quæ pertinet ad officium; vt, An filiorum ſit odiſſe parentes propter Chriſtum: & in eam quæ pertinet ad animos permouẽdos, quo referres cohortationes, incitationes, querelas, miſerationes, & omnes orationes, quibus aliquis affectus accenditur, aut extinguitur. *In Top.*

Item, quæſtionum alia abſoluta, alia comparata: abſoluta eſt cum de re aliqua ſeorſim quippiam quæritur; vt, ſit ne caritas virtus: ſitne homini neceſſaria ad ſalutem: comparata, quando cum alijs confertur; vt, ſitne caritas cæteris virtutibus maior: maiorne ſit qui linguis loquitur, quã qui prophetat: vter propheta maior, Moſes an Dauid.

Denique, quæſtionum, ſiue propoſitionum, alia ſimplex; vt, ſi proponatur diſputatio de fide, de caritate, de Chriſto, de quattuor nouiſſimis: alia complexa; vt ſi quæratur, An Chriſtus fuerit Dei filius, an duas habuerit voluntates: an pœnæ inferni ſint æternæ.

Verum, vt adhuc, quæ occurrunt quæſtiones tractandæ, aut explicandæ melius internoſci & explicari poſſint, omnium quæſtionum varietatem, vna cum Philoſopho, ad quattuor capita reuocares; ut alia ſit quæſtio generis, quæ ſub ſe continet quęſtionem differentiæ & ſpeciei, cum ſcilicet, vel genus, vel differentia, vel ſpecies rei alicuius inueſtigatur; vt, ſit ne matrimonium ſacramentum: ſitne matrimonium ſignum quod ſub ſenſum cadat: fuerit Chriſtus homo necne: Alia definitionis, qua de rei natura quæritur; quæ per genus & differentiam explicatur, vel per proprietates. Huc pertinet quæſtio de nominis interpretatione; & illa qua inquiritur, an aliqua duo inter ſe differant; vt, ſit ne fides ſperandarum ſubſtantia, rerum argumentum non apparentium: an approbare, idem ſit quod iuſtificare: An Ioannis baptiſma idẽ ſit cum Chriſti baptiſmate. Quæſtio proprij; vt, ſit ne ſolius fidei iuſtificare: ſit ne Chriſtianorum proprium inimicos diligere: ſoli ne Deo conueniat eſſe bonum, eſſe magiſtrum: Fuerit ne proprium Chriſto loqui per parabolas. Quęſtio accidẽtis, qua quæritur id, ſine quo res eſſe poteſt, vel ſimpliciter; vt an prophetia ſit ſine caritate: an gratia amiſſa recuperari poſſit: vel comparate; vt, vtra lex melior, vetus an noua. Vbi illud obiter admonuerim, quæſtiones accidentis non poſſe fieri de Deo, niſi ratione eorum, quæ ei ex tempore conueniunt, ob effectus quos in creatura producit: a quibus extrinſece nominatur, creator, motor, admi-

In Top.

Heb. 11.

adminiſtrator, &c.

Lib. de Inuent. dial. et orat.

Rurſus, omnes quæſtiones reuocare licet ad decem categorias; vt alia ſit naturæ, alia quantitatis, alia qualitatis, & ſic deinceps. Quod ſi quis quæſtionis genus cognoſcere volet, is cogitationem ad eius attributum conuertat; quod ſi erit aliquid intrinſecum & cõmune, erit quæſtio generis: ſi definitio, definitionis, & ſic de alijs.

Sed quorſum hæ quæſtionum diuiſiones afferuntur? Primum, vt intelligatur non eadem methodo omnes tractari, vt poſtea dicetur: deinde, non iiſdem omnino locis probãdas eſſe: poſtremo, vt diſcamus qua ratione vna ad aliam reuocari poſſit; vt finita ad infinitam; de qua, quidquid dicitur, definita dici poteſt; vt quidquid dixeris de virginitate, dices de Paulo virgine: ac etiam infinita ad finitam, quod eſt noſtri Oratoris maxime proprium, ratione ſui finis, qui eſt, honeſta auditorum vita, & officij, quod eſt apte dicere ad vitia euellenda, & virtutes inſerendas: quem finẽ nunquam attinget, neque ſuo officio fungetur, niſi priuata quadam ratione animos commouere, & quidem multo magis, quã ciuilis Orator, & quæ vniuerſe dixit, ad ſingula, quantum fieri poterit, traducere & accommodare conabitur. Quo fit, vt eius officium ſit, modo iam dicto, apte dicere ad perſuadẽdum, & finis, ratione iam explicata, perſuadere: Quem vt conſequatur, docere, mouere, ac delectare debet: ac etiam inuenire, diſponere, eloqui, memoriæ mandare, ac pronuntiare: quæ omnia partim natura, partim arte, partim exercitatione, & imitatione acquiruntur. Inſtrumentum autem quo ad ſuum finem conſequendum vtitur, eſt oratio, non quæcunque, ſed artificioſa: cuius triplex eſt vſus. Primus ad ſimpliciter narrandum & exponendum: ſecundus, ad probandum, ſiue arguendum, & confirmandum, refellendumve: tertius ad amplificandum & exaggerandum: quippe cum alia ſit narrandi, alia probandi, alia amplificandi & expoliendi ratio, vt ſuo dicetur loco.

Qui

Qui & quot ſint eorum quæ in concionem veniunt ſtatus.
Cap. III.

NVNC quoniam omnes dicendi artifices omnia quæ in cōcionem veniunt, ad certas quæſtiones, quas ſtatus appellant, reuocare ſolēt; de his quoque aliquid non ſine cauſſa dicendum duximus.

Primum quidem in gratiam Concionatoris, quem hic informamus, vt his cognitis, aptius ſuo officio fungi, & facilius propoſitum finem attingere queat: quamuis, qui in hoc argumento verſati ſunt, hanc partem omnes prætermiſerint. Deinde, in gratiam interpretis diuinæ ſcripturæ, quo etiam munere Concionator fungitur. Nam, qui in aliquo libro, vel in alicuius libri parte, locove explicando ſtatum non inuenerit, is recte explicabit nunquam; de ijs ſpeciatim loquor locis, in quib. aliqua tractatur controuerſia. Quare, ſi quis ſtatum ſiue ſcopum concionum Prophetarum, epiſtolarum Pauli, Pſalmorum Dauidis, & denique ſermonum ac diſputationum Chriſti non perceperit, is non ſatis commode iſta exponet. Neceſſaria eſt itaque ſtatuum cognitio, de quibus nos, pro noſtro inſtituto, breuiter agemus: qui plura cognoſcere voluerit, noſtros de rhetoricis libros legat. *Lib. de quæſtion. orat.*

Status, nihil aliud eſt, quā caput, & ſumma cauſſæ, & ſcopus, ad quem tota oratio, & omnis diſputatio, atque argumentatio referenda eſt; cum de eo omnis ſit controuerſia. Vel dicas, eſſe quæſtionem ex partium aduerſarum contentione ortam. Vt ecce, Ait Saul Dauidi, Regnum affectas: Dauid negando ait, ſe non affectare: ex qua conflictione oritur hæc quæſtio, ſiue ſtatus, An Dauid Saulis regnum affectaret: quam cauſſam aliquando ipſe tractauit. Accuſant falſi & impudici ſenes Suſannam, atque obijciunt, Adulterium commiſiſti: reſpondet ipſa factum inficiādo, Non commiſi: quæritur, An commiſerit. Quam quæſtionem diuino ſpiritu repletus diremit Daniel. Ideo quæ tractatur quæſtio, ſtatus & conſtitutio uocatur, quod in ea tota ſtet atq; conſiſtat cauſſa. *Dan.*

Eſt autem ſtatus triplex; unus quo quæritur, an res ſit, qui Cōiecturalis appellatur, quod per coniecturas, an res ſit, an facta fuerit inueſtigari ſoleat; vt, An Meſſias uenerit: An Deus puniat filios propter peccata parentum: quam quæſtionem quidam Propheta ornatiſſime tractauit. Ad quem ſtatum, non ſolum pertinet quæ-

net quæſtio de præterito, ſed etiam de præſenti, & futuro: vt, An, ſit locus in quo animæ a peccatis purgantur: An Antichriſtus ſit venturus; falſiſſimum enim eſt veniſſe, vt Antichriſtiani imprudentiſſime & malitioſe affirmant: An humana corpora aliquando excitari debeant.

Secundus, quo inueſtigatur quid res ſit; qui Definitiuus, & definitionis nominatur; cum eius explicatio a definitione pendeat: vt, An dij gentium ſint dęmonia: Sit ne fides virtus: luſtralis aqua ſit ſacramentum nec ne: poſſit ne Chriſtus Dei filius appellari: quam quæſtionem in epiſtola ad Hebræos ſubtiliter diſputauit Paulus, & in Euangelio expoſuit Ioannes: ac etiam ipſe Chriſtus a Iudæis interrogatus. An beata Virgo Deipara ſit vocanda: Quid ſit veritas; quod de ſumma veritate interrogauit Pilatus.

Tertius, quo inquiritur qualis res ſit; qui ſtatus, qualitatis, & conſequutionis vocatur, quod per eum, quæ naturam conſequuntur, quærantur; vt, Licuerit ne Moſi necare hominem Aegyptiũ; Hominem ſabbatho curare liceat nec ne: An deceat fœminam aperto capite in eccleſia orare: quam quæſtionem ſapienter dirimit Paulus, & præſertim argumento a traditione ducto, quo cũ omnes iugulares hæreſes. Addunt Philoſophi quartum, cũ quæritur, cur res ſit, vel quę ſit rei cauſſa, quem Rhetores ad primũ reuocarent: ſicuti etiam eum quo de quantitate & numero quæritur, ad tertium; vt, ſi quæratur, Sint ne tres qui teſtimonium dãt in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritusſanctus. Duo priores ſtatus ſunt ſimplices, tertius vero plures habet partes, quas poſtea receſſebo, & explicabo. His tribus generibus aliqui ſcriptores duos alios addunt, quorum vnus Translatiuus, alter Legalis nominatur.

Exod. 2 *1. Cor. 11.* *1. Ioan. 5.*

Translatiuus, ſiue translationis ſtatus eſt, quando oritur controuerſia de Iudice; de actione, de tempore, loco, aliave circunſtantia, ad recte agendum neceſſaria. Huc pertinet exemplum illud, quod in Exodo legitur, Quis conſtituit te principem & iudicem ſuper nos? Hoc ſtatu vſus eſt Paulus cum ad Ceſarem appellauit. Cum itaque reus actionem a ſe amoliri, vel alia ratione infirmare cõtendit, ſtatus Translationis dicitur; Qua ratione Chriſtus, qui filius Dei erat, ac proinde nulli legi ſubiectus, omne iudicium potuit vitare; ſed ideo ſe legi ſubiecit, vt eos qui ſub lege erant, liberos redderet.

Cap. 2.

Status Legitimus, ſiue legalis dicitur, cum quæſtio oritur ex

ijs, quæ

ijs, quæ in lege ſcripta ſunt: ad quem reuocatur omnis quæſtio, quæ ex quocunque ſcripto dictoque naſcitur: Qui ſtatus nõnullas habet partes, quas mox recenſebo; cum earum cognitio diuinæ ſcripturæ interpreti non ſit inutilis. Verum, meliores dicendi magiſtri hos duos poſteriores ſtatus, ad tertium genus reuocant, & recte quidem: cum in vtroque de rei qualitate quæratur. *Libro 1. de Quæſt. orat.*

Quæ ſint ſtatuum partes, & qualitatis, legaliſque conſtitutionis ſpecies. Cap. IIII.

ANTEQVAM autem Qualitatis & Legalis cõſtitutionis ſpecies affero, ſtatuum partes breuiter explicabo. Cum itaque actor, ſiue accuſator ait, Regnum affectas, hęc dicitur Intentio: quod reus reſpondet, Non affecto, dicitur, Depulſio, vel Inficiatio, & Deprecatio: ex qua contentione oritur quæſtio, quæ dicitur habere ſtatum coniecturæ. At vero cum factum non negatur, ſed aliquo modo defenditur, duę alię intercedunt partes; quarum vna vocatur Ratio, & eſt id quod ad tuendum factum a reo affertur: & quoniam, ni accuſator hanc rationem euerteret, omnis ceſſaret actio, ideo reſiſtendo rationem tollere nititur, & id quod ad eam tollendam affert, Firmamentum nominatur: ex rationis & firmamenti conflictu quędam exoritur quæſtio, quæ Iudicatio vocatur, ob eam cauſſam, quod in iudicium veniat. Vt ecce, Hominem curaſti in ſabbatho: hæc eſt Intentio: curaui quidem, Quia curare licet; hæc eſt Depulſio cum ratione; quæ hoc Firmamento tollitur; Qui in ſabbatho curat, legem ſoluit, ac proinde non bene curat; hinc oritur hęc quęſtio, quæ in iudicium venit, An qui tali die hominem curat, legem ſoluat. Verum, in his quæſtionibus ſemper pręcipuus ſtatus cenſendus eſt ille, qui ex prima cõtentione naſcitur; vt, An in ſabbatho curare liceat. Atqui in coniecturę ſtatu tantum duæ ſunt partes, & illa eadem quæſtio quæ dicitur ſtatus, eſt Iudicatio: in alijs vero intercedit Ratio & Firmamentum, & ita Iudicatio eſt a ſtatu diuerſa, vt in allato patet exemplo. *Matth. 12.*

Status Qualitatis duas habet partes; quarum vna dicitur, Qualitas abſoluta, altera aſſumptiua. Tunc dicitur Qualitas abſoluta, quando factum ex ſe ſuaque vi defenditur, nulla ratione extrinſecus petita; vt ecce, Inique facis Paule, quod ſumptus exigis; abſoluta qualitate ſe defendit Paulus, Quia homini libero, & diuini *1. Cor. 9.*

uini

nini verbi miniſtro licet ex ſuo miniſterio viuere. Aſſumptiua qualitas ea nominatur, cum ad defendendum factum aliquid extrinſecus aſſumitur; cum ex ſe defendi non poſſit, hoc modo, Abſcidiſti, Petre, auriculam Malcho: Abſcidi quidem, ſed non ſum
Ioan.18. reprehendédus, quia licet vim viro innocenti illatam repellere.
Cic.li.1.Of.

Aſſumptiuæ qualitatis hæ numerantur partes, Comparatio, græce Antiſtaſis, cum dicimus alterum e duobus faciendum fuiſſe, & id nos feciſſe oſtendimus, quod magis expediebat, & quod minora afferebat incommoda: Vt, cur o Saul non necaſti animalia in bello capta, iuxta præceptum Domini? quia melius eſſe putaui, vt ſeruarentur in ſacrificium: Sed hęc fuit infirma defenſio, cum melior ſit obedientia, quam ſacrificium.

Remotio criminis, grçce, Metaſtaſis, cum reus culpam in ſe collatam, in aliam perſonam, vel rem, cauſſamve transfert, & ideo ſe feciſſe ait, quia alius iuſſit, cui parendum fuit. Hoc pacto ſe defendere poterant Hebrei, ſi furti accuſati fuiſſent ab Aegyptijs, quod vaſa ab eis accepta non reſtituerint: quia Deus id mandauerat: ac etiam Amalecites, qui Saulem necauit: quia ei dixerat,
2.Reg.1. Interfice me, Male facitis, o Iudei repudiando vxorem: At inquiunt, Moſes permiſit libellum repudij ſcribere: verum, ad duritiam cordis veſtri.
Mar.10.

Translatio, ſeu relatio criminis, cum reus ad aliquid faciendum alterius facto ſe inductum fuiſſe ait: in ſuperiore modo tollitur omnis culpa hic minuitur. Hac ratione Adamus ſuum peccatum defendere, ſed male, conatus eſt, cum dixit, Mulier quam
Gen.3. dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi: & mulier, Serpens decepit me, & comedi.

Conceſſio, græce Parcmologia, cum reus non defendit id, qđ factum eſt, ſed vt ſibi ignoſcatur poſtulat: quam defenſionis rationem in duas diuidunt partes: in Purgationem & Deprecationé. Purgatio eſt, qua conceſſum factum excuſatur, dum non dedita opera, non conſulto, non ex deliberata ratione factum fuiſſe oſtéditur. Purgationi, hę ſubijciuntur partes, caſus ſiue fortuna; cum aliquid inopinatum, cuius euentus ignorabatur, factum fuiſſe dicitur: cum factum per imprudentiam & ignorantiam purgatur. Huc referres purgationem illam, qua vſus eſt Chriſtus cum in cruce pro ſuis inimicis orauit, Ignoſce illis, quia neſciunt qđ
Act.3. faciunt: & diuus Petrus, cum dixit, Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicuti & principes veſtri. Neceſſitas, cum neceſſitas cui non reſiſti, vel quæ vitari non poteſt ad purgandum

adducitur:qua vſus eſt Saul,cum dixit,Neceſſitate compulſus ob tuli holocauſtum:& Paulus cum dixit,vos me coegiſtis. *1.Reg.13.*

2 Deprecatio,cum reus ſe cōſulto peccaſſe fatet,& tñ ſibi igno ſci petit:Quæ non habet locum niſi apud Principem,& eum qui poteſt pœnam relaxare,aut commutare:& præſertim apud Deū, cuius proprium eſt miſereri & parcere.Huius generis multa exēpla ſunt in ſcriptura: ſed illud eſt illuſtre, quod Pſalmo quinquageſimo habetur:vbi regius Vates confeſſus eſt peccatum, & deprecatione vtitur, nonnullis rationibus ad veniam obtinendam adhibitis,quas libro quarto de Inuentione indicauimus.Atque de partibus Qualitatis aſſumptiuę hactenus;quas non ſine vtilitate in explicandis diuinis ſcripturis adnotare licebit: nunc de partibus ſtatus Legalis dicamus.

Diuidunt itaque rurſus dicendi Artifices ſtatur in duos;quorū alter dicitur Rationalis,qui ratione nititur,vt ſunt omnes hactenus explicati:alter Legalis,qui ex lege,vel ſcripto oritur:qui ſub ſe nonnullas habet partes,in quibus tractandis tota fere verſatur Theologia.

Ex ſcriptura igitur quattuor modis poteſt oriri quæſtio; Primo,cum ſcriptum eſt ambiguum,& plures poteſt habere ſenſus; vt hoc in loco, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: *Matth. 6.* Quid panis nomine intelligatur:Et,ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam;quid per petram intelligi debeat: Et aquæ *Matth. 16.* omnes quæ ſuper cœlos ſunt:hinc oritur quæſtio, an ſuper cęlos vllæ ſint aquæ. Secundo,cum verba legis videntur cum legislatoris voluntate pugnare: vnde multæ oriuntur inter Chriſtianos & Iudæos controuerſiæ,cum hi non legislatoris mentem, ſed verba ſpectent. Huc pertinent hæc loca,Miſericordiam volo,& *Matth.9.* non ſacrificium:Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te, eijce eum: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem *Mar.9.* intrare in regnum Dei:In quibus exemplis,alia eſt legiſlatoris intentio,ab ea,quam verba deſignare videntur.Tertio,cum leges videntur eſſe inter ſe contrariæ: vt, Deus tentauit Abraham,Deus *Mar.10.* *Gen. 22.* neminem tentat:neminem eſſe habendum odio, & parentes odiſſe oportere:Deum neminem perdere, & Eſau habuiſſe odio: *Iac. 1.* Deus bonus eſt,& non eſt malum in ciuitate,quod Dominus nō fecerit:de quibus integra ſcripta ſunt a varijs ſcriptoribus volumina;in quibus apparentes in diuinis literis tolluntur contrarietates. Deniq;,oritur ſcripti quæſtio ex ratiocinatione; cum ex eo quod eſt ſcriptum, aliquid non ſcriptum probare,aut reprobare

contendimus. Confeſſionis præceptum, inquit hæreticus, non eſt in verbo Dei: at Catholicus ait, ideo nos eſſe obligatos ad confeſſionem, quia poteſtas abſoluendi a peccatis eccleſiæ miniſtris his verbis data fuit, Quorum remiſeritis peccata remittũtur eis: quæ poteſtas vana eſſet, ni fideles ſua errata confiteri deberent. Dicunt aliqui, iniuria affecto non eſſe neceſſarium dare ſigna dimiſſi odii, ſi veniam petat: ſed tamen per ratiocinationem id ex eo quod dictum eſt, Vade & reconciliare fratri tuo, facile demonſtrares, ut nos libro de Pacificatione fecimus.

Ioan. 20.
Conc. Trid.

Atque hæc de ſtatibus, pro noſtro inſtituto dixiſſe ſufficiat; quorum cognitio, & ad diuinas literas exponendas, & ad conciones conficiendas omnino eſt neceſſaria. Explicata itaque inuentionis materia; nunc ad locos ipſos in quorum tractatione inueniendi ars eſt occupata, accedẽdum eſt: de quibus late nobis ſcribendum eſſet, niſi alibi de omnibus locis, tum oratoriis, tum dialecticis, & theologicis copioſe egiſſemus. Hoc itaque loco ſatis nobis erit eos breuiter enumerare, ut ad uſum concionandi accommodari poſſint; ſi prius quanta ſit huius doctrinæ neceſſitas paucis indicauerimus.

Li. de Inuẽc.
Li. 5. introd. in Theol.

Quam ſit vtilis atque neceſſaria locorum communium notitia. Cap. V.

EXPOSITIS variis quæſtionum generibus, quarum cognitio dicere, aut ſacram ſcripturam recte exponere volenti eſt maxime neceſſaria: ſequitur, vt de locorum communium inuentione agamus, quibus omnis propoſita explicatur quæſtio.

Lib. 1. de In uen. ora. c. 5

Quam uero vtilis, quamque neceſſaria ſit horum locorum notitia, facile quiſque ſibi perſuaderet, qui vel hoc vnum intelligeret, quid ſibi communis locus velit. Ea eſt enim communium locorum vis, atque natura, vt qui eos nouerit de vnaquaque re propoſita, modo non ſit rerum ignarus, copioſe dicere, & quæ ab alijs dicuntur, vnde ſumantur, quid quantumque valeant, & quorſum tendant videre, atque eorum quæ audit, aut legit ſententiã ſtatim penetrare queat. Quare, qui hanc doctrinam non tenent, ieiune ſcribunt, in aliorum ſcriptis exponendis infeliciter verſantur, & cum locis non abundent, non ſunt locupletes. Et quamuis hæc tractatio dialectica videatur, tamen, non eſt a noſtro inſtituto vllo modo aliena; cum artem quandam bene dicendi ex diuinis

uinis

uinis literis oſtendere velimus: vt omittam quod inuentionis loci primum in libris diuinitus ſcriptis, adhibiti fuere; ac proinde iure optimo in illis notari debeat. De Inuentione itaque diuina actûrus, antequam rem ipſam aggredior, quantum vtilitatis ſacrę paginæ ſtudioſus hinc capere poſſit; breuiter docebo.

Primum, hæc doctrina atque tractatio confert mirum in modum ad diuina oracula recte intelligenda & explicanda. Nam, cum in eis graues diſputationes, conciones, & omnis generis orationes ex varijs locis conflatæ reperiantur, non video quo pacto is qui locos ignorat, has ſacræ ſcripturæ partes pro dignitate explanare queat, ni topicam artem cognitam habuerit: vt diſputationes Chriſti cum Hebræis, Pauli controuerſias in omnibus ferè epiſtolis, eiuſdem defenſiones in genere iudiciali, Dauidis artificioſiſſime ſcriptas odes, Prophetarum declamationes, ſuaſiones, reprehenſiones, in quibus omnes locos, & varij generis argumenta obſeruare licet: quæ, qui non obſeruat, diuinum artificiū notare, admirari, & imitari minime poteſt. Denique, cum ea quę in ſacra pagina traduntur ſæpenumero, non ſolum ſimpliciter narrentur; ſed etiam ſuis rationibus confirmentur, profecto eorum quæ dicuntur vim nemo intelliget, niſi is, qui rationum momenta perpendet; id quod facere non poterit, niſi qui locos nouerit. Fruſtra igitur, aut parum vtiliter diuinas ſcripturas tractat, qui ſine hac doctrina ad eas tractandas accedit. *Act. 22. 24. & 26.*

Deinde, qui locos cognitos habuerit, eos legendo adnotare, & quandam locorum ſiluam ſibi comparare poterit: quæ res quot, quantaſque ſecum vtilitates afferat, nolo hoc loco pluribus exponere: quæ ſane ſunt multæ & maximæ.

Præterea, qui communes locos legendis diuinis, vt dicebam, adnotauerit, is ad ſacras conciones in omni genere conficiendas erit idoneus: Quare, ſi, vel laudare, vel vituperare, vel ſuadere, vel diſſuadere, vel reprehendere, & accuſare voluerit, id facile, prudenter, & grauiter poterit efficere. Quæ certe induſtria magis prodeſſet, quam ſi quis quotidie concordantiarum volumina euolueret, aut varia quadrageſimalia & ſermonarios perlegeret.

Ad hęc, iſta communium locorum notitia multum confert ad colligendam alicuius libri, vel capitis, vel loci ſummam. Nam, quæ fuſius pluribus argumentationibus confirmantur, qui eſt hac diſciplina præditus, ea facile & diſtincte in pauca confert: quæ vtilitas eſt ſane maxima. Iam vero, qui locos bene per-

ſpectos cognitoſque habuerit, orationis diuinæ varietatem, efficacitatem, congruentiam, decorumq; percipiet, & admirabitur: ex quo, cœleſtium oraculorum ſtudioſus, maximam voluptatem capiet: ac proinde ad ea cognoſcenda mirum in modum inflammabitur, in eiſque dies noctesque perlibenter verſabitur.

Sint duo, vt quod ſentio facilius exponam, qui aliquem Dauidis Pſalmum, aliquam Pauli epiſtolam, etiam eam quam breuiter ad Philemonem ſcripſit, & orationem Dominicam legant; ſed alter ſententiarum pondus, earundem conſequutionem, figurarum varietatem, & denique locorum vim percipiat, alter vero minime; is ſine delectatione, ſine guſtu, ſine ardore, leget: ille vero, amice Lector crede, ardenter, delectabiliter, ſuauiter. Legat aliquis Pſalmum quinquageſimum, cauſſam quam ibi artificioſus Vates tractat, percipiat, locos quibus ad perpetrati peccati veniam obtinendam vtitur, animaduertat, & ſummum artificiũ ornatumque notet, & id quod affirmo verum eſſe fatebitur. Idẽ dicas de illo Pauli epiſtolio, cuius artem aliquando nos explicuimus, ac etiam de præcatione Dominica integro libro a nobis explanata. Nemo igitur hanc de Inuẽtione diuina ſcriptionem nos fruſtra ſuſcepiſſe exiſtimet, ea fortaſſe ratione motus, quod a Dialecticorum, vel Rhetorum doctrina peti potuiſſet: quoniam, præter ea quæ diximus, ex hac noſtra opera diuinæ legis ſtudioſus ad inueſtigandos & obſeruãdos communes locos excitabitur, quod hactenus qui fecerit, eo ſaltem modo quo fieri debet, inuenies fortaſſe neminem. Accedat etiam, quod locorum obſeruatorum exempla quæ nos afferemus, facilem & expeditam viam ad locos cognoſcendos & internoſcendos præbebunt: quæ locorum obſeruatio in quouis auctore, ſemper difficilis exiſtimata fuit, etiã ab ijs qui hac in re multum ſtudij collocarunt.

Lib. 4. de Inuent.

Lib. 4. de Inuent.

Topica itaque diuina diuinis tradenda fuit exemplis; vt ibi eſſe oſtendatur, vbi non eſſe aliqui falſo exiſtimant, alij non animaduertũt. Vt omittam, quod nonnullos alios locos communes explicabimus, ſacræ doctrinæ proprios, quos apud humanos ſcriptores non reperies. Quæ autem vniuerſe de locorum communium natura, diuiſione, diſtinctione, & ordine dici poſſent, ea, cũ hic non inſtituamus tirones, ex libris de Inuentione a nobis in lucem datis, repetẽda ſunt. Hic enim ſolum ſimpliciter locos numerabimus, & vno vel altero exemplo illuſtrabimus. Quod autẽ ad ordinem attinet, illud vnum dixerim, me prius de illis locis

ſcriptu-

ſcriptorum,qui omnibus cauſſarum generibus ſunt communes, quos Dialectici explicare ſolent, & a rebus ſumuntur: poſtea,cũ de generibus cauſſarum agetur, proprios ſingulorum generum locos tractabo.His hunc in modum prænotatis,ad rem ipſam aggredior.

De locorum diuiſione,ac definitione. *Cap. VI.*

QVONIAM, vt paullo ante dicebam, nolo ita copioſe de locis agere, vt libro de Inuentione feci,ideo ſolum tria de quocunque loco explanare contentus ero: quid ſit, quotuplex, & quæ ex illo ducantur argumenta: qui vero ſit locorum ſingulorum vſus,& quot modis ex ſingulis argumentari liceat,cognoſcere qui volet, citatum librum leget.

Sunt autem locorum genera duo: in quorum vno illi continẽtur,qui artificioſi vocantur,vt ſunt omnes, qui ab arte tradũtur, qui in re ipſa ſpectantur,& ab eo qui dicit excogitantur: in altero alij qui inartificioſi appellantur; non quod arte non tractetur, ſed quia extrinſecus ad cauſſam accedunt,vt poſtea planius dicetur.Prioris generis loci vario modo a varijs ſcriptoribus numerãtur: at illi quos nobis explicandos proponimus hi ſunt, Definitio,Deſcriptio, Etymologia, ad quos refertur locus Differentiæ, Proprij,Reciprocorum,& Synonymorum: Totum,Partes,Cauſſa,Effectus,Subiectum,Accidentia, ſiue Actus, Vſus & abuſus, Generatio & Corruptio,Antecedens & conſequens, Adiuncta, ſeu communiter accidentia,Similitudo & diſſimilitudo,Comparata, Oppoſita, Contraria, Repugnantia, ſeu diſſentanea, Tranſumptio,ſiue Tranſlatio,& proportio,Auctoritas, Coniugata,& caſus,Comparata & appoſita,poſtremo Diuiſio. Quorum locorum,alij ſunt intern ,vt omnes priores, vſque ad ſimilitudinem: alij externi,vt ſequentes,vſq; ad coniugata: alij medij,vt reliqui. Nam cum aliqua res tractanda, aut probanda ſumitur,animaduertenda ſunt omnia quæ ad illam aliquo pacto pertinent,aut referuntur; vel tanquam conſentanea & intrinſeca; vel tanquam diſſentanea & externa;vel tanquam adiuncta,& quaſi medio modo ſe habentia. *Ariſt.* *Cicer.*

Cum itaque de re propoſita aliquid dicendum erit, ſi quid affirmare voluerimus,videndum eſt,quid cum re conſentiat; ſi vero negare, quid ab ea diſſentiat. Vt autem hoc fiat,inueniẽdum

eſt aliquid tertium,quod Dialectici Medium,Cicero argumentum appellat;in quo,ſi res de qua aliquid probandũ eſt, quæ ſubiectum dicitur,& id quod eſt probandum, quod prædicatum vocant,Latini attributum dicerent,conuenient , aliquid affirmando concludetur;cum ea quæ ſunt eadem vni tertio,ſint eadem inter ſe:ſi vero non conuenient,aliquid negabitur:vt ecce , ſi ei qui eſt a ſe,conuenit æternitas,& eſſe a ſe conuenit Deo;profecto eſſe æternum conueniet Deo.

Rod.l.Agri. Declaratur hæc doctrina hoc cuiuſdam viri docti ſimili.Si q́s duas columnas inter ſe diſtantes, an ſint æquales cognoſcere vellet,certam ſumeret quantitatem, quam vtrique applicaret;quod ſi ambabus eſſet æqualis,profecto inde colligeret , eas eſſe inter ſe æquales;ſi vni & non alteri,facile earum diuerſitatem perciperet . Atque idem de argumento,quo ad aliquid probandum vtimur,diceres : quod ambabus partibus,vel ſaltem vni debet eſſe conſentaneum;ſi quid eo concludere volueris,alias erit inutile. Cum ergo non omnia ſint apta ad probãda omnia,propterea neceſſe fuit aliquam artem excogitare,qua facile idonea inuenirentur argumenta:idque factum eſt per artem Inueniendi,quam Topicam appellant,quod certos in vnaquaque re locos notauerit , vnde ad quamcunque rem probandam apta ſumere liceat argumenta.

Locus autem nihil aliud eſt,quam ſedes,vbi ad aliquid probandum latet argumentũ: Vel,eſt nota quædam quæ argumenta demonſtrat:vt,loci Definitionis,cauſſæ,& effectus nos monent,aliquid demonſtrari poſſe argumento a definitione, a cauſſa , & ab effectu rei ſumpto.Loci inartificioſi,vt ad alterum diuiſionis mẽbrum redeamus, hi numerantur, Præiudicia, fama,tormenta,tabulæ,iuſiurandum,teſtes.

De loco definitionis,deſcriptionis,etymologiæ,differentiæ , proprij, & ſynonymiæ. Cap. VII.

HIs de locorum natura vniuerſe expoſitis, ad eorum tractationem accedentes , primum de intrinſecis agemus : in quibus primam ſedem obtinuit definitio .

Eſt autem definitio nihil aliud, quã oratio quæ rei alicuius naturam breuiter manifeſtat; vt, ſi definiendo ſacramentum

mentum diceres, eſſe ſacræ rei ſignum; & virtutem, eſſe habitum bonum.

Eſt autem definitio duplex, altera rei, altera nominis, quæ etymologia & notatio dicitur. Illa rurſus triplex, prima, quæ per genus & differentiam aſſignatur; vt, homo eſt animal rationis particeps; quam eſſentialem vocant. Secūda cauſſalis, quæ datur per genus & aliquam cauſſam; vt ſi definiens hominem diceres, eſſe animal ratione præditum a Deo ad beatitudinem factum. Tertia accidentaria, quæ per proprietates, & proprias operationes officiumque aſſignatur, quæ priuatim Deſcriptio nominatur: qua potiſſimum Oratores, qui pluribus accidentibus rem aliquā deſcribūt, vti conſueuere; cuiuſmodi eſt iſta apud Iobum, Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs: qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Si itaque proponatur aliqua quæſtio, ad quam probandam argumento a definitione ſumpto vti volueris, locus definitionis dicitur: ſi vero pro argumento ſumatur definitum, locus erit definiti.

Poſſumus autem arguere, tum a definitione ſubiecti, tum attributi, vt ſi probare velles pœnitentiam eſſe virtutem, pro argumento, tum virtutis, tum pœnitentię definitionem ſumeres: idem faciendum eſſet, ſi quidpiam velles refellere. Quo fit, vt quattuor ſint modi argumentandi in definitione; vnus ex definitione ſubiecti, alter ex definitione attributi; & vterque poteſt fieri affirmā do, vel negando: quattuor igitur. Quos modos planius explicatos libro citato habes: hic ſolum quædam ex hoc loco ſumpta ſubijciam exempla.

Ponatur hæc quæſtio probanda, quam non vno in loco diuinæ literæ tractarunt, An Idolum ſit Deus, quam a definitione attributi, ſiue Dei, ſic probares; Deus eſt, qui eſt: Idolum non eſt qui eſt, ſed potius nihil eſt: igitur. A definitione attributi hoc pacto: Idola ſunt dæmonia (Dij enim gentium dæmonia, vt regius Vates definit) non ergo Deus. Chriſtus, de ſe dixit, Ego ſum; Deus igitur erat. Ab hoc loco probauit Apoſtolus ſpem non eſſe eorū quæ habentur, vel eorum quibus fruimur; Quia ſpes eſt eorū quæ non videntur: Similiter fidem, non eſſe eorum quæ cernuntur: quia eſt argumentum non apparentium. Maximas ſiue axiomata quibus iſta argumenta ex hoc loco ſumpta nituntur, hic omittimus, & deinceps omittemus, eas qui cognoſcere voluerit, librum citatum legat.

Exod. 3.

Pſal. 95.

Rom. 5.

Heb. 10.

A deſcriptione,qui locus eſt frequentiſſimus in diuinis literis,
Pſal. 15. petita eſt hæc probatio,Deus meus es tu:quoniam bonorum meorũ non eges; quaſi per deſcriptionẽ Deus is ſit, qui bonis noſtris non indiget.Chriſtus fuit beatus,ſiue iuſtus:quia non abijt in cõ
Pſ. 1. & 2. cilio impiorum,& in via peccatorum non ſtetit, &c. Et ſi iuſtus fuit,Quare contra eum fremuerunt gentes? Vita noſtra eſt vapor
Iac. 4. ad modicum apparens,& deinceps exterminabitur:non ergo de lucro ſoliciti eſſe debemus.

A b etymologia,ſeu nominis definitione, qui locus ſæpe reperitur in diuinis oraculis,in quibus omnia propria rerum,locorũ, & perſonarum nomina aliquid ſignificant,prudenter argumentum duxit Abigail,ad Dauidis iram aduerſus Nabal placandam,
1. Reg. 25. cum dixit, Ne ponat oro dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal:quoniam ſecundum nomẽ ſuum ſtultus eſt,& ſtultitia cum eo; Nabal enim ſtultum ſignificat. Huc etiam reuocares illam Angeli reſponſionem ad Tobiam , de eius nomine interrogantem , Ego ſum Azarias Ananiæ magni
Cap. 5. filius:vnde Tobias intulit,ex magno genere es tu.Vera enim eſt Angeli reſpõſio,ſi nominis etymologiam ſpectes. Ad hos tres locos reuocantur quinque alij ſequentes.

A differentia, cum pro argumento ſumitur rei differentia;erat Chriſtus rationis particeps:homo igitur.

Ioan. 8. A proprio,cum loquitur mendacium, de mõ videlicet,ex proprijs loquitur:quia mendax eſt,& pater eius. Ego Deus qui non
Mala. 3. mutor:promiſſa igitur faciam: & dona mea immutabilia. Veniã ſperemus a Deo,ſi nos peccatorum noſtrorum pœnitebit:Quia
Oſe. 13. Dei proprium eſt miſereri & parcere.Perditio tua Iſrael:tantummodo in me auxilium tuum . Quoniam Deus non volens ini-
Pſal. 5. quitatem tu es:non habitabit igitur iuxta te malignus.

Ab officio, Audite Principes Iacob & duces domus Iſrael, Nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium , qui odio habetis bonum,& diligitis malum?Et nunc fratres , quoniam vos eſtis preſ-
Iudith. 8. byteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda eorum erigite.

A cõuertibilibus,vt ſunt ea,quæ inter ſe commutantur;Filius Deus eſt; æternus igitur: eſt æternus , ergo & Deus: Futura
Iſa. prædicit, erit igitur Deus: Deus eſt, igitur futurorum præſcius .

A ſynonymis;ſunt autem ſynonyma, ut vulgo dicitur, nomina idem ſignificantia;vt lex,teſtamentum,mãdatum,teſtimonia, & mul-

& multa alia,quibus ſacra ſcriptura nominatur: ex quo loco hæc ducuntur argumenta:lex Domini conuertit animas:igitur & mā datum,& teſtimonium Domini:verbum Dei eſt lucerna pedibus: igitur & lex,& præceptum. *Pſal.118.*

De loco totius & partium. *Cap. VIII.*

VT totum & partes varijs modis ſumuntur;ita etiam varia ab hoc loco argumenta petuntur;quibus,vel per totum partes, vel contra per partes totum probamus. Totum ergo ſex modis dicitur;totum vniuerſale,quantum,integrale,in modo,in loco,in tempore.

Totum vniuerſale eſt quodcunque attributum, ſiue prædicatum commune,ratione ſuorum inferiorum;quæ inferiora partes ſubiectiuas appellant:vt ſacramentum, ratione ſeptem ſacramen torum:virtus,ratione quattuor virtutum;homo ratione ſingulorum hominum. Ex quo loco argumentari poſſumus ponendo to tum,vt inferamus partes,& contra;tum ex parte ſubiecti,tum attributi affirmando,& negando;vt plane libro de Inuentione expoſui:hic ſolum vnum,vel alterum ſubijciam exemplum. Lex eſt ſpiritualis;igitur vel vetus,vel noua,eſt ſpiritualis:totum eſt,Lex; noua,& vetus,partes. Lex non eſt carnalis, ergo,vel lex Moſis,vel Chriſti non eſt carnalis. Idolum non habet ſenſum;igitur nō habet auditum:de idolo negatur ſenſus,quod eſt totum,negatur etiam pars. A partibus ad totum;Doctrina data per Moſem non facit iuſtum:lex igitur,non facit iuſtum. Lex Chriſti iuſtitiam tribuit;lex igitur hominem iuſtum reddit. Ego,inquit Paulus,Iſraelita ſum:igitur Deus non repulit populum ſuum. *Pſal.1.* *Rom.11.*

Totum quantitate,eſt idem quod totum vniuerſale,ſed cum ſigno uniuerſali affirmante,vel negante,vt ſunt,omne, & nullum. A toto ad partes affirmando, hoc modo ducitur argumentum, Abraham fuit pater omnium credentium: igitur & Iudæorum, & Gentium:Omnis poteſtas a Deo eſt;igitur & Pontificia, & regia:Omnia veſtra ſunt;quare & Paulus, & Apollo, & mundus; omnes in Adā peccauerunt;igitur & Iudæi,& Gentes egent gratia Dei. A partibus,Deus non eſt ſolum Iudæorum,ſed etiam Gētium itaq; omnium. Negando,a toto,hoc modo, ſine Chriſto nihil poſſumus facere; quare nec credere: Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum,id eſt nullum maximum opus: quam- *Rom.3. 13.* *1.Cor.3.* *Rom.4.* *Ioan.15.*

Luc. 1. obrem, nec Virginem parere: In Chriſto nullus inuentus eſt dolus: ergo non eſt mentitus, cum ſe Dei filium eſſe dixit: Nihil in Iob 1. terra ſine cauſſa fit: ergo non ſine ratione Deus Iobum pœnis affici permiſit; vt nimirum eius amplificaretur & cognoſceretur virtus. A partibus ad totum, Idolum nec aſpectum, nec auditum, nec guſtum, nec odoratum, nec tactum habet; ſenſum igitur nullum: Quidam diſcipulus volebat Chriſtum tradere: non ergo om- Ioan. 13. nes mundi erant.

Totum in modo, eſt quodcunque nomen commune ratione ſuijpſius cum aliqua reſtrictione ſumpti; vt lex, & lex euangelica: homo, & homo inimicus: homo, & homo peccator: Ex quo loco, hunc in modum ducitur argumentum; Deus vult omnes homi- 1. Tim. 2. nes ſaluos fieri: quare & homines peccatores: Caritas omnes ho- Mat. 5. mines diligit: igitur & inimicum hominem: inimicus homo eſt diligendus, quare & homo.

Totum integrale, eſt quodcunque corpus quantum, ratione ſuarum partium; vt corpus humanum, cuius partes integrantes ſunt, caput, pectus, venter, pedes, & aliæ: & domus, fundamenta, parietes, tectum: & ſecundum quandam analogiam, virtutes & artes, veluti quędam tota, ex partibus confici dicuntur; vt commu- Psal. 33. nis iuſtitia ex duabus partibus, quæ ſunt, Recedere a malo, & facere bonum: & pœnitentia ex tribus, quæ ſunt, contritio, confeſſio, ſatisfactio. Partium huius generis, aliæ ſunt neceſſariæ, ſine quibus totum nequit conſiſtere; vt caput in animali, fundamentũ in domo: aliæ quæ ſolum ad perfectionem conferunt, vt digiti, & Iob 1. auriculæ in homine. Ab hoc toto hæc petuntur argumenta; Iob fuit iuſtus: igitur receſſit a malo & fecit bonum, credidit, & bene Iac. 2. egit: his enim duabus partibus, quidquid miſer dicat hæreticus, perfecta conſtat iuſtitia. Eccleſia omnibus membris conſtat, quæ ſunt in myſtico corpore neceſſaria; perfecta igitur. Huc referres argumentum ductum a toto, quod vocant, eſſentiale, quod ex materia & forma conſtat; quæ partes eſſentiæ dicuntur: vt, Chriſtus eſt verus homo; igitur ex anima & corpore conſtat: & contra, ex anima & corpore conſtat; homo igitur, non ſpiritus, non phantaſma.

Totum in loco, eſt aduerbium vniuerſale loci; vt, vbique, nulli Ierem. 23. bi: partes ſunt, alicubi, cœlum, terra, infernus. Ex hoc loco ita argumentamur, Deus eſt vbique, quia omnia implet: igitur in cœ- Rom. 10. lo, & in terra: in omnem terram exiuit ſonus eorum, hoc eſt A- Act. 17. poſtolorum; quare & in Aſiam, & in Europam, & in Africam:

Deus

Deus non longe eſt ab vnoquoque noſtrum;quamobrem vbique: Dæmon eſt in inferno; non ergo vbique:Angelus eſt in cœlo;nō igitur nullibi.Huc pertinet hic Iobi locus, Si ad orientem iero, non apparet:ſi ad occidentem, non intelligo eum: ſi ad ſiniſtram non agam? non apprehendam eum: ſi me vertam ad dextram,nō videbo illum.Atque etiam hic alius qui eſt apud Dauidem,Si aſcendero in cœlum,tu illic es,&c. *Cap. 23.* *Pſal. 138.*

Totum in tempore,eſt aduerbium vniuerſale temporis;vt,ſemper,nunquam:cuius partes ſunt, aliquando, hoc anno,hac hora: vnde ſumuntur hæc argumenta,Bel nunquã comedit: igitur nec tempore Cyri regis:Meditatur in lege Domini die ac nocte:quare ſemper:per diem ſol non vret,neque luna per noctem: nullo igitur tempore vir iuſtus afficietur malo. *Dan. vlt.* *Pſal. 120.*

Quid & quotuplex ſit cauſſa,& de loco cauſſæ materialis & formalis. Cap. VIIII.

CAVSSARVM locus eſt ampliſſimus, & in omni ſcriptorum genere frequentiſſimus: de quo in præſentia cum late ſcribere nolimus,ad tertium de Inuentione librum Lectorem reijcimus.

Eſt autem cauſſa id cuius vi ſequitur effectus:cuius quattuor ſunt genera,materia,forma,efficiens,& finis:duę priores ſunt rei intrinſecæ,poſteriores extrinſecæ: hoc capite de duabus primis,conſequenti de alijs agemus. *Ariſt. 4. Ph.*

Materia,vt ab ea exordiamur,eſt ea ex quą res fit, & in quam reſoluitur.Huc pertinet illud,Memento quia puluis es,& in puluerem reuerteris. Verum per Catachreſin, materia dicitur etiã id in quo ars verſatur,id in quod forma introducitur,& id in quo aliquid inhæret;vt accidens in ſubiecto. *Gen. 3.*

Materia duplex eſt, altera naturæ, altera artis,id nimirum ex quo,vel natura,vel ars aliquid efficit.Item,alia permanens,quę in re manet effecta;vt lignum & lapides in domo: alia quæ immutatur,quam tranſeuntem vocant, cuius natura in re facta non manet;quo modo farina eſt materia panis,& limus hominis. Itē,alia eſt materia proxima,in quam proxime agens agit;alia remota;vt ſunt ligna in ſiluis,ex quibus conficitur ſcamnum.

A loco cauſſarum duobus modis argumentari licet: primo ab exiſtentia cauſſæ,ad probandum effectum eſſe, vel fuiſſe, vel eſſe poſſe:ſecundo a proprietatibus cauſſæ, ad proprietates effectus.

A cauſ-

A cauſſa materiali iuxta priorem modum hæc ſumuntur argumenta. Nunquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei? vbi Propheta a materia, & a cauſſa efficienti arguit, ad probandum effectum fieri potuiſſe. Si impletæ fuerint nubes, ait Sapiens, imbrem ſuper terram effundent: Sunt enim vapores in nubibus ſeu ſati materia pluuiæ: Eſt Eucharistiæ ſacramentum; igitur panis & vinum fuere: non adeſt vinum, nec panis: quare ſacrificium fieri non poteſt.

Ier. 8.

A proprietatibus materiæ hæc ducta ſunt argumenta; Bel eſt intrinſecus luteus, & forinſecus æneus: igitur comedere non poteſt: Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & radix ſancta, & rami: Nec fortitudo lapidum, aiebat Iobus, fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt: & alio loco, Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me: & regius Vates, Miſertus eſt Dominus timētibus ſe; quoniam ipſe nouit figmentum noſtrum: Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus. Huc referunt aliqui argumenta ſumpta ex natura loci, in quo res nata eſt; vt, Natus in Aetyopia, niger igitur: in aquis, ergo humidus.

Dan. vlt. Rom 11. Cap. 6. 10. Iſa 64. Pſal. 102.

A materia in qua ars verſatur, vel in quam agit, ſumi ſolet argumentum ad laudandum, atque vituperandum: vt ſi ſacram doctrinam laudares, quia res diuinas tractat: vt nos fecimus in libr. Fons vitæ & ſapientia inſcripto. Atq; hactenus de materia, nunc de forma dicamus.

Forma eſt id per quod res eſt, & in certa conſtituitur ſpecie, & id, quod rei nomen tribuit, eamque ab alijs diſtinguit. Quæ duplex eſt, altera naturalis, quam natura procreat: altera artificioſa, quam ars rebus adiungit, quæ propriæ figura nominatur; vt figura rotunda, triangularis, & quadrata. Rurſus, duplex, altera interna, ut animus in homine: altera externa & accidentalis; vt albedo, pulchritudo, & omnino quodcunque accidens, ratione ſubiecti.

A forma quæ ſequuntur ducta ſunt argumenta: Fides ſine operibus mortua eſt; quia caritate, quæ eſt omnium virtutū forma caret: Idola aures habent, & non audiunt: os habent & non loquuntur; neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum; hoc eſt, ſunt animæ expertia: Si ſpiritu viuimus, ſpiritu ambulemus: Animalis homo nō percipit ea quę ſunt ſpiritus Dei; quia caret ſpiritu: ac proinde ſpiritualis iudicat omnia, quia Chriſti ſenſum habet: Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius: quod ſi ſpiritus eius,

Iac. 2. Gal. 5. 1 Cor. 2. Rom. 8.

qui

qui ſuſcitauit Ieſum a mortuis,habitat in vobis: qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum a mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra,propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis,ait Paulus.Cõticuit populus meus,eo quod non habuerit ſciẽtiã: remota enim forma accidentaria,talis conſequutus eſt effectus. *Oſe.4.*

De cauſſa efficienti & finali. *Cap. X.*

EFFICIENS cauſſa eſt ea, quæ faciendæ rei præbet operam: vel ea a qua incipit operatio, vel a qua aliquid fit:quæ varijs modis diuidi ſolet:nos ſolũ quaſdam diuiſiones ad noſtrum inſtitutum accommodatas ſubijciemus.

Cauſſa efficiens alia naturalis, quæ vi naturæ agit;quo modo ſol eſt cauſſa lucis:alia artificioſa,vt Architectus domus.Rurſus, alia quæ ſola producit effectum, qui aliunde proficiſci non poteſt; vt dies a ſolis acceſſu: alia ſufficiens, ſed non ſola, cum effectus aliunde eſſe poteſt; quo modo iugulatio eſt cauſſa mortis: alia quæ tantum iuuat. Rurſus, alia prima & præcipua,alia non prima,vt ſunt omnia inſtrumenta, & cauſſæ ſecundæ,atque iuuãtes.Item,alia efficit rem,ſed eam non conſeruat;vt parentes filiũ; alia etiam conſeruat,vt Deus mundum:alia ſolum conſeruat;vt cibus hominem:alia corrumpit,alia prohibet. Item, alia neceſſario agit,alia libere,& contingenter:alia per vim.Item,alia ex propoſito agit,alia temere,& caſu,ac præter intentionem. Item,alia per ſe,quo modo Dei auxilia ſunt cauſſa noſtræ ſalutis: alia per accidens,qua ratione Dei dona ſunt cauſſa noſtræ obdurationis. Denique,alia re ipſa agit,alia agere poteſt. Atque has diuiſiones attuliſſe ſufficiat:nunc varijs exemplis modum argumentandi ex hoc loco illuſtrabo. *Ariſtot. 2. Phyſ. tex. 1.*

A cauſſa primaria, A ſeculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati:Niſi eſſet hic a Deo, nõ poterat facere quicquam.A ſufficienti & neceſſaria,Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra:adhuc enim eſtis in peccatis veſtris:Non eſt volentis,neque currentis,ſed miſerentis eſt Dei. A cauſſa ſufficienti,Vnde,aiebat Iobus,verba mea dolore ſunt plena. quia ſagittæ Domini in me ſunt: quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Idem ab eadem cauſſa,ſed naturali,ita arguebat,Nonne veſtimẽta tua calida ſunt, cum perflata fuerit terra Auſtro? vẽto nimiũ calido.Tollite me,& mittite in mare, & ceſſabit mare a vobis: *Ioan.9.* *1.Cor.15.* *Rom.9.* *Iob 6.* *Ioan.1.*

Scio enim ego quoniam propter me tempeſtas hæc grandis eſt
Eccl. 23. ſuper vos. A cauſſa prohibente, quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circunſpicit me: Certe vides, fili hominis quæ ſeniores domus Iſrael faciunt in tenebris, vnuſquiſque in abſcondito cubilis ſui: dicunt enim; Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. A cauſſa conſeruante, Auertente autem te faciem, turbabuntur, auferes ſpiri-
Pſal. 103. tum eorum; & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. A
Ioan. 8. cauſſa efficienti non ſola, Quomodo hic literas ſcit, cum non di-
Ioan. 15. dicerit? A cauſſa efficiente per accidens, Nō poteſt mundus odiſſe vos: me autem odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala ſunt: ſi non veniſſem, & eis loquutus non fuiſſem, peccatum non haberent. A cauſſa, per occaſionem, Ego
Rom. 7. autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. Nunc autem mi-
Rom. 11. ſericordiam cōſequuti eſtis propter incredulitatem illorum: quę
Ioan. 5. incredulitas fuit occaſio. A cauſſa efficienti in potentia, Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. A cauſſa inſtrumentali, Domine, neque in quo hau-
Ioan. 4. rias habes: & puteus altus eſt. A proprietatibus cauſſæ efficientis, Lex vetus bona, quia eſt a Deo, qui bonus eſt: Nō poteſt arbor bona malos fructus facere: Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ
Act. 5. facite: Quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur: ſi vero ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere: Quomodo æſtimandum, aut dicendum illos eſſe Deos? A fabris autem, &
Baruc 6. ab aurificibus facta ſunt: Nihil aliud erunt, niſi quod volunt eſſe
Oſe. 8. ſacerdotes. Sed de efficienti hactenus: nunc de finali dicamus.

Finis eſt, cuius gratia aliquid fit; vel id quo vſus rei ſpectat; vt virtutis, beatitudo: creationis rerum omnium, Dei gloria. Eſt au-
Prouer. 16. tem finis duplex, vnus ſummus & perfectus, qui per ſe expetitur, nec alio refertur; qualis eſt optimus cuiuſque rei ſtatus: alter qui non eſt ſummus, vt eſt ille ad quem aliquid refertur, & ad aliquid conſequendum eſt deſtinatus; vt virtus ad beatitudinem, & pecunia ad bellum, & bellum ad pacem. Rurſus, alius eſt finis rei quæ agitur; alius eius qui agit. Huius loci hæc ſunt exempla, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: Non ſunt facienda mala, vt
1 Corin. 11 inde eueniant bona; quia bona, ex ſe, non ſunt malorum finis; & ita non eſt furandum, vt fiat eleemoſyna: Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mu-

lierem

lierem,ſed mulier propter virum:Vis autem non timere poteſta- *Rom.13.*
tem?bonum fac,& habebis laudem ex illa:Dei enim miniſter eſt
tibi in bonum.Si enim malum feceris, time:non enim ſine cauſ-
ſa gladium portat. Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetip- *Matth.16*
ſum,& tollat crucem ſuam & ſequatur me: Quem fructum ha-
buiſtis tunc in illis in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorũ *Rom.6.*
mors eſt. Ex hoc loco probatur idolum eſſe malum,quia ipſius fi-
nis eſt malus. A proprietatibus finis, Non ſunt condignæ paſ- *Sap.14.*
ſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in *Rom.8.*
nobis.

De loco effectorum,ſubiecti, actuum,adiacentium,vſus,& generationis. Cap. X I.

Hos propoſitos locos breuiter perſtringemus, quod
ex dictis facile intelligi poſſint. Effecta dicuntur quę
orta ſunt de cauſſis:& ideo, quot ſunt cauſſarum ge-
nera, totidem effectorum erunt. Ex effectu proba-
mus cauſſam eſſe,aut fuiſſe,aut etiam cauſſæ proprietates.

Materiæ effectum eſt id quod ex materia conſtat; vnde ſic ar-
gueres,Homo factus eſt ex limo;fuit igitur limus,ex quo fieret: *Gen.2.*
Bel idolum fuit:quare & æs ex quo conflatum erat:homo eſt cor-
ruptioni obnoxius: ex materia igitur fragili compactus: omnia
vt veſtimentum veteraſcent;ex corruptibili itaque materia *Pſal.101.*
conſtant.

Effectus formæ eſt cuiuſque rei naturalis,vel artificialis facul-
tas atque natura propriaque actio,quæ formam conſequitur;vt
hominis ratiocinari,ignis ſurſum tendere.Ex hoc loco ita argu-
mentamur,Non videtur tibi eſſe viuens Deus?an non vides quan- *Dan.14.*
ta comedat,& bibat quotidie?Sed decipiebatur, qui iſtum in mo-
dum ratiocinabatur:non enim idolum, ſed falſi ſacerdotes appo-
ſitas epulas manducabant:Tu es filius Dei:tu es rex Iſrael;ex effe- *Ioan.1.*
ctu formæ concluditur,quia prophetauerunt, quod eſt diuinita-
ti proprium.Annuntiate quæ futura ſint in futurum,& ſciemus *Iſa.41.*
quia dij eſtis vos:Scio quod non habitat in me,hoc eſt, in carne
mea bonum.:Nam velle adiacet mihi:perficere autem bonum
non inuenio.Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei: pulcherrima *Rom.7.*
igitur:

Ab effectu efficientis,Et cum venerit quod prædictum eſt, (ec- *Ezech.33.*
ce enim veniet)tunc ſcient,quod Prophetes fuerit inter eos:Po-
nit ani-

nit animam ſuam pro ouibus ſuis,bonus igitur paſtor eſt:Peccati effectus ſunt mors & erubeſcentia; peccatum igitur malum. Eſt hic locus ampliſſimus in diuinis literis, in quibus ex effectis varijs,varia de Deo probantur: vt eſt videre ſpeciatim apud Iobū & Dauidem.

Rom 8.

Ab euentu finis,Nemo ſibi viuit, vel moritur: ergo ſiue viuamus,ſiue moriamur Domini ſumus: Innocenter viuit, & mundo eſt corde:aſcendet igitur in montem Domini: Mandata ſeruat, igitur de æterna vita cogitat.Et hæc de euentis dixiſſe ſufficiat. Sequitur locus ſubiecti & actuum,quem aliqui ab alijs ſecernunt.

Pſal.23.

Subiectum dicitur id,quod eſt baſis & fundamentum accidentium,& actuum,quo poſito,omnia ponuntur,quæ neceſſario naturam ſequuntur,& quo ſublato,illa tolluntur: Quare argumētari licet a ſubiecto ad accidentia & ad actus naturæ proprios,& contra. Actus ſunt eius quod exiſtit operationes & perpeſſiones, quæ a formis & ab accidentibus oriuntur.

1.Cor.8. A ſubiecto ſic argumentamur, Idolum nihil eſt,vt ait Paulus: igitur non poteſt iudicium,aut auxilium ferre:Scientes itaque,

Bar. quia non ſunt dij,ne ergo timueritis eos:neque enim regibus benedicent,nec maledicent.Chriſtus eſt Deus & homo:duas igitur habet voluntates:Animus humanus eſt immortalis;erit ergo per

Rom.7. petuo beatus,vel miſer : Lex in homine dominatur,quanto tempore viuit;mortuo igitur viro,mulier ſoluta eſt a lege viri:Igitur viuente viro vocabitur adultera,ſi fuerit cum alio viro:Qui ſecū

Rom.8. dum carnem ſunt,quæ carnis ſunt ſapiunt: qui vero ſecundū ſpiritum ſunt,quę ſunt ſpiritus ſentiunt.

Luc.16. Ab actibus,malorum animæ poſt hanc vitam cruciantur in flāma:exiſtunt igitur:Beatæ mentes in cœlo Deum laudant:non igitur vna cum corpore interiere.Ad locum a ſubiecto reuocāt aliqui eum quem Ariſtoteles vocat,ab eſſe & denominari.

De vſu, qui nihil aliud eſt, quam actio & exercitium rei,hoc eſt propria functio,quam ſibi res vendicat; vt gladij vſus eſt ſcindere,creaturarum,gloriam & magnificentiam diuinam oſtendere:abuſus vero contra.Huc pertinet illud,Bona bonis creata ſunt

Eccl.39. ab initio;ſic iniquiſſimis bona & mala,quod illi bene vtantur,hi

Sap.14. male.Vnde alio loco dicitur, Creaturas factas eſſe in muſcipulā inſipientium,quatenus creaturis abutūtur. Hinc pronuntiatum, Cuius vſus bonus,& ipſum bonū,cuius vſus malus,& ipſum malum. Ideo idola ſunt mala, quia eorum vſus malus: vſus imaginū

bonus:igitur ipſæ bonæ. Sed cauendum eſt ne argumentemur ex malo vſu. Quare, licet, qui ſophiſtice loquitur, odibilis ſit, nō propterea ars quæ docet rationem cognoſcendi ſophiſmata erit mala; cum ideo ea doceat, vt caueamus. *Eccl. 37.*

Generatio vniuerſe ſumpta, eſt cuiuſque rei productio: Corruptio vero rei euerſio. Cuius generatio bona, & ipſum bonum: cuius generatio mala, & ipſum malum: At vero cuius corruptio bona, ipſum malum: & cuius mala, ipſum bonum; modo bonum & malum ſecundū ſe ſumantur. Quare, non ſequitur, Chriſti mors fuit nobis bona, quia eam æternus Pater pro noſtra redemptione acceptauit: igitur Chriſtus non fuit bonus: quia cum eſſet innocens, eius mors fuit peſſima. Nam impij dixerunt, Circumueniamus ergo iuſtum: quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris. Nec ſimiliter valet, Mors peccatorum peſſima: igitur ipſi boni, quoniam dicitur peſſima, vt ex ea ſtatus ſequitur peſſimus. *Sap. 2.* *Pſal. 33.*

De loco antecedentium, conſequentium, & adiunctorum. Cap. XII.

DVOS locos hoc capite explanabimus, qui ſunt inter ſe maxime ſimiles. Antecedentium & conſequentium nomine, ea intelliguntur, quæ aliqua neceſſitudine ſunt inter ſe coniuncta: ita vt antecedens ſit id, ex quo aliquid neceſſario infertur; conſequens vero, quod infertur. Eſt autem antecedens duplex: alterum, quod re antecedit, vt floruiſſe, fructus tuliſſe: alterum, quod connexione tantum; vt eſſe iuſtitiam, & eſſe virtutem, hoc enim illud ſequitur. Rurſus, antecedentium & conſequentium, alia recurrunt; vt eſſe hominem, & eſſe riſiuum: nam qui ridet, eſt homo; & qui eſt homo, ridet: alia non recurrunt: vt peperiſſe & concepiſſe; cum conceptus poſſit eſſe ſine partu. Huius loci hæc ſubijcio exempla.

Ab antecedentibus, Chriſtus reſurrexit, qui eſt reſurrectio noſtra: igitur & nos reſurgemus. Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus: Caritate eſt ornatus: igitur patiens eſt, benignus eſt, non quærit quæ ſua ſunt, ſed gloriam Dei habet propoſitam: Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſequutus ſum Eccleſiam Dei: Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij: *1. Cor. 15.* *Rom. 6.* *1. Cor. 13. & 15.*

Sapien-

Oſe. 10. Sapientia carnis non poteſt eſſe ſubiecta Deo: non eſt igitur ſubiecta. Huc referres illud Pauli, quo probat nos eſſe hæredes æternæ vitæ; quia mortuus eſt mediator noui teſtamenti Chriſtus: & illud de tranſlatione legis, quia tranſlatum eſt ſacerdotium.

Rom. 8. Hebr. 9.

Eccl. 11. A conſequentibus, Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, id eſt da eleemoſynam; quia poſt tempora multa inuenies illum. Ecce quam bonum & quam iucundum fratres habitare in vnum, id eſt concorditer viuere, Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo nõ eſtis: vbi ex negatione conſequentis infertur negatio antecedentis. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Huc pertinere videntur omnes octo beatitudines a Chriſto domino numeratæ, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

Pſal. 132. Ioan. 8. 18. Matth. 5.

Adiuncta, ſiue communiter accidentia ſunt ea, quæ ita rem antecedunt, comitantur, aut ſequuntur, vt fere ſemper cum re ſint coniuncta; vt fieri bacchanalia, & contentiones ſuboriri. Complectuntur itaque adiuncta omnia pene rerum & perſonarum attributa; vt ſunt locus, tempus, veſtitus, comitatus, apparatus, colloquia, robur, pallor, & cętera quæ rem magis exprimunt, & actiones meliores, aut deteriores faciunt, factaſque fuiſſe demonſtrãt. Quæ non ſolum ad probandum, ſed ad illuſtrandum & amplificandum plurimum conferunt. Differunt ab antecedentibus & conſequentibus, quod hæc neceſſario cohæreant cum re, adiuncta non item: ex his non neceſſarium, ſed probabile ducitur argumentum.

Ioan. 11. Exempla huius loci ſunt huiuſmodi, Nonne duodecim ſunt horæ diei? vnde probabiliter concluditur Iudæorum iram ceſſare potuiſſe: Si quis ambulauerit in die, non offendit; quia lucem huius mundi videt: ſi autem ambulat in nocte, offendit; quia lux non eſt in eo. Non enim, ſicut vos exiſtimatis, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia: quibus verbis ex adiuncto temporis, probabiliter diſputabat Petrus, ad probãdum diſcipulos non eſſe ebrios.

Act. 2.

1. Reg. 1. Ex hoc loco male Heli ſacerdos concluſit, Annam Samuelis matrem eſſe ebriam; quod dum orabat tantum eius labia mouerentur, & vox penitus non audiretur. Ad horum locorum ordines referunt

ferunt aliqui argumenta a ſignis, quorum aliqua ſunt neceſſaria, aliqua non neceſſaria; illa græce tecmeria, latine argumenta dicuntur; de quibus intelligitur illud quod in Actis Apoſtolicis legitur, Chriſtum in multis argumentis, hoc eſt, ſignis certis & neceſſarijs ſe vere reſurrexiſſe demonſtraſſe: Alia vero ſimpliciter ſigna vocantur, a quibus probabilis, & interdum fallax ducitur argumentum. Ex hoc loco intulerunt Iudęi Chriſtum amaſſe Lazarum, quod ad eius monumentum lacrymas fuderit: Ecce quomodo amabat eum. At vero Melitenſes cum viderunt viperam pendentem de manu Pauli, male inter ſe dicebant, Vtique homicida eſt homo hic: qui cum euaſerit de mari, vltio non ſinit eum viuere. Iidem rurſus, ex eo quod Paulus ex morſu beſtiæ non interijt, conuertentes ſe dicebant, eum eſſe Deum, ſed perperam; niſi dicere volebant, eſſe hominem diuinum Dei gratia munitũ. Nõ ſum medicus (id eſt rex, qui tanto malo mederi poſſit) & in domo mea non eſt panis, nec veſtimentũ, &c. Huc referres omnia ſigna naturalia; vnde petit illud, Facto veſpere, dicitis, ſerenũ erit; rubicundum eſt enim cœlum: Et mane, Hodie tempeſtas; rutilat enim triſte cœlum. Et ne innumera quæ afferri poſſent exempla, ea proſequar, huius loci videtur eſſe illud Micheæ, Nolite credere amico, &c. Quia filius contumeliam facit patri, & quę ſequuntur. *Act. 1.* *Ioan. 11.* *Act. 28.* *Iſa. 3.* *Matt. 16.* *Cap. 7.*

De loco ſimilium & diſſimilium. *Cap.* XIII.

SIMILIA dicuntur quæ in aliqua qualitate & affectione abſolute conferuntur; nulla habita quantitatis, aut menſuræ ratione: vel, ſimilia ſunt quæ eandẽ participant formam, eandemque inter ſe proportionem habent: Vnde facile intelligitur, quæ ſint diſſimilia. Eſt itaque homo homini ſimilis; iuſtus iuſto, dux aurigæ, iuſtus in ærũnis cõſtitutus, auro in fornace poſito: vt tutor fidem præſtare debet, ita is cui mandaueris. Hic locus frequentiſſimus eſt in ſacra pagina, quo ita eleganter, & appoſite diuini ſcriptores vtuntur, vt nulli alij magis. Ex innumeris exemplis pauca ſubijciam.

Ex hoc loco reſurrectionem perſuadet Apoſtolus; Sed dicet aliquis, Quomodo reſurgent mortui? quali autem corpore veniẽt. Inſipiens, tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur, & quæ apud ipſum ſequuntur: Non eſt bona gloriatio veſtra, Ne ſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Ex- *1. Cor. 15.* *Lege Damaſce. lib. de reſur.* *1. Cor. 5.*

2.Cor.5. purgate igitur vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicuti
eſtis azimi. Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo,
Ioan.15. niſi manſerit in vite,ſic nec vos niſi in me manſeritis. Nam;ſicut
in cucumerario formido nihil cuſtodiens:ita ſunt dij illorum li-
gnei,& argentei & inaurati.Eodé modo & in horto ſpina alba,
Cap.6. ſupra quam omnis auis ſedet; Ex qua ſimilitudine Baruch infert
deos Gentium non eſſe timendos.Qui narrat verbum non audié
Eccl.22. ti,quaſi qui excitat dormientem de graui ſomno.

Iudith 8. A diſſimilibus,Non quaſi homo,ſic Deus comminabitur. Nõ
1.Reg.16. reſpicias vultum eius,neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam
abieci eum:nec iuxta intuitum hominis ego iudico: Lapides ex-
cauant aquæ,& alluuione paulatim terra conſumitur; & ho-
Iob 10. mines ſimiliter perdes.Nunquid,aiebat Iob,ego mare ſum,aut ce
Cap.7. tus,quia circumdediſti me carcere?Et Goliath ad Dauidem, Nũ-
1.Reg.17. quid ego canis ſum,quod tu venis ad me cum baculo? Atque hu-
iuſmodi alia innumera in diuinis literis notares exempla. Hoc
loco illud admonuerim, ſæpe contingere poſſe, vt vnum & idem
argumentum ad diuerſos locos reuocari queat, quod in tota hac
tractatione,memoria tenendum eſt.

De loco comparationis, minorum, maiorum, & parium.
Ca. XIIII.

COMPARATIONIS locus eſt,cum maiora ex minori
bus,vel minora ex maioribus, vel paria ex paribus
colliguntur.Maius id dicitur,quod eſt magis credi-
bile;minus,quod minori fide eſt dignum; par vero,
quod æqualem habet aſſenſionis rationem. Hic lo-
cus frequentiſſime occurrit in diuinis oraculis, cuius hæc ſubij-
cio exempla.

Ioan.10. A minori,Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra,quia, Ego dixi,
dij eſtis?Si illos dixit Deos,ad quos ſermo Dei factus eſt,& nõ po
teſt ſolui ſcriptura:qué Pater ſanctificauit, & miſit in mundum,
vos dicitis,quia blaſphemas,quia dixi,Filius Dei ſum? Si ergo
Matth.6. vos cum ſitis mali,noſtis bona data dare filijs veſtris: quanto ma-
1.Cor.6. gis pater veſter qui in cœlis eſt,dabit bona petentibus ſe?Neſci-
tis quoniam angelos iudicabimus?quanto magis ſecularia? Si n
Hebr.9. enim ſanguis hircorum & taurorum & cinis vitulinæ aſperſus
inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis: quanto magis
ſanguis Chriſti?vbi fit comparatio inter ſanguinem hircorum &
Chriſti,

Chriſti,& inter emundare carnem,& conſcientiam.

A maiori, Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte, nec tibi parcat. Ecce, hæc ex parte dicta ſunt viarum eius: & cum vix paruã ſcintillam ſermonis eius audiuerimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? *Rom. 11.* *Iob 26.*

A paribus, quæ in eo differunt a ſimilibus, quod in paribus ſimilis exiſtentia quæritur; in ſimilibus vero ſimilis ratio, Quia vos non populus meus;& ego non ero veſter Deus. Sed hoc ad relata reuocari poſſet. Eſtote ſicut ego; quia & ego ſicut vos. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir, ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Reuertimini ad me; & ego reuertar ad vos: Si bona ſuſcepimus de manu Dei; mala quare nõ ſuſcipiamus? Ecce,& me, ſicut & te fecit Deus. Si offeratis cęcum ad immolandum, nõne malum eſt? offer illud duci tuo, ſi placuerit ei; aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Dimittite,& dimittemini: date,& dabitur uobis. *Mich. 3.* *Galat. 4.* *1. Cor. 7.* *Iob 2.33.* *Malac. 1.* *Luc. 6.*

A diſparibus, Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem viuet in æternum. Non omnis caro eadem caro: ſed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piſcium. Et corpora cœleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidem cœleſtium gloria, alia autem terreſtrium. Alia claritas ſolis, alia lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim differt a ſtella in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. *1. Cor. 15.*

Ad hunc locum reuocantur argumenta ducta ab exemplis, quæ ſunt, vel maiora vel minora, vel paria, quorum plenæ ſunt diuinæ literæ; & integri facti ſunt libri exemplorum ex ſacra pagina collectorum. Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, aiebat Paulus, ad ædificationem: Etenim Chriſtus non ſibi placuit. Qui ergo voluerit ex hoc loco argumentari, eos legat auctores, qui ex ſacro codice exempla collegerunt. Pulcherrimũ habes exemplum ab imparibus ſumptum apud Ieremiam, vbi ait, Tranſite in inſulas Cethim, & videte,& quæ ibi ſequuntur. *M. Marul.* *Rom 15.* *Pſ. 21. 77. & 80.* *Cap. 2.*

De loco oppoſitorum ſeu diſſentaneorum. Cap. X V.

DISSENTANEA ea voco,quę ita inter ſe opponuntur, vt vnum non poſſit eſſe aliud, quorum hæc numerantur genera;Contraria, Priuantia,Contradicentia,& Repugnantia.

Contraria,ſeu aduerſa ſunt ea,quæ inter ſe maxime diſtant & pugnant;vt calidum & frigidum,virtus & vitium: quorum contrariæ ſunt cauſſæ,& attributa:Ex quo genere hæc ſumpta ſunt argumenta, Mutuatur peccator & non ſoluet:iuſtus autem miſeretur & retribuet: Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet:Iuſtitia immortalis:iniuſtitia igitur mortalis:Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens,&c. via impiorum tenebroſa:Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem: Vos de deorſum eſtis,ego de ſupernis ſum.

Pſ.36.144. *Sap.1.* *Prou.4.* *Galat.5.* *Ioan.8.*

Priuantia ſunt,quorũ vnum dicit habitum,alterum habitus remotionem;vt mors & vita, lux & tenebræ, aſpectus & cæcitas. Huius loci hæc ſunt exempla, Si lucis eſtis:igitur nõ tenebrarũ, Lux gratiæ eſt amabilis:ergo peccati tenebrę odioſæ.Qui dicunt conflatili,Vos dij noſtri:ſurdi audite,& cęci intuemini ad videndum. Quis cœcus niſi ſeruus meus,&c,Ego ſum lux mundi,qui ſequitur me,non ambulat in tenebris,ſed habebit lumen vitæ. Si quis ambulauerit in die,non offendit; quia lucem huius mundi videt: Si autem ambulauerit in nocte,offendit,quia lux non eſt in eo. Nunquid non tenebræ dies Domini,& non lux:& caligo & non ſplendor in ea. Qui enim mortui ſumus peccato,quomodo adhuc viuemus in illo?

Iſa.42. *Ioan.11.* *Amos 5.* *Rom.6.*

Relata,ſeu relatiua, & collata,ſunt quę ad aliud referuntur,& cum alio reciprocantur,ſimulq; cum eo ſunt,& pereunt;vt creator & creatura,pater & filius, magiſter & diſcipulus. Huius loci hæc ſunt exempla,Iudicate matrem veſtram, iudicate: quoniam ipſa non vxor mea,& ego non vir eius:Si autem mortuus fuerit vir eius,libera eſt a lege viri:& eritis mihi in populum,& ego ero vobis in Deum:Filius honorat patrem,& ſeruus dominum:ſi ergo pater ego ſum,vbi eſt honor meus?& ſi Dominus ego ſum,vbi eſt timor meus?

Oſe.2. *Rom.7.* *Ezech.36.* *Malac.2.*

Contradicentia,ſunt ea quorum alterum negat,alterum affirmat;vt ſedet,non ſedet:Eſt hoc,non eſt illud;ſapere, non ſapere. Huius loci hæc eſſe videntur,Chriſtus diligit, eos qui præcepta

eius

eius ſeruant,qui non ſeruant,non diligit. Qui ex Deo ſunt,verba Dei audiunt:ergo qui non ſunt,non audiunt.Si audierint & obſeruauerint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria:ſi autem non audierint, tranſibunt per gladium, & conſumentur ſtultitia. *Iob 36.*

Repugnantia, contrariorum ſunt conſequentia, hoc eſt, quæ ex contrarijs inferuntur:vel ſunt ea,quæ nec certa lege,neque ordine inter ſe differunt:qua ratione a contrarijs & diſſimilibus diſcernuntur:vt ſunt,amare,& inſectari:vigilare,& ſtertere: odiſſe, & laudare.Tu es magiſter in Iſrael,& hæc ignoras?ni velis referre ad priuantia.Si tu cum Iudæus ſis,gentiliter viuis, & non iudaice:quomodo gentes cogis Iudaizare? Quomodo tu Iudæus cum ſis,bibere a me petis,quæ ſum mulier Samaritana?Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur,iam non ſecundum caritatem ambulas.Et tu dicis mihi domine Deus, Eme agrum argēto,& adhibe teſtes;cum vrbs data ſit in manus Chaldæorū? Deus non fecit mortem;quia creauit res vt eſſent. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?Qui dicit ſe diligere Deū, & fratrem ſuum odit,mendax eſt. *Ioan. 3.* *Galat. 2.* *Rom. 14.* *Ierem. 32.* *Pſal. 136.* *1. Ioan. 1.*

De loco tranſlationis, ſiue tranſumptionis, proportionis, auctoritatis, coniugatorum, caſuum, comparatorum, & appoſitionis. Cap. XVI.

TRANSLATIO, ſeu tranſumptio eſt,cum loco nominis ignoti,aliud notius idem ſignificans ſumimus; vt quod de notiore probamus, etiam de ignotiore concludamus:vel,cum ex eo quod conceditur,tranſimus ad probandum id, quod cum illo ſimilitudinem habet;Vt ſi quis concederet,circumciſionem magnam vim habuiſſe,idem de baptiſmo alius probaret:& ſi Iudæus concederet proximum eſſe diligendum, idem ei probares de quouis homine,etiam inimico. Vel tranſlatio eſt,cum per metaphoram aliquid concluditur:vt,leo fugiens eſt fugiendus:igitur & dæmon: Pater familias eſt amandus:quare & Deus. *Cæſarin.* *1. Pet. 5.*

Proportio eſt,cum duarum ſimilium rationum fundamenta, & earum termini inter ſe permiſcentur;vt ſicut ſe habent duo ad quattuor,ita quattuor ad octo : Vt ſe habent ancillæ ad ſuas dominas;ita nos habere debemus ad Deum: Sed illæ ad earum manus ſemper reſpiciunt,vt earum iuſſa faciant,vel vt aliquid mune *Pſal. 121.*

ris ab eis accipiant;ita nos perpetuo Dei voluntatem exequi, vel
omnia auxilia ab eo expectare debemus.

Auctoritas eſt, quæ ſola teſtimonij vi fidem & aſſenſum præ-
ſtat:qui locus præcipuus eſt in Chriſtiana religione, & in diuinis
literis ſæpe occurrit. Hoc loco totam epiſtolam ad Hebræos mu-
niuit Paulus,& eam quæ eſt ad Romanos,& alias ſæpiſſime. Et
Pſal. 109. Chriſtus, Meſſiæ diuinitatem Dauidis teſtimonio comprobauit,
quod aliquando eum, Dominum appellauerit.

Coniugata ſunt quæ habent ſe vt concretũ & abſtractum,ſeu
vt adiectiuum & ſubſtantiuum;vt,bonum bonitas, ſanctus ſan-
Pſal. 118. ctitas . Ex hoc loco petita ſunt hæc ; Bonus es tu,& in bonitate
tua,doce me iuſtificationes tuas : Deo odio eſt impius, & im-
pietas eius:Ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt.

Caſus vero,qui parum differunt a cõiugatis(ni ſunt idem)ſunt
plura denominatiua ab eadem forma deflexa;vt,iuſtitia,iuſtus;iu
Sap. 12. ſte;vt,Cum ergo ſis iuſtus, iuſte omnia diſponis: Nunquid ſapiẽs
Iob 15. reſpondebit quaſi in ventum loquens?id eſt,inſipienter:Argentũ
Ierem. 6. reprobũ vocate eos, quia Dominus proiecit illos: Primus homo
1. Cor. 15. de terra terrenus,ſecundus homo de cœlo cœleſtis: ſicut portaui-
mus imaginem terreni,portemus imaginem cęleſtis. Huc reuoca
res Alluſionem,de qua duo habes exempla apud Danielem cap.
13.de ſchino & ſciudere,& de prino & ſecare.

A comparatiuo ad poſitiuum argumentamur probando,quan
do abſoluta eſt comparatio: a poſitiuo confutando ; vt,Chriſtus
Heb. 1. fuit melior Angelis:bonus igitur : Impietas non eſt bona, igitur
non eſt melior,quam bonum mulieris opus. Quo fit,vt locus ille,
Ecci. 42. Melior eſt iniquitas viri,quam mulier benefaciens,intelligendus
ſit de comparatione relata,qua minus malum,dicitur melius .

Ariſt. lib. 1. poſt. Appoſitionis,ſiue adiectionis locus,explicatur hoc axiomate,
Id propter quod aliquid eſt tale,eſt magis tale,quando poteſt eſ-
ſe tale;vt,ſi aqua eſt calida propter ignem , ſequitur ignem eſſe
magis calidum:Amo inimicum propter Deum : ergo multo ma-
Sap. 13. gis Deum. Quorũ ſi ſpecie delectati deos putauerunt;ſciant quã
to his dominator eorũ ſpecioſior eſt:ſpeciei.n.generator hęc om-
Pſal. 93. nia conſtituit. Qui plantauit aurem non audiet ? aut qui finxit o-
culum non conſiderat ? Nunquid ego qui alios parere facio,ipſe
Iſai. 49. non pariam?dicit Dominus; & ego qui generationem cęteris tri-
buo ſterilis ero?

De lo-

De loco diuiſionis, partitionis, & enumerationis.
Cap. XVII.

MAGNAM hic locus cum loco totius affinitatem habet; cum eoſdem fere argumentandi modos præbeat, a diuiſo ad membra, & contra: & a membris inter ſe collatis, vt libro de Inuentione late expoſuimus: verum, non ſine vtilitate & ratione ſeorſim explicari ſolet.

Diuiſio proprie eſt alicuius generis, vel communioris in ſuas ſpecies, & inferiora diſtributio; vt ſi virtutem in quattuor primas partes diſtribuas, & ſacramentum in ſeptem ſpecies.

Partitio vero, cum res quanta in ſuas partes ſecatur; ita vt partitio ſit totius integri continui, aut diſcreti; vt domus, alia pars fundamentum, alia parietes, alia tectum: Fit etiam in partes ſubſtantiæ; vt ſacramenti, alia pars materia, ut ablutio in baptiſmo, alia forma; ut in eodem ſacramento uerba: Penitentiæ, alia pars contritio, alia confeſſio, alia ſatisfactio.

Enumeratio uero eſt, cum multa quæ vni rei inſunt perceſentur; vt ſi multa Dei attributa numerares. Diuiſio fieri ſolet, vel per negationem; vt, lex vetus, aut eſt bona, aut non eſt bona: vel per membra contraria, quæ nihil habent intermedium; vt, aut eſt iuſtus, aut impius: vel per membra quæ ſimul eſſe non poſſunt; vt, aut ſtat, aut ſedet. *Boeth.*

A diuiſione hæc petita eſſe videntur argumenta, Non eſt ab alio ſalus: a Chriſto igitur. Nec enim aliud eſt nomen ſub celo datum hominib. in quo oporteat nos ſaluos fieri. Vbi eſt ergo gloriatio tua? excluſa eſt: per quam legem? Factorum? non, ſed per legem fidei: Reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam. Quomodo reputata eſt, in circuncisione, an in preputio? non in circunciſione, ſed in præputio: non igitur ex operibus legis iuſtitia. Si reges terræ accipiunt tributum, vel cenſum, a filijs ſuis, an ab alienis? non a filijs; igitur Chriſtus liber. Qui utilis eſt eccleſię, aut loquitur in reuelatione, aut in ſciētia, aut in prophetia, aut in doctrina: at qui linguis loquitur, nihil horum præſtat: igitur. *Act. 4.* *Rom. 3. & 4* *Matth. 17* *1. Cor. 14.*

A partitione ſumitur illa probatio, qua ſponſus ſponſæ pulchritudinem demonſtrat, omnes percurrendo partes. Quam pulchri greſſus tui in calceamentis: Iuncturæ fœminum tuorum ſicut monilia: umbilicus tuus crater tornatilis: uenter tuus ſicut aceruus tritici: duo ubera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ: *Cant. 7.*

collum tuum ſicut turris eburnea: Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon: Naſus tuus ſicut turris libani: Caput tuum, ut carmelus: Et comæ capitis tui ſicut purpura Regis iuncta canalibus. Vnde optime infertur, quam pulchra es, et quam decora cariſſima in delitijs? Ab enumeratione, ſumitur hæc ornatiſſima apud Pau-
Rom. 8. lum probatio, Sed in his omnibus ſuperamus. Certus ſum enim, quia neque mors, neque uita, neque Angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Huc referres illam eiuſdem Pauli probationem, qua demõſtrabat ſe non eſſe reum eorum criminum, quæ ſibi a Iudæis obijciebantur, quæ ita habet, Paulo ratione reddente, quoniam neq;
Act. 25. in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæſarem quicquam peccaui. Atq; de locis artificioſis, qui ex ipſis rebus ſumuntur, hæc dixiſſe ſufficiat; ad inartificioſos pergamus.

De locis inartificioſis. *Cap. XVIII.*

QVOD attinet ad locos qui arte carere dicuntur, ſola eorum numeratione contentus ero; cum, & faciles ſint, & rarius occurrere ſoleant. Sunt autem iſti.

Præiudicia, rumores, ſeu fama, tormenta, tabulæ, iuſiurandũ, & teſtes.

Præiudicia ſunt ſententiæ, ſiue decreta in eodem, vel in alio iudicio facta; ex quibus ad aliquid probandum in eadem, vel in ſimili cauſſa argumentum ſumitur: vnde ex hoc Pilati præiudicio,
Ioan. 19. Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoſcatis, quia nullam inuenio in eo cauſſam, probares eam fuiſſe iniuſtiſſimam ſẽtẽtiam, qua innocentem Iudæis crucifigendum tradidit: Et ex eo quod
Act. 25.26. Paulus ad Cæſarem appellauerat, & ei cõceſſa fuerat appellatio, eum non amplius dimitti potuiſſe.

Tormenta ſunt ſupplicia, quibus extorquetur a reo veritas: quæ & quæſtiones appellantur.

Tabulæ, ſunt teſtamenta, epiſtolæ, chirographa, codices accepti & expenſi, ex quibus aliqua fit fides: quo genere, Tobias filius exegit pecunias a Gabelo.

Iuſiurandum eſt affirmatio religioſa: ex quo loco non raro in ſacris literis ducitur argumentum. Sicut iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis. Iurauit Dominus & non pœnitebit

nitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum: Amen, amen dico vobis, *Pſal. 109.*
qui a non præteribit generatio hæc donec omnia fiant. *Luc. 2.*
Teſtimonium, quo ad fidem faciendam vtimur, aliorum afferendo rei de qua agitur notitiam. Si ergo teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum. Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me: & ſcio quia verũ eſt teſtimonium eius, quod perhibet de me. Vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati: Ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne. Ecce enim aiebat Iobus, in cęlo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. *Luc. 21.* *Ioan. 5.* *Iob 16.*

De locis comparatarum quæſtionum. Cap. XIX.

SVPRA, inuentionis materiam explicantes, dicebamus, quæſtionum alias eſſe abſolutas, alias comparatas, quæ alijs atque alijs demonſtrantur locis. Expoſitis itaque omnibus locis quibus in quæſtione abſoluta vti ſolemus; aliquid adijciam de ijs, qui ad quæſtionem comparatam explicandam conferunt: quamuis rari ſunt, qui de Inuentione ſcribentes, de hac inuentionis parte aliquid dicant. Ne igitur hæc doctrina manca videatur, eam, leuiter tamen, attingam: neque enim volo in præſentia huius ordinis locos, ſiue axiomata latius exponere, cum non tirones informem, ſed ijs ſcribam, qui ſunt in ſcientijs verſati. Quare, ſolum quædam afferemus exempla, vt ſacrarum ſcripturarum ſtudioſis occaſionem demus obſeruandi horum locorum & harum quæſtionum genera: qui plura cognoſcere volet, ea leget, quæ libro de Inuentione quarto ſcripſimus.

Cum itaque duabus rebus propoſitis, quæritur, vtra ſit melior, honeſtior, delectabilior, diuturnior, pulchrior, ſecurior, & ſic de alijs attributionibus, quæſtio comparationis dicitur. Quæ, etſi vt plurimum de meliore bono fieri ſolet; tamen in alijs quoque qualitatibus fieri poteſt; vt in ſubiectis patebit exẽplis. Et vt quę allaturus ſum exempla facilius percipiantur, aliquot prius axiomata ſubijciam, a quibus comparatę quæſtiones pendent; ſunt autem hæc.

Quod plura ſecum bona affert, eſt magis optandum: quod minora ſecum mala affert, magis eligendum: Diuturniora bona breuioribus præferenda: Bonum quod latius patet, magis retinendum: Bonum quod propter ſe expetitur melius eſt, quã quod

expetitur propter aliud:Meliora ſunt quæ a pluribus & melioribus expetuntur.His igitur & alijs id genus pluribus axiomatis,ſiue communibus locis,comparatæ nituntur quæſtiones, quos lib. citato numeratos & explicatos habes.

Quæſtionum huius ordinis exempla ex diuinis literis petita ſunt huiuſmodi.

Melius eſt viuere ſine vxore,quam cum vxore,quod qui ſine vxore viuit,minoribus afficiatur curis, & vitam viuat perfectiorem:quam quæſtionem aliquando tractauit Paulus,eamque cõcludẽdo dixit,Igitur, & qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit:& qui non iungit melius facit.Idem Paulus in Epiſtola ad Hebræos probat nouũ ſacerdotium præſtare Leuiticõ, quod nouum ſit diuturnius,nimirum æternum. Idem eodẽ in loco probat Chriſtum dignitate præſtare Angelis,cum ait,Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.Cui enim dixit aliquando Angelorum,Filius meus es tu,ego hodie genui te? Siquidem melius eſt, quod eſt præſtantiori propinquius,aut idem.Alibi probat caritatem omnibus alijs virtutibus præſtantiorem eſſe,quod non excidat, quod ſeipſa contenta ſit:vnde iure optimo concludit,Nunc autem manent, fides,ſpes, caritas,tria hæc:maior autem horum caritas. Alio loco probat melius eſſe prophetare,quam linguis loqui;quod ex illo maior oriatur vtilitas.Melius eſt enim,aiebat Iudith fœmina ſapientiſſima,vt captiui benedicamus Dominum viuẽtes,quam moriamur, & ſimus opprobrium omni carni;Et Samuel,Melior eſt obedientia,quam victimæ:& auſcultare,magis,quam offerre adipem arietum:quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare,& quaſi ſcelus idololatriæ,nolle acquieſcere. Itaq; aiebat Baruch,melius eſt eſſe regem oſtentantem virtutem ſuam,aut vas in domo vtile, in quo gloriatur,qui poſſidet illud:vel oſtium in domo,quod cuſtodit, quæ in pace ſunt, quam falſi dij: lege locum illuſtrem: vbi egregie demonſtratur nihil eſſe idolis inutilius.Et paullo infra, Beſtiæ meliores ſunt illis,quæ poſſunt fugere ſub tectum,ac prodeſſe ſibi. Et in fine alia eiuſdem generis concluditur quæſtio, Melior eſt homo iuſtus,qui non habet ſimulacra: nam erit longe ab opprobrijs. Et apud Ieremiam, Et melius fuit occiſis gladio, quam interfectis fame:quoniam iſti extabuerũt conſumpti à ſterilitate terræ. Nonnulla alia exempla ex diuinis oraculis ſumpta,citato loco videre licet; quo etiam pertinet illa noſtri Recuperatoris ſententia,qua dicere ſolebat, Beatius eſt magis dare, quam

Margin notes: 1.Cor.7. — Baſil. epiſt. ad Greg. — Cap.7. — Cap.1. — Pſal.2. — 1.Cor.13. — 1.Cor.14. — Cap.7. — Cap.6. — Thren.4.

quam accipere: cum id cenſeatur melius, quod maiorem vim eſſiciendi habet.

De quibuſdam locis diuino Concionatori proprijs. Cap. X.

DE locorum diuiſione agentes, quoſdam locos diuino Oratori proprios nos indicaturos eſſe polliciti ſumus, id quod nunc breuiter præſtabimus: quorũ qui abſolutam tractationem & explicationem voluerit, quintum legat Introductionis noſtræ in ſacram Theologiam librum.

Vnum habet diuinus præco maxime ſibi proprium locum, vt ſupra ſcripſimus, qui Auctoritas nominatur, & præſertim ſi ſit diuina; qua potiſſimum tota Chriſtiana religio, & ſacra Theologia nititur: quæ tñ nec auctoritatem; nec rõnem reijcit humanã. Vnde decem numerantur loci Theologici, Auctoritas diuinæ legis, Apoſtolica traditio, Vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus, Pontificum Romanorum auctoritas, Conciliorum vniuerſalium decreta, Antiquorum patrum communis opinio, Doctorum ſcholaſticorum ſententia, Humana ratio, Philoſophorum, hoc eſt ſapientium hominum auctoritas, & Hiſtoriæ, præſertim eccleſiaſticę, teſtimonium. Quæ ſit horum locorum natura, quæ vis, qui modus argumentandi, nolo in præſentia latius exponere, ſed citatus legatur liber, vbi perſpicue, & breuiter omnia traduntur: hic recẽſitos locos vno vel altero exemplo explicabo. *Melch. Ca.*

Primus itaque locus, eſt diuina ſcriptura, vnde argumenta ducuntur, vel ex ſenſu grammatico, quem literalem vocant; vt ſi ita argumenteris, Deus creauit cœlum & terram: non igitur mũdus eſt æternus: vel ex ſenſu ſpirituali & myſtico, cuius variæ ſunt ſpecies, quo modo argumentatus eſt ille, qui probauit Chriſti in cruce pendentis crura non eſſe frangenda; quia de agno paſcali ſtatutum erat, Os non comminuetis ex eo: & ille qui probauit miniſtris euangelij non eſſe neganda, quę ad vitam tuendam ſunt neceſſaria, quia pręceptum fuit, Non alligabis os boui trituranti. *Gen. 1.* *Ioan. 19.* *Exod. 12.* *1. Cor. 9.*

Secundus locus eſt a traditione apoſtolica, ſiue a verbo diuino non ſcripto; quo loco vſus eſt Paulus, cum ad probandum mulieres capite velato orare debere, dixit, Nos aliam conſuetudinem non habemus. Indignum namque erat, vt tota legis ſpiritualis doctri- *1. Cor. 11.* *Hieron.*

2.Cor.3. doctrina mortuis committeretur literis.

Tertius, auctoritas totius Eccleſiæ, conſenſus nimirum omnium fidelium, quos Chriſtus non reliquit orphanos: ex quo loco probares quorundam ſanctorum venerationem, quos pro beatis communis fidelium conſenſus ſemper habuit.

Quartus, Romani Pontificis auctoritas, qui cum ſit legitimus Petri ſucceſſor & Chriſti vicarius, in decretis ad fidem & mores pertinentibus errare nó poteſt; cum Petro dictum ſit, Rogaui pro

Luc.22. te Petre, vt nón deficiat fides tua; & ſine grauiſſimo conſilio decernere nihil ſoleat, vt Gregorius ait.

Quinctus, concilij vniuerſalis auctoritas, cum Chriſtus in me

Matth.18. dio duorum vel trium in nomine ſuo congregatorum ſe futurũ eſſe pollicitus fuerit. Ex quo loco probares, ſolam fidem non fa-

Conc. Trid. cere hominem iuſtum: peccata per confeſſionis ſacramentum vere remitti, &c.

Sextus, ſanctorum Patrum auctoritas, de quibus prædictum

Ierem.3. fuit, Dabo vobis paſtores iuxta cor meum: & paſcent vos ſcientia & doctrina.

Septimus, doctorum qui ſcholaſtici vocantur communis conſenſus: qui nunc ſunt Eccleſię doctores: quorum doctrina, in dogmatibus ſtatuendis, vniuerſalia vtuntur Concilia.

Octauus, humana ratio, qua non modo eccleſiæ magiſtri, ſed etiam diuinæ literæ vtuntur: vt patet ex locis ſuperius explicatis.

Nonus, Philoſophorum auctoritas, qua & ſancti patres, & di-

1.Cor.15. uini ſcriptores vſi ſunt, & ſpeciatim Paulus, qui ex Menandro, E-

Tit.1. pimenide, & Arato aliquando teſtimonia ſumpſit: a quibus tan-

Pacian. quam ab iniuſtis poſſeſſoribus veritas, quæ eſt diuini ſpiritus pro

Iuſtin. Clem.Alex. prius effectus, repetenda eſt: cum pręſertim illi a noſtris, tanquam fures, multa acceperint.

Decimus, hiſtoriographorũ teſtimonium, quo loco probares contra quorundam ſtultitiam, Petrum fuiſſe Romæ, certa concilia certis in locis & temporibus celebrata fuiſſe, & id genus alia multa.

Denique, vt hoc caput concludam, ſunt nõnulli alij loci, quos Chriſtianus Orator obſeruare in diuinis oraculis poterit: qui ab attributis, actibuſque Dei ſumuntur; vt a priuata Dei prouiden-

Pſal.147. tia & fauore, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non

Matth.6. manifeſtauit eis. Scit enim pater veſter, quia his omnibus indige-

Pſal.146. tis: Qui dat eſcam pecoribus ſuis, & pullis coruorum inuocantibus eum.

bus eum. Ab æterna prædeſtinatione, electione, & reprobatione, Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat: Iacob funiculus hæreditatis eius. A diuina promiſſione, quo loco non raro vtitur Dauid, Suſtinuit anima mea in verbo eius: Viuifica me ſecundũ verbum tuum. A Dei ſapientia, ſed vt non eſſent vacua ſapientię tuę opera, &c. A potentia, voluntati eius quis reſiſtet? A prædictione diuina, Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui a ſæculo ſunt prophetarum eius. Atque ſimiliter ab alijs attributis actibuſque diuinis ſæpe in ſacro codice argumenta ſumi quiſque facile obſeruaret.

Rom. 9.

Sap. 14.

De decem argumentorum capitibus. *Cap. XXI.*

Vt adhuc faciliorem ad locos obſeruandos oſtendam viam, quibuſdam exemplis quo pacto omnis argumentandi ratio ad decem categorias, quæ prædicamenta vocantur, reuocari poſſit, demonſtrare conabor. Etenim, cum in eis omnes omnium rerum naturæ, partes, cauſſæ, proprietates, attributaque contineantur, profecto inde omnia argumenta ducere, eodemq; reuocare licebit. Suppoſita itaque ſingularum categoriarum notitia, quam libro de Inuentione primo tradidimus: ſolum quibuſdam exemplis quod propoſitum eſt declarabimus.

A ſubſtantia, ſeu rei natura petitum eſt hoc apud Iſaiam argumentum, Ægyptus, homo, & non Deus: equi eius caro, & non ſpiritus: & hoc apud Dauidem, Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Quis tu, vt timeas ab homine mortali, & a filio hominis, qui quaſi fœnum, ita areſcet? Surge, & ego ipſe homo ſum, dixit Petrus Cornelio eum adorare volenti.

Cap. 31.

Pſal. 8.

Iſai. 51.

Act. 10.

A quantitate, ſiue quanto, multo & pauco, magno & paruo, vel ab eo quod ſatis eſt, & a mediocritate. Quantus ego ſum, aiebat Iob, vt reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo. Plures enim ſunt nobiſcum, quam cum illis: Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma: igitur ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus: Auferatur ira tua a nobis; quia derelicti ſumus pauci inter gentes: Multum enim valere tibi ſoli ſuperat ſemper: & virtuti brachij tui quis reſiſtet?

Cap. 9.

4 Reg. 6.

Iſa. 45.

Bar. 2.

Sap. 11.

A relatione, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui miſit illum: Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique

Ioan. 5. & 8.

me: ego enim ex Deo proceſſi, & veni. Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan et Patrem meum ſciretis.

Sap. 9. Pſal. 37. 1. Reg. 24. A qualitate, qua res bene, vel male afficiuntur: Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ: Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, &c. Quem perſequeris rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum.

Pſal. 2. Ab actione ſiue actibus; Ipſe fecit nos, & non ipſi nos: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Pſal. 37. Heb. 2. 4. 5. A paſſione, Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, aiebat Dauid. Et Paulus de Chriſto loquens, In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt, & eis qui tentantur auxiliari: didicit enim ex ijs quæ paſſus eſt.

Act. 17. Phil. 4. A loco, Quamuis non longe ſit ab vnoquoque noſtrum. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus; Dominus enim prope eſt.

Cant. 2. A tempore, ſurge propera, &c. Iam enim hyems tranſijt, imber abijt, &c. Et hoc ſcientes tempus, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: Nunc enim propior eſt, &c. Mitte falcem; quoniam maturuit meſſis.

Ioel 3. Iſai. 3. A poſitione, eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant: ambulbant, & pedibus ſuis copoſito gradu incedebant.

Cant. 5. Iſai. 3. Ab habitu, expoliaui me tunica mea, quomodo induar illam? Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Apprehendet enim vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui, & dicet, Veſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter, & quæ ſequuntur.

De locis circunſtantiarum. *Cap.* XXII.

QVONIAM non defuerunt qui omnem argumentorum varietatem ad circunſtantias reuocari poſſe exiſtimarunt; hanc etiam locorum cognoſcendorum viam paucis indicabimus: Ad quod faciendum id etiam nos commouet, quod maximus ſit in arte dicendi, non ſolum ad probandum, ſed etiam ad amplificandum circunſtantiarum vſus: quæ & lumen rebus, & formam tribuunt. *Hermog.*

Eſt autem Circunſtantia nihil aliud, quam rei accidens: ad quam ita ſe habet, vt veſtis ad corpus. Non ſunt itaque circunſtantiæ res ipſæ, vt perſona, locus, tempus, ſed aliquid his adiunctum; vt, perſona ſacra, locus frequens, tempus importunum, & ſic de alijs. Circunſtantiæ, vt quibuſdam placet, ſunt numero octo, quæ hoc continentur carmine:

Quis, quid, vbi, per quæ, quoties, cur, quomodo, quando.

Quis, deſignat attributum, ſeu adiunctum perſonæ, ſiue rei agentis; vt, Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt. Abominati ſunt me quondam conſiliarij mei; & quem maxime diligebam auerſatus eſt me. Num parum videtur vobis generum eſſe Regis? ego autem ſum vir pauper & tenuis. Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar partes ponere cum canibus gregis mei. *Pſal. 37.* *Iob 19.* *1. Reg. 18.* *Iob 30.*

Quid, rei actæ circunſtantiam demonſtrat; vt, Aquam petenti lac dedit: & in phiala principum obtulit butyrum. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerũt. Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iſte. Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. *Mich. 3.* *Act. 26.* *Pſal. 2.*

Vbi, deſignat locum: In loco paſcuæ, id eſt herboſo, ibi me collocauit: Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ, id eſt ſuper vias planas & æquas, minime ſalebroſas: In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi. Solue calciamenta tua de pedib. tuis: Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. *Pſal. 22* *Exod. 3.*

Per quæ, deſignat quibus auxilijs, qua facultate & quibus inſtrumentis res facta ſit; vt, Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, id eſt aggredere, o Meſſias, prouinciam hanc redemptionis humani generis: quoniam dabo tibi Apoſtolos auxiliarios, *Pſal. 109.*

qui

qui erunt tibi veluti virga ad regnum tuum propagandum. Qui communicat cum ſuperbo, induet ſuperbi am; qui graditur cum ſapientibus, ſapiens erit: Auxilio autem adiutus Dei, vſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque maiori, &c.

Act. 26.

Iob 19. Quoties, numeri & quantitatis circunſtantiam deſignat. Ecce decies confundiſtis me, & non erubeſcitis opprimentes me. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum, &c. Huc referres quot, & quantum: Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum: Totam noctem laborauimus, & nihil cepimus.

Mat. 23.

Tob. 8. Cur, cauſſam finalem demonſtrat; vt, & nunc Domine tu ſcis quia non luxuriæ cauſſa accipio vxorem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.

Quomodo, circunſtantiam modi, Latere enim eum nihil horum arbitror: Neque enim in angulo quicquam horum geſtum eſt: Non tantum te, ſed etiam omnes qui audiunt hodie fieri tales, qualis ego ſum, exceptis vinculis his, aiebat Agrippæ Paulus.

Act. 26.

Quando, temporis adiunctum ſignificat; Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo. Atque has omnes fere circunſtantias obſeruates in ingreſſu Chriſti in Ieruſalem; vt factum, perſonam, locum, miniſtros, finem, modumque.

Matth. 26.

Sunt qui aliter exponant hanc circunſtantiarum doctrinam, hoc modo; Rerum, ſiue negotiorum ſeptem faciunt attributa, quæ ſunt, Res, ſiue negotium, facti nimirum ſumma; vt Filij Dei mors: Cauſſa, per quam & quamobrem aliquid factum ſit: quo nomine, & efficientem & finem complectuntur: Locus, ſacer, profanus, publicus, priuatus: Tempus, aliqua nimirum æternitatis pars, dies, annus, nox: Occaſio, hoc eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem, temporis nimirum flos: In tempore ſpatium, in occaſione opportunitas ſpectatur: Modus, quo, quemadmodum, & quo animo factum ſit, quæritur: cuius partes faciunt prudentiam & imprudentiam, clam, palam, vi, perſuaſione, caſu, ſcientia, &c. Facultas, continet ea quibus res facilius fit. Et hæc ſunt quæ de circunſtantijs & de omnibus argumentorum locis

locis communibus, quos priuatim Dialectici explicare ſolent, dixiſſe volui: conſequenti libro de ijs agemus qui ſunt Oratori proprij, & tribus cauſſarum generibus proxime accommodati.

Antequam autem huic parti finem faciam, illud eſt omnino animaduertendum, grauiter errare eos, qui, cum hos locos numeratos habuerint, tunc de vnaquaque re copioſe ſe diſputare poſſe arbitrantur: cum nemo, a cauſſis, ab effectis, a definitione alicuius rei argumẽta ducere queat, niſi eius cauſſas, effectus, & naturam habuerit perſpectam. Inueniendi itaque doctrina, methodum quidem & viam rerum inueſtigandarum oſtendit, ſed res ipſas non docet; rationem demonſtrat, ſed materiam non præbet, quam a bonis artibus ſumere eſt neceſſe. Sunt itaque loci argumentorum vacui, & ideo rerum ſcientia eos complere oportet. Non ſolum quibuſdam communibus ſententijs de varijs rebus quaſi floſculis collectis, quos etiam communes locos vocant, vt aliqui faciunt; ſed potius bonarum artium ac ſcientiarum capitibus, quæ tanquam communes loci, alijs multo meliores, habere debet perſpecta, qui copioſe & ſcienter de re aliqua dicere vult: cum nihil eloquenter prudenterque tractari queat, ni recte cognoſcatur prius. Sententiæ itaque non ſunt proprie communes loci, ſed ad eos alluſiones quædam: ac proinde errant, qui ſola ſententiarum collectione ſunt contenti, & artes ipſas ignorant. Quamuis ſententiarum notitia non ſit inutilis; cum ſententiæ ſint præcepta quædam, & teſtimonia; ac etiam definitiones, verborum lumina, figuraſque contineant, vt libro quarto de Eloquutione oratoria integra diſputatione plane docuimus, qui locus conſulendus eſt. Sententijs qui locuples eſſe voluerit, diuinos libros adeat, & ſpeciatim Prouerbia, & Eccleſiaſticum.

Et, vt ex ſacris literis nos locos communes collegimus; ita ex iiſdem prudens Concionator res ipſas dicendas ſumet; non ex quibuſdam quadrageſimalibus & ſermonibus, in quibus nec rerum, nec verborum vlla cernitur dignitas. Ideo hoc nos monemus, quia diuinum Oratorem formare volumus; qui eſſe non poteſt, niſi vera ſapientia præditus fuerit, quam neceſſario ſequitur eloquentia diuina. Dicendum itaque eſt ſapienter, vt etiam dicamus eloquenter. Sapienter autem dicit homo tanto magis vel minus, vt Auguſtinus ſcripſit, quanto in ſcripturis ſanctis magis minuſve profecit. Non dico in eis multum legendis, memoriæque mandandis, ſed bene intelli- *Aug. li. 4. de doctr. c. 5.*

H gendis,

gendis, & diligenter in earum ſenſibus indagandis. Hæc igitur admonniſſe volui, ne quis totam eloquentiæ vim in ipſis locis, & argumentorum notis poſitam eſſe exiſtimet: qui, vt facilem indicant ad copioſe dicendum viam; ita parum iuuant, niſi cum rerum copia, hoc eſt, cum ipſa ſapientia, quam neceſſario, veluti vmbra corpus, eloquentia ſequitur, coniuncti fuerint.

Libri ſecundi finis.

DE RHE-

DE RHETORICA DIVINA

Liber Tertius:

IN QVO DE DISPOSITIONE, ſiue de partibus orationis, tum generatim, tum ſpeciatim agitur.

Quot & quæ ſint orationis partes, & quid ſit exordium.

CAPVT PRIMVM.

COGNITIS itaque locorum fontibus, vnde omnis probatio atque amplificatio haurienda eſt, ad ipſam orationem texendam diſponendamque, quod eſt alterum Oratoris officium, accedere oportet. Quare, vt de diſpoſitione tum vniuerſe, tum priuatim nũc ſcribamus, inſtitutus ordo expoſcere videtur. Et quoniam oratio debet eſſe quaſi quoddam perfectum corpus ex varijs conflatum partibus; propterea perfectæ orationis partes, Exordium, Narratio, Propoſitio, Contẽtio, quæ confirmationem & confutationem continet, ac Peroratio nobis explicandæ erunt: ex quarum explicatione quo pacto oratio diſponenda ſit, planum fiet.

Eſt autem Diſpoſitio nihil aliud, quam rerum inuentarum in ordinem diſtributio: quæ duplex eſt; altera naturalis, altera voluntaria, quæ ex iudicio & prudentia eius qui dicit proficiſcitur: qui pro opportunitate, & circunſtantiarum ratione, ordinem immutat naturalem, plures aut pauciores adhibendo earum par- *Lib. de Diſpo. orat.*

 tium,

tiũ, quas naturalis diſpoſitio requirit. Natura itaq; docere videtur, vt prius eum ad quem loquimur nobis conciliemus, & ad audiendum idoneum reddamus, quod fit in Exordio: Deinde, vt enarremus & exponamus de quibus tota eſt futura diſputatio. Poſtea, vt id quod eſt in controuerſia breuiter diſtincteque proponamus: Ad hæc, vt quod volumus perſuadere, rationibus confirmemus, & ſi quid eſt in contrarium, illud refellamus: Deniq;, vt quæ latius dicta ſunt colligamus, & in memoriam auditorum reuocemus, & quæ a nobis ſunt, amplificemus & augeamus. Ex quibus partibus prima potiſſime ad cõciliandum refertur, vltima ad permouendos animos, quarta ad probandum, ad quod aliæ viam muniunt. Sed iam ſingulas breuiter exponamus, plura qui volet noſtros libros rhetoricos legat.

Lib. de Diſpoſ. orat. Exordium, eſt orationis initium & quaſi præludium, quo auditoris animus ad reliquam orationem præparatur. In quo tria præſtat Orator, vt beneuolos, vt attentos, vt dociles reddat auditores: vel aperte & manifeſte, cum cauſſa eſt bona & auditor idoneus, vel latenter & per inſinuationem, cum cauſſa non videtur honeſta, vel auditores ſunt iam perſuaſi, aut audiendo defeſſi. Quare, Inſinuatio nihil aliud eſt, quam exordium obliquum, quo occulte & per diſſimulationem in animum auditoris irrepimus.

2. Mac. 2. Beneuolentia partim a perſona, vel dicentis, vel audientis, vel aduerſarij, partim a re ipſa de qua agitur captatur. Redduntur auditores attenti, ſi de rebus magnis, nouis, inuſitatis, vtilibus, & neceſſarijs nos dicturos pollicemur; ac etiam, ſi vt attente audiant *Pſal. 44.* rogamus. Dociles habebimus, ſi rem de qua dicturi ſumus breuiter *Pſal. 48.* proponemus, ac ſummatim exponemus. Quæ munera, pro cauſſarum varietate, varie adhibenda erunt.

Sunt autem cauſſarum genera, quæ ad recte exordiendum noſſe oportet, iſta, Honeſtum, quod per ſe conciliat: dubium, quod beneuolentiam requirit: obſcurum quod docilitatem flagitat: humile quod attentionem, vt admirabile inſinuationem poſtulat. Laudantur exordia acuta, verbis & ſententijs ornata, verecunda, modeſta, quæ alliciant, & aliquo pacto moueant: & denique ea, quæ non ſunt vitioſa; in quibus, vulgaria, communia, aliena a cauſſa, longa, & turgida ponuntur. Verum Concionatori, qui cauſſas tractat honeſtas & vtiles, auditoreſque fere attentos habet, in conficiendis exordijs non erit multum laborãdum: in quo qui non laborent paucos inuenies: ſed, meo quidem iudicio, parum vtiliter, & contra dicendi artificium.

Bene-

Beneuolentiæ, attentionis, & docilitatis ex varijs locis captandæ exépla ex diuinis literis ſumpta in medium afferre poſſem, ſed in re manifeſta exponenda nimius eſſe nolo. Satis ergo ſit loca indicaſſe, quæ diligens diuinarum ſcripturarum lector poterit animaduertere. Obſeruari itaque poterunt exordiorum loci, in prophetarum concionibus, in orationibus, quæ paſſim in ſacris literis leguntur, in multis cáticis, in pſalmis, in epiſtolis canonicis, & denique in diſputatione Iobi & amicorum eius. Cæterum, vt alijs occaſionem prębeam obſeruandi ſacrorum ſcriptorum artificium, vnum, vel alterum ſubijcio exemplum. Eructauit
cor meum verbum bonum, ego dico opera mea Regi: attentum *Pſal. 44.*
& docilem facit diuinus Vates. Item hoc loco, Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem veſtram, in verba oris mei, Aperiam, &c. Et Iſaias, Audite cęli, & auribus percipe terra, quo
niam Dominus loquutus eſt. Sapiens hunc in modum exordien *Cap. 1.*
do captauit beneuolentiam, Deus patrum meorum, & Domine *Cap. 9.*
miſericordiæ, qui feciſti, &c. Et Eſther, Domine mi, qui Rex *Cap. 14.*
noſter es, &c. Et apud Iobum Elin, Iunior ſum tempore, & quæ *Cap. 32.*
ibi ſequuntur. Eſt etiam ſingulare recte exordiendi exemplum in ſecundo Machabæorum libro, in fine capitis ſecundi, vbi omnia exordiorum munera luculenter expreſſa videre licet. Deniq;
in ſingulis Pauli epiſtolis artificioſiſſimas obſeruares exordioru͂
formas. Exordia interdum omittuntur, & ex abrupto in cauſſam *Pſal. 2.*
fit ingreſſus; vt his in locis, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Quid gloriaris in malitia, qui potens es in
iniquitate? Verum ſæpiſſime a propoſitione & narratione regius *Pſa. 51.*
exorditur Vates.

Et quamuis concionis diuinæ initia ſint varia & libera, pro rerum & perſonarum varietate: tamen, danda opera eſt, vt ſint grauia, modeſta, & breuia. Breuia quidem, quia auditores vt pluri mu͂ ſunt parati: quia omnis affectationis ſuſpicio remouebitur; & quia res maioris momenti exponendæ reſtant. Modeſta vero, ſiue verecunda, quia hec virtus maxime Chriſti legatum decet: quia in loco ſacro, & ſæpe apud Maiores dicitur. Sint itaque initia modeſta, ne de Concionatore Chriſtiano parum modeſte exordiente dici poſſit,

Proijcit ampullas, & ſeſquipedalia verba.

Item,

Quid præſtet tanto dignum promiſſor hiatu?

Quare, de ſe nihil initio dicet, & ſi neceſſitas coget, parciſſime

faciat, ſummiſſionemque præ ſe ferat; ita tamen, vt non ſit affectata humilitas, quæ ſolet eſſe putida. Grauia denique, quia Dei vicem gerit: quia res tractat graues: cuiuſmodi erunt, ſi ex aliqua præclara grauiq; ſententia ex diuinis literis ſumpta, aliove idoneo loco ducta fuerint. Atque de exordio hæc pauca dixiſſe ſufficiat: plura, quæ a Magiſtis dicendi traduntur, qui volet, noſtrum legat de Oratoria Diſpoſitione librum. Ad aliam igitur pergamus partē.

De Narratione, & Propoſitione. Cap. II.

SECVNDA orationis pars a dicendi Artificibus numeratur Narratio, quam hunc in modum aliqui deſcribunt, Narratio eſt rerum explicatio, & quaſi fidei faciendæ fundamentum: vel, eſt rerum geſtarū, aut quaſi geſtarum vera, ſeu veriſſimilis expoſitio. Cuius tres aſſignantur partes: quarum vna eſt quaſi ingreſſus, atque veſtibulum ad rem ipſam exponendam: altera, qua res ſubiecta explicatur: tertia, qua quæ explicata ſunt breuiter colliguntur. Verum, nihil eſt neceſſe, vt in omni narratione hæ omnes partes omnino diſtinctæ reperiantur.

Narrationum tria numerantur genera: vnum, quo cauſſa ipſa exponitur; vt eſt illud, quod communiter deſcribi ſolet, cuius vſus fere eſt in genere iudiciali: alterum, cum a re propoſita digredimur, vt aliquid exponamus, quod ad rem in qua verſamur demonſtrandam traducitur: tertium, cum perſonæ, mores, geſta, loca, & id genus alia cum laude, aut vituperatione commemorantur.

Aliqui accommodatius ad concionandi artem has quattuor numerant narrationum formas: Primam, cum res geſtas quæ in diuinis literis, vel in ſanctorum vitis habentur ad aliquid confirmandum commemoramus: vt cum obedientiam Abrahæ, Ioſephi pudicitiam, & Iobi patientiam narramus: Secundam, quę amplificandi cauſſa ſuſcipitur, cum ſcilicet ideo aliquid narratur, vt illud laudando, aut vituperando exaggeretur; vt ſi quis Machabæorum & diui Stephani mortis genus exponeret, vt eos laudibus exornaret: Tertiam, qua myſticos diuinæ ſcripturæ ſenſus exponimus: quorum explicatio priuata quadam ratione pertinet ad Concionatorem, vt qui ſpiritalem viuendi rationem commonſtrat; Vt ſi quis exponeret hiſtoriam, ſiue rationem de modo comedendi agnum paſchalem; vt quo modo Chriſti caro ſumenda

Exod. 12.

ſic per myſticam expoſitionem doceret:vel hiſtoriam Ruth, vt quo pacto Deus animam ad ſe trahat, & quibus fauoribus eam ornet,demonſtraret. Quartam, quæ in euangelica lectione expli canda verſatur, quæ interdum poſſet eſſe exordij loco : de qua forma plura inferius. *Cap. 1.*

Narrationis,quæ docendi,aut probandi, exponendi ve cauſſa ſuſcipitur,hæ numerantur virtutes. Prima,vt ſit breuis:erit autẽ breuis. Si rem non nimis longe repetemus, & non longius quam par eſt protrahemus:ſi ſummatim narrabimus,neç a propoſito ſi ne neceſſitate digrediemur:ſi deniq; quæ intelligi poſſunt,omittemus,& quæ ſemel dicta ſunt iterum non repetemus: ita tamen debet eſſe breuis,vt ſit etiam ornata.

Secunda,vt ſit dilucida,perſpicua,& plana:qualis erit, ſi ordinem rerum & temporum in exponendo ſeruabimus:ſi nihil perturbate,nihil contorte,nihil ambigue, & interrupte dicemus: ſi quæ de breuitate diximus ſeruauerimus;cum ſermo,quo eſt breuior,eo ſit dilucidior;modo ne tanta ſit breuitas, quæ obſcuritatem pariat:ſi denique verbis vſitatis & proprijs vtemur.

Tertia,vt ſit probabilis & veriſimilis, quam virtutem habebit,ſi res perſonis,locis,temporibus,alijſque circunſtantijs erit conſentanea,& iſta omnia ita inter ſe conſentient, vt refelli non poſſint:ſi facti cauſſæ exponentur: ſi cum moribus,cum legibus, & natura non pugnabit:& denique,ſi fuerit conteſtata. Hanc virtutem, vel potius omnes animaduerteres in ea narratione, qua Lucas Euangeliſta Filij Dei Incarnationem per Angeli miſſionẽ ad beatam Virginem factam mirifice expoſuit. Huc pertinet, ſi narratio morum ſignificationem præbebit. *Cap. 1.*

Quarta,quam aliqui tribus ſuperioribus addunt, vt ſit ſuauis & iucunda:cuiuſmodi erit,ſi noua,ſi magna,ſi varia, ſi grauia,cõtinebit, & denique,ſi admirationes & expectationes habebit. Si narratio his virtutibus fuerit ornata,auditor intelliget,credet,attente audiet,& recordabitur. In ſumma,in narratione conficienda hæc adhibenda ſunt:primum narranda ſunt conſilia, ſiue occaſio, & cauſſæ,quibus res ceptæ ſunt: deinde,actus ipſe & exequutio:poſtea euentus & effectus, ideſt quæ commoda & incommoda inde nata ſint:quę omnia in narratione paſſionis Chriſti facile obſeruares.

Neque exiſtimandum eſt eſſe omnino facile, rem aliquam apte atque idonee commemorare;cum viri diſerti hoc eſſe difficile vere affirment. Siquidem, in apta narrandi ratione præcipua

ris eloquentię dominatur:in quá animorum leues ſaltem motus, verba varijs perſonis congruentia, vt fiat morata, & breues rerum deſcriptiones, quæ rem oculis ſubijciant, adhibendæ ſunt. Denique, orationis genus rebus ipſis accommodare neceſſe eſt; ita vt lætis, iucunda; ſerijs, grauis; inſignibus, ornata; triſtibus, acerbà tribuatur expoſitio. Qualis autem ea debeat eſſe narratio, quę amplificandi cauſſa ſuſcipitur, quæ ſane maiores eloquentiæ vires requirit, poſtea dicetur; cum priuatim de amplificatione, & de genere demonſtratiuo agetur. Sed de narratione hactenus: nunc de propoſitione & partitione dicamus.

Propoſitio eſt pars orationis, qua breuiter ac plane totius cauſſæ ſumma proponitur: quæ eſt veluti correlatiuum quoddã Narrationis, aut Confirmationis caput; & nunquam omitti poteſt; cũ neceſſario præcedere debeat, quod eſt confirmandũ. Ab hac parte ſæpenumero exordium ſumi ſolet; quod in regio Vate multis in locis facile obſeruares; quam non raro repetere conſueuit. Illud commune de Propoſitione datur præceptum, vt ſit vna, & ad vnum tendat: & quantum fieri poteſt, ſit popularis, hoc eſt, ad populi captum & vtilitatem accommodata. Quod ſi res de qua agimus non ſit ſimplex, propoſitioni ſubijcitur partitio, qua ſumma capita diuidendo numeramus: quæ ad facilitatem, docilitatem, & memoriam confert. Eſt autem duplex, altera iudicialis generis maxime propria, cum id in quo cum aduerſario conuenimus, & id de quo eſt controuerſia ſeorſim proponimus: altera omnibus generibus communis, qua quot & quibus de rebus dicturi ſimus, exponimus: quod facimus, cum de vna re plura, aut certe de pluribus rebus dicendum eſt.

Pſal. 3. 30. 31. 32. 102.

Huius partis virtutes hæ numerantur; abſolutio, vt nullum deſit membrum: breuitas, ne multa numerentur capita; quæ ad ſummum fere erunt quattuor: ordo, vnde manabit perſpicuitas, quæ omnem remoueat confuſionem, quam ſecum diuiſiones in minutas partes afferre ſolent. Membra autem eo ordine erunt explicanda, quo propoſita fuere; ni aliter faciendum prudentia ſuadeat. Verum contingere poteſt, vt aliquod membrum in dicendo ſubdiuidendum ſit.

Cic. in Mamil.

Multa de diuidendi ratione Dialectici tradũt, quæ hic a nobis conſulto prętermittuntur: illud tamen adnotare placet, ne partes in quas noſtram orationem diuidimus, ſolum in voce ambigua, ſiue æquiuoca conueniant: quia ex illis non poſſet vna perfecta fieri oratio, & quædam plana & abſoluta concio.

 Illud

Illud etiam monuerim, quando iam ea eſt introducta & vſu cõfirmata conſuetudo, vt Concionatores bis, terve in dicendo interſpirent, eos in duas, aut tres maiores partes ſuam concionem diuidere poſſe; præſertim cum de vna tantum re futurus eſt ſermo. At vero, qui breuem haberet ſermonem, vt olim ſancti Patres inter miſſarum præſertim ſolennia habere ſolebant, perpetua concione vtatur. Et ſane, ni eleemoſynarum facienda eſſet collecta, potius perpetuam, quam interruptam probarem concionem; quæ potius ex breuitate, quam ex longitudine approbationem quærere deberet. Sed de propoſitione ſatis: ſequitur vt de Cõtentione agamus.

De Contentione, ſiue Confirmatione, confutationeque. *Cap. III.*

CONTENTIO eſt pars orationis in qua confirmando & refellendo, quod propoſitum fuit, demonſtrare conamur. Confirmatio eſt noſtrorum argumentorum cum aſſeueratione tractatio. Confutatio vero contrariorum locorum diſſolutio. Hæc itaque pars, cuius cauſſa reliquæ ſuſcipiuntur, eſt veluti totius orationis medulla; in qua vincendi, & finis conſequendi ſpes omnis eſt collocata; dum partim noſtra confirmat, partim aliena refellit, & propoſitum thema docendo, vel mouendo, cum quadam contentione, & argumentorum momentis tractat. Argumentatio itaque & amplificatio ſunt veluti duo fundamenta, quibus hæc præcipua orationis pars nititur. Argumentationis, ſicuti & amplificationis loci certa ratione diſponendi ſunt, ſicuti & ipſa argumentatio, de cuius diſpoſitione infra late dicetur, ſicut etiam de amplificandi ratione. Et quoniam nõ omnes loci apti ſunt ad quamcunque propoſitionem confirmandam, neque qui apti ſunt omnes tractari poſſunt; qui, & quot eligendi ſint (neceſſario enim eorum habendus eſt delectus) non facile doceri poteſt, ſed id Concionatoris prudentiæ relinquitur: qui pro rerum, perſonarum, tẽporum, & locorum attributionibus hos, vel illos, plures, aut pauciores eliget. Illud ſolum dixerim perpetua memoria retinendũ, & ſeruandum, a paucis tamen intellectum & obſeruatum, locos debere eſſe populares, hoc eſt, faciles, qui percipi a populo poſſint: & hoc eſt, quod Rhetores docent, dicendi artem locis & rationibus vti communibus. Quare loci obſcuriores, etiam ſi ſint

firmiores.

firmiores, in concione, quæ popularis eſſe debet, vſurpandi non ſunt. Et vt rem maxima obſeruatione dignam planius explicem, grauiſſimæ de Dei prouidentia, de mundi creatione, de corporũ excitatione, & aliæ generis eiuſdem quæſtiones tractari poſſunt grauiter & docte apud doctos, rationibus a communi ſenſu remotis; eædem, ni fallor, plane & populariter, rationibus ad cõmunem ſenſum accõmodatis, vt ex diuinis diſcimus literis, & preſertim ex Chriſti ſermonibus. Hoc qui non intelligit, qui facere non poteſt, dicendi munus deponat. Quod autem fieri poſſit, hæc illuſtris ſummi Oratoris docet auctoritas. Cicero itaque cum aliquãdo dixiſſet, Catonem in ſenatu quoſdam graues locos ex Philoſophia tractare, abhorrentes ab vſu forenſi & publico, hæc ſubiecit verba, Sed nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tamquam excolatur. Eſt itaque alia erudita, alia popularis oratio.

1. Cor. 15. *Pſal. 22.* *Matth. 5.* *In Para.*

Quod vero ad argumẽtorum ordinem diſpoſitionẽq; attinet, illud omnes Rhetores præcipiunt, vt firma in principio, & fine collocẽtur, ſed ibi firmiora, mediocria vero & minus robuſta medium locum occupabunt. Nam, ſtatim poſt propoſitionem auditorum animus expectat id, quo cauſſa confirmari poteſt; & idcirco firmioribus rationibus capiendus erit: & quia quæ poſteriore loco dicuntur, melius in memoria hærent, idcirco firma aliqua ratio, quaſi aculeus, in audientis animo relinquenda eſt. Ille etiã ordo animaduertendus eſt, vt ea prius tractentur, quæ ad ſequentium intelligentiam ſunt neceſſaria. Et in ſumma, a facilioribus, & communioribus ad minus facilia & communia progrediendum eſt. De argumentationis diſpoſitione inferius agetur.

Quod attinet ad Confutationem, Confutatio natura & tractatione eſt cum confirmatione coniuncta; qua, aut ſoluuntur, aut infirmantur, aut eleuãtur contrariæ rationes. Id autem fit, aut negando, quæ ſumpta ſunt, demonſtrando ſumpta fuiſſe falſa, aut dubia pro veris & certis: aut dicendo, ex ſumptis non confici id, quod deducitur: aut ipſam argumentationis formam reprehendendo: aut æque firma obijciẽdo: aut etiam per eleuationem, quæ aduerſarius dixit, irridendo. In ſumma, aut excuſatione, aut mutua criminatione, aut inuerſione, & deprecatione, de quibus ſupra ſcripſimus, in refutatione vtimur. Debet autem confutatio eſſe grauis, ſeuera, exaggerata; aliena tamen ab inuidia, cauillis, & mordacitate. Sequitur peroratio.

Cic. lib. 1. de Inuent. Auctor Heren. lib. 2. Fab. lib. 5. cap. 13.

De Epilogo, ſiue Peroratione. Cap. IIII.

PERORATIO, ſiue epilogus, eſt extrema orationis pars, ſiue artificioſus orationis terminus, quo dicta breuiter colliguntur & amplificantur. Conſtat itaque peroratio duplici parte, enumeratione, & amplificatione: qua autem ratione adhiberi debeant, paucis explicabo.

Enumeratio eſt, qua quæ fuſe dicta ſunt, vnum ſub aſpectum paucis ſubijciuntur; ita vt memoria renouetur, non oratio. Repetenda igitur erunt allatæ partitionis membra, ſi partitione vſi fuerimus: ſumma rerum capita, quæ ſint memoria magis digna: & denique ex quacunque argumẽtatione id quod eſt grauiſſimum. Et ne artificium facile dignoſcatur, aut ſatietas creetur, varianda erit repetitionis ratio. Poterit itaque primum fieri per ſimplicẽ facilemque partium & capitum enumerationem. Deinde, ſi quodammodo ab ipſis auditoribus quæ audiuerunt repetantur. Præterea, ſi alia perſona, præſertim ficta, introducatur, quæ iam dicta breuiter percurrat. Denique, variari poterit, varias adhibendo figuras; vt ſi per interrogationem, dubitationem, & præciſionem fiat. *Cic.*

Quod vero attinet ad verborum genus quibus facienda eſt; fieri debet cum verborum pondere, & ſententiarum varietate, aptiſque figuris. Alioquin, nihil eſt odioſius, recta quadam repetitione: non eodem itaque modo, quo dicta ſunt, repetenda erunt. Vbi cauenda eſt omnino memoriæ oſtentatio, in quo multi pueriliter & putide peccant. Et hæc de repetitione; quæ non ſolum fit vt auditorum memoria renouetur; ſed etiam, vt omnia ſimul conglobata, veluti agmine facto, in eorum animos irrumpant, & apud illos, quod volumus, efficiant: quam enumerationem peropportune amplificatio ſequitur. *Fab.*

Quod igitur attinet ad alteram partem in qua affectus commouendi ſunt; primum, illud docendum occurrit, vt ij affectus commoueantur, quos ipſa cauſſa requirit. Nam in iudicijs, ab accuſatore indignatio excitatur; a defenſore commiſeratio: in deliberationibus a ſuaſore ſpes, a diſſuaſore timor & reformidatio: atque idem de alijs cauſſis dicas: quibus in ſingulis proprij affectus commouendi erunt. Deinde, quamuis in tota oratione ſpargendi ſint motus: tamen hic maior adhibenda eſt contentio, & omnes nerui intendendi: vt, ni hucuſque auditor ſeſe dederit, oratio-

orationis vi trahatur. Hic obſecrationes, increpationes, concitationes, & omnia quæ ad commouendos animos iuuant, ſunt neceſſaria. Meminiſſe itaque hoc loco oportet, eius quod aliquãdo optimus cõcionator, & rhetor inſignis docuit Auguſtinus, cùm ad hunc modum ſcripſit, Cum vero id docetur, quod agendũ eſt, & ideo docetur, vt agatur; fruſtra perſuadetur verum eſſe quod dicitur. Fruſtra placet modus ipſe quo dicitur; ſi nõ ita dicatur, vt agatur. Id igitur in hac parte eſt præſtandum, quod idem his verbis expreſſit, Sicut eſt autem, vt teneatur ad audiendum, delectãdus auditor, ita flectendus, vt moueatur ad agendum. Et ſicut delectatur, ſi ſuauiter loquaris, ita flectitur, ſi amet quod polliceris: timeat, quod minaris: oderit quod arguis: quod commendas amplectatur: quod dolendum exaggeras, doleat: cum quid lętandũ prędicas, gaudeat: miſereatur eorum, quos miſerandos ante oculos dicendo conſtituis: fugiat eos, quos cauendos terrendo proponis: & quidquid aliud grandi eloquentia fieri poteſt, ad commouendos animos auditorum, non quid agendum ſit, vt ſciant, ſed vt agant, quod agendum eſſe iam ſciunt. Si autem adhuc neſciũt, prius vtique docendi ſunt, quam mouendi. Hęc Auguſtinus. Re itaque confirmata & breuiter repetita, velut ſtrue lignorum cõpoſita, affectuum flamma admouenda eſt: quæ eo erit maior, quo probatio fuerit firmior & efficacior: quam etiam actionis contẽtio non parum augere poterit. Amplicationis loci ijdem ſunt, qui probationis; ſed tamen alio dicendi genere, & non ſine dicentis commotione tractandi, vt infra ſuo loco dicetur.

Auguſt. lib. 4. de doctr.

Sed cauendum omnino eſt, ne commotio ſit frigida, ne faſtidium ſua longitudine creet; quod facile contingeret, ſi auditores eſſent iam audiendo defeſſi: quoniam longiore peroratione, quę altera videtur oratio, langueſcunt: vnde fit, vt totus dictionis fructus amittatur. Qua in re a nonnullis Concionatoribus peccatur: qui dum multis verbis volunt animos inflammare, ſi quam incenderunt flammam, eam penitus extinguunt. Meminerint itaque eius, quod a quodam veriſſime dictum fuit, Lacryma nihil citius areſcere. Quare, cum vident animos eſſe commotos, aut ad id efficiendum quantum ſat eſt, ſe præſtitiſſe putauerint, ad finem properent, ac etiam, quod non ſine arte fit, orationem abrumpãt. Licet tamen interdum, idque ſanctorum Patrum exemplo, ſine vlla commotione, concionem concludere; præſertim, ſi ſermo fuit breuis, & ad docendum præcipue comparatus.

Denique, vt huic capiti finem imponamus, cum de amplificatione

tione & animorum commotione infra late ſimus dicturi, illud ſemel, iterum, & tertium Eccleſiaſten monuerim, cum auditorum vtilitas, concionis fructus, atque etiam concionantis commendatio, ex bona & apta peroratione pendeat, vt quoſdam cões locos ad perorãdum paratos, & cauſſarum generibus accõmodatos in promptu habeat; ita vt ſit paratus dicere pro omnibus virtutib. & maxime pro illis quæ ſunt magis neceſſariæ: Contra omnia vitia, præſertim maiora & vſitatiora: contra communes hoſtes, qui ſunt, diabolus, mundus, & caro: de quattuor nouiſſimis, morte, iudicio, æternis pœnis, perpetua felicitate; & de pœnitentia: denique paratas habet commendationes populi apud Deum, oratiũculas ad Christum; & de diuorum laudibus. Has perorationes, vel ſuo ſtudio & diligentia conficere, vel ex ſanctorum Patrum ſcriptis ſumere poterit. Atque hæc de Diſpoſitione generatim dixiſſe volui: nunc quo pacto ſingula concionum genera diſponenda ſint, varijs capitibus docebo. *Aug. Valer. lib. 1. c. 9.*

De diſpoſitione concionis generis deliberatiui, ſiue ſuaſorij.

Cap. V.

DE ſingulorum generum diſpoſitione acturus, ideo a Suaſorio auſpicari volo, quod hoc vnum genus ſit Christiano Concionatori maxime frequens; cũ, ſiue laudet, ſiue explanet & doceat, ſuaſionem aliquam adhibere ſoleat; & eo omnis eius fere referatur oratio, vt quod docet, quod commendat, ab auditoribus ad vſum traducatur.

Quamuis ergo Deliberatiuum genus in bonorum ſuaſione, & malorum diſſuaſione verſetur, quo omnis Concionatoris noſtri labor tandem referendus eſt, vt nimirum recedatur a malo, & fiat bonum: tamen, quæ ſub hoc genere continentur, a quibuſdã ad hæc priuata capita, doctrinę cauſſa, reuocantur: ſunt autẽ iſta, credenda, ſperanda, timenda, vitanda, & agenda. Credenda, vniuerſe in articulis fidei continentur. Ad hæc ſuadenda conferre poterunt non modo loci communes Theologiæ proprij, ſed etiã alij de quibus libro ſecundo per multa capita ſcripſimus. Suadendum itaque erit, vt ea credamus quæ Deus nobis reuelauit, quę ſacra concilia & Pontifices ad fidem pertinentia ſanciuerunt, & quæ Romana Eccleſia credenda proponit. Diſſuadendum vero, quidquid cum ſcripturis, & cum doctrina vniuerſalis Eccleſiæ *Aug. Valer. lib. 2.*

pugnat,

pugnat, vt ſunt omnia hæreticorum falſa dogmata, & quidquid Dæmon ſuadere conatur.

Quod attinet ad ſperanda, ſuadebit ſperandam eſſe peccatorum remiſſionem, diuinum auxilium ad bona opera facienda, & æternam felicitatem: contra, non eſſe deſperandam veniam, non diuinam opem, quæ præſto adeſt, non æternum præmium, modo recte viuatur.

De timendis, ſuadebit timendam eſſe Dei offenſionem, eiuſdẽ indignationem, iudicium, æternas pœnas: diſſuadebit, mundi timorem, bene viuẽdi difficultatem, incertã ſpem de bene agendo in fine vitæ, & conſequendæ felicitatis ſine bonis operibus: ſuadebit timorem quem vocant filialem, ſeruilem vero imperfectũ eſſe docebit.

De vitandis, ſub hoc capite omnia continentur vitia: primũ, vniuerſe peccatum fugiendum eſſe perſuadere conabitur, in quo potiſſimum bonus deſudabit Eccleſiaſtes: & ſpeciatim ea peccata quæ capitalia vocantur; vt ſunt ſuperbia, auaritia, & alia: ſimiliter ea, quæ vocantur in Spritumſanctum, & quæ in cœlum clamare dicuntur. Qui autem loci ad ſingula vitia diſſuadẽda conferant, facile quiſque ex ſe poterit videre: valent tamen hi potiſſimum, effecta, exempla, & contraria, de quibus poſtea.

Denique, quod attinet ad agenda; quæ agenda nobis ſunt, partim in ratione, partim in lege, tum diuina tum humana, partim in traditionibus continentur; quæ omnia ſeruanda eſſe docebit: & ſpeciatim quæ cuique ad ſuum ſtatum honeſte tranſigendum ſunt neceſſaria. In ſumma, ſuadebit virtutes, diſſuadebit vitia pro perſonarum, locorum, temporumque opportunitate.

Demonſtratis capitibus in quibus Concionatori ſuadendo verſandũ eſt; nunc de huius generis diſpoſitione dicamus. Quod igitur ad Exordium attinet, quamuis hoc genus, ſua natura, exordium neceſſario non requirat: tamen concionandi vſus iam obtinuit, vt nunquam ferre prętermittatur exordium: quod potiſſimum a re ipſa & a perſona dicentis ſumi poterit. In quo captabitur attentio, a rei neceſſitate, & dignitate: vt, ſi de odio fugiendo, de auaritia vitanda, de eleemoſyna facienda Concionator eſſet dicturus, rei neceſſitatem demonſtrabit: ſi de alicuius virtutis laudibus, eius dignitatem, vtilitatem, aut etiam neceſſitatem indicabit. Si a ſua perſona beneuolentiam, attentionemve captare voluerit, quo animo ad dicendum venerit, quidve propoſitum habeat breuiter aperiat. Debent enim in hoc genere exordia eſſe

breuia

breuia, minus elaborata; cum, & beneuolos, & vt plurimum attẽtos, is qui dicit auditores habeat: qua in re paſſim a multis, vtſupra etiam monuimus, ineptiſſime peccatur; dum nimis apparata afferunt exordia, quę quorundam bonorum auditorum potius auertunt, quam conuertunt animos. Boni exordij exemplum in hoc genere habes apud Cyprianum ſermone de patientia.

De narratione, hoc genus, ſua vi, nullam narrationem admittit: poteſt tamen incidere, non tanquam pars cauſſæ, ſed vt locus quidam ad ea quę ſuadere volumus confirmanda. Poterit tamen narrationis loco adhiberi aliquis ingreſſus, & præparatio ad propoſitionem, & confirmationem.

Cum ergo narratio in hoc genere non ſit neceſſaria, ſecundũ locum obtinebit Propoſitio, quæ non debet eſſe nuda, ſed aliquo verborum ſplendore veſtita. Quam qui omittunt, aut minus apte adhibent, auditorem ſuſpenſum tenent, cum quo ſermo tendat, non videat, ac proinde dubius & incertus hæret, & quid ex concione tandem referre poſſit, non intelligit. Scopum itaque ſibi & alijs bonus proponat Orator.

Propoſitioni adijcienda eſt diuiſio, ſiue partitio, quæ rerum dicendarum capita: & ordinem demonſtrabit: quæ a generibus expetendorum, fugiendorumque, vt plurimum, ſumenda erit. Ideo enim homines aliquid ſibi amplectendum putant, quod illud, tãquam bonum, quod eſt humanæ voluntatis obiectum, proponatur; ita vt, velint, nolint ſemper bonum appetant; quamuis falſa boni ſpecie non raro decipiantur. Contra vero illud fugiendum ſibi eſſe exiſtimant, quod tanquam malum proponitur. Poterit etiam ſumi ab horum generum partibus, quas ſtatim recenſebimus.

De confirmatione, in confirmatione, ſi ſuademus, ij potiſſimũ adhibendi ſunt loci, qui ad permouendam voluntatem vim habent; vt ſunt bonum & boni partes, honeſtum, vtile, delectabile, & quæ ad has reuocantur aliæ. Honeſtum ſumitur, ex natura, legibus, & virtutibus, ſub quo laudabile, glorioſum, honorabile, & æmulatio cõtinetur. Vtile ſumitur ex fine, ſub quo, facile, quod ex viribus noſtris, aut aliorum qui nobis præſto eſſe poſſunt, perpenditur, neceſſarium, tutum, commodum publicum & priuatum, magnum, & ſine periculo continetur. Delectabile, id nimirum quo natura recreatur, ad quod iucundum, lætabile, & ſuaue referres. Is autem facilius perſuadebit, qui hęc omnia in re, quam ſuadet reperiri docebit, & quæ inſunt amplificando maiora eſſe *Lib. 2. de Inuent. orat.*

demon-

demonſtrabit. Huc pertinent enumerationes omnium fructuum & commoditatum quæ ex re illa emanare poſſunt. Vbi animaduertendum erit, quo bonorum genere ij magis afficiantur, qui nos audiunt; an honeſto, vt homines ingenui: an vtili, vt populares.

Diſſuaſionis loci erunt contrarij ijs, quibus ad ſuadendum vtimur, turpe, inutile, iniucundum, ignominia, difficile, impoſſibile, incommodum, & malorum quæ inde oriri poſſunt enumerationes & amplificationes.

Et quoniam raro contingit vt aliquid ſuadeatur, aut diſſuadeatur, quod aliquam difficultatem non habeat; illa, aut ſeorſim a confirmatione, aut etiam ſimul remouenda erit: vt ſunt difficultates, impedimenta, & excuſationes quas homines ſolent afferre, cum ad bene agendum excitantur.

Quo loco, illud Chriſtianum Eccleſiaſtem monuerim, ad eius officium pertinere, vt cum ad aliquid agendum auditorem hortatus fuerit, de modo, quo effici aut declinari poſſit, diſputet; vt hoc etiam remoueatur impedimentum, & excuſatio. Quod, qui non faciunt, ſimiles ſunt illis qui lucernam quidem emungunt, ſed oleum, quo ali poſſit, non infundunt. Quare, ſi gratia exempli, ad ieiunandum auditores hortatus eſſet, qua ratione ieiunandum ſit exponere debebit. Ad officium itaque boni Concionatoris pertinebit, rei quam ſuadet difficultatem, aut tollere, aut ſaltem minuere.

Et quod huc facit, quaſdam fallaces hominum animis infixas opiniones penitus extirpabit: quibus nonnulli imbuti, aut in viã virtutis non ingrediuntur, aut ingreſſi, parum in ea procedunt. Ex multis autem fallacijs paucas ſubijciam: Ieiunium vires eneruat, ita vt nihil aut animo, aut corpore fieri queat: præſtat igitur

Lege lib. de Pacific.

non ieiunare. Qui iniurias condonant, pro timidis habentur, in nullo ſunt honore; vlciſcendę igitur. Malum eſt mori: amãda igitur vita: Miſerum eſt egere: maximo itaque ſtudio diuitiæ comparandæ. Abundare beatum: pauperes igitur miſeri: In quacunque hora Deus pœnitentes recipit: pœnitentiam igitur differre licebit: Alicui omnia in hac vita fœliciter cadunt: Deus igitur eum diligit: Contra, alius multis anguſtijs premitur: quare Deum nõ habet propitium: de qua re maxima fuit inter Iobum & eius amicos diſputatio. Qui frequentius Euchariſtiam ſumunt, nimiũ cum Deo familiaritatem contrahere videntur: rarius igitur communicandum. Licet Concionator & religioſi bene agere do-

ceant;

eant;tamen cum ipſi male viuant,eoſdem imitari licebit. In bene agendo,vt in orando,in communione frequentanda,& in cæteris bonis operibus nullum ſenſum ſpiritualem habeo: non placeo igitur Deo. Sæpius conatus ſum a peccatis grauioribus abſtinere,& nunquam potui:non igitur pie viuere poſſum. Hæc igitur,& alia id genus ſophiſmata, quibus mendacij pater Diabolus minus prudentes homines decipit, aut ſtulti ſeipſos decipere ſolent,prudenti Concionatori ſuo loco ſoluenda erunt.

Quod attinet ad perorationem,nihil pręcipiendum occurrit, prætęr ea, quæ ſupra, de diſpoſitione vniuerſe agentes, docuimus. Adhibenda itaque erit ſua enumeratio, atque amplificatio: cuius exemplum illuſtre habes in ſermonę citato apud Cyprianum.

Ad extremum circa hoc genus illud dixerim, quod Rhetores tradunt;in deliberationibus,ſiue ſuaſionibus tria ſpectari poſſe, ſuaſorem,deliberantem,& rem de qua deliberatur. Perſona quæ ſuadet,ſit ætate & doctrina grauis,atque honeſtate conſpicua. In eo qui deliberat, aut ſuadetur, nonnullæ attributiones notandæ ſunt;vt,natio,ætas,ſexus,vitæ,genus,& mores, quos cognitos habere debet is qui idonee ſuadere voluerit. In re conſideratur,an fieri poſſit,quod coniecturis quæritur:& ſi poteſt,an hoc tempore,& loco,& his præſidijs:Et an ſit honeſta,an vtilis,an delectabilis. Vbi incidere poſſunt quæſtiones comparatæ, quid honeſtius, quid vtilius,& iucundius ſit:quæ ſuis locis tractandæ erunt: Et vtrum honeſtum ſit pręferendum vtili.Pro honeſto quid dicet, vnam ſolam honeſtatem veram vtilitatē afferre docebit;& futuræ gloriæ ſpem excitabit,atque honeſtorum hominum exemplis, quæ in deliberando & ſuadendo præcipuam vim habent, vrgebit. Ex quibus intelligi licet, an imberbes, parum docti,& parū ſtudioſi Concionatores ad ſuadendum ſint accommodati.

Quod vero attinet ad characterem formamq;dicendi,eloquentiæ humanæ Magiſtri cuique generi ſuam attribuunt formam:& in deliberationibus dictionem requirunt grauem,accuratam,minus tamen verbis,quam ſententijs ornatam.Quare,e tribus dicēdi generibus,attenuatum deliberationi tribuunt.

Huius generis exempla multa reperiuntur in diuinis literis, vt in omnib.locis in quib.ſuadetur,aut diſſuadetur aliquid. Huc pertinet oratio Abigail ad Danidem,Tobiæ ad filium, & Sarę ad Tobiam. Item oratio Mathathiæ ad filium: hortatio matris Machabæo- Cap.5.& 4 Lib.1.c.2. Lib.2.c.7.

chabæorum ad filium:oratio, qua Salomon petiuit a Deo ſapientiam:oratio Manaſſes Regis, qua a Deo veniam poſtulauit: oratio petitoria Eſdræ ad Deum,ac etiam Eſther & Iudith ad Deũ; & hortatio eiuſdem ad ſeniores.Huc etiam pertinent omnes fere Prophetarum & Chriſti conciones, & multi pſalmi Dauidici. Hæc igitur & multa alia exempla diligens Concionator & diuinæ eloquentiæ imitator notabit,vt in illis locos,& orationis deliberatiuę formam obſeruare poſſit : quod qui faciet , maximam ex hac diligentia vtilitatem capiet.Vt autem huius generis proprios locos obſeruare queat,eos ſequenti capite indicabo.

Lib.1.ca.1. Cap.13. Cap.8. Pſal. 134. 131.et 143

De locis proprijs generi Deliberatiuo & ſuaſorio. Cap. VI.

INTER alias cauſſas ob quas eloquentiæ Magiſtri varia excogitarunt orationum genera, ea eſt, vt ſingulis generibus quoſdam proprios aſſignarent locos , vnde confirmationis argumenta petenda ſunt . Demonſtrata itaque cauſſæ deliberatiuæ diſpoſitione;nunc quibus locis in hoc genere vtẽdum ſit,præter ea quæ vniuerſe diximus, ex diuinis ſcripturis doceamus oportet . Loci igitur quibus aliquid ſuadere vel diſſuadere licet, ab ijs rebus petendi ſunt,quib. homines permoueri ſolent;quæ ſunt,Verum,& Bonum. Cum ergo homines omnes ſuas actiones intellectu & voluntate moderẽtur & efficiãt; ideo ad has duas animi vires permouendas omnes machinæ adhibendæ ſunt. Quo fit,vt ex vero,quo permouetur intellectus,& ex bono quo voluntas, atque etiam ex eorũ partibus omnis in hoc genere ſumenda ſit probatio.

Quæ vim intelligendi mouent,ſunt iſta , Verum, ſiue veritas , certitudo,ſiue ſcientia,opinio,credibile,ſeu probabile,uerisimile,ſuſpicio,ſeu coniectura,lex naturę,conſcientia, communis cõſenſus notioque,quo axiomata & ſententias referres:& his contraria,falſum,dubium,inopinabile,& reliqua.

Ioan.8. A vero hęc ſumpta ſunt argumenta, Si veritatem dico,quare uos non creditis mihi?Ecce enim ueritatem dilexiſti, hoc eſt ueri
Pſal.50. tate delectaris,peccatorumq; confeſſione: ego ueritatem fateor ę
2.Cor.12. mihi igitur ignoſce.Nam etſi uoluero gloriari non ero inſipiẽs: ueritatem enim dico:Vere enim abſque mẽdacio ſermones mei;
1.18. & perfecta ſcientia probabitur tibi.

A certitudine, ſiue ſcientia , Et ſcio quoniam intrabunt poſt

diſceſ-

diſceſſionem meam lupi rapaces in vos,non parcentes gregi. Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo,verum eſt teſtimonium meũ:quia ſcio vnde veni,& quo vado:vos autẽ neſcitis vnde venio, aut quo vado, &c. *Act.20.* *Ioan.12.8.*

Ab opinione ſiue credibili arguebat Mardochæus, cũ Eſther ad ſuſcipiẽdam pro liberatione populi prouinciam hortabatur, cum dixit,Et quis nouit,vtrùm idcirco ad regnum veneris,vt in tali tempore parareris? *Eſth.4.*

A natura,ſeu naturæ lege,Nec ipſa natura,ait Paulus Corinthijs,docet vos,quod vir quidem, ſi comam nutriat,ignominia eſt illi:mulier vero ſi comam nutriat,gloria eſt illi:quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt:Dauid etiam ſuos milites, qui ſe excuſabant,quod quid agerent,neſcirent,ad claram naturę legẽ, ſiue ad rationis lumen reuocauit, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui,Domine. *1.Cor.11.* *Pſal.4.*

A conſcientia,veritatem dico vobis in Chriſto Ieſu,non mentior,teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea.Iuſtificationem meam quam cępi tenere,non deſeram: neque.n.reprehẽdit me cor in omni vita mea. Non eſt tibi pars,neque ſors in ſermone iſto:cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. *Rom 9.* *Iob 27.* *Act.8.*

A lege & conſuetudine arguebat Paulus,cum aiebat,Nos talem conſuetudinem non habemus,neque Eccleſia Dei. Et Feſtus, Quia non eſt Romanis conſuetudo donare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina,quæ ei obijciuntur. *1.Cor.11.* *Act.25.*

Ab experientia, & ſenſuum cognitione,Quia iam non propter tuam loquelam credimus:ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic vere eſt Saluator mundi. Et ego vidi,& teſtimonium perhibui,quia hic eſt Filius Dei.Quod audiuimus, vidimus, & manus noſtrę contrectauerunt,nunciamus vobis.Nonne ego te vidi in horto cum illo? *Ioan.4.* *Ioan.13.* *1.Ioan.1.*

A ſententia,ſiue axiomate,Omnia oſtendi vobis,quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos,& meminiſſe verbi Domini Ieſu,quoniam ipſe dixit,Beatius eſt magis dare,quam accipere. *Act.20.*

A falſo,ſi vero,aiebat Paulus,ſuam cauſſam agens,nihil eſt eorum,quæ hi accuſant me,nemo poteſt me illis donare: Cęſarem appello.

Ab incredibili,ſeu inopinabili videtur ſumptum illud, Durus

Ioan. 6. eſt hic ſermo, & qui poteſt eum audire? Atque de vero, & eius partibus hæc exempla attuliſſe ſufficiat: nunc de bono dicamus, cuius ſpecie permouetur voluntas: quo etiam pertinet pulchrum atque perfectum.

Præcipuæ ac primæ boni partes ſunt tres, Honeſtum, Vtile, & Delectabile. Sub honeſto continetur iuſtum, æquum, decorum, honorabile, laudabile, glorioſum, & his contraria. Sub iuſto, ſiue æquo, promiſſum, pactum, meritũ, officium, debitumve, in Deũ, parentes, amicos, & pares, per religionem, pietatem, obſeruantiã, & ſtudium in omnes. Sub delectabili iucundum, lætum, ſuaue, iocoſum, gratulatio, & his contraria. Sub vtili, felicitas, ſeu ſecunda fortuna, commodum, quod confert, neceſſarium; item remuneratio, gratiarum actio, & his contraria. Et comparate, commune bonum, commune malum, facile, poſſibile, difficile, impoſſibile, potentia, & impotentia. Quos locos alibi planius definiuimus, & explicuimus: hic ſolum exemplis quibuſdam illuſtrabimus; quæ paſſim in ſacris voluminibus occurrunt. *Lib. 2. de Inuent. orat.*

1. Tim. 4. A bono, probauit Paulus non eſſe abſtinendum a cibis quibuſdam, quoniam omnis creatura eſt bona: & regius propheta homines ad Dei maieſtatem celebrandam excitauit, Quoniam bonũ. *Pſal.* *Iac. 1.* Omne bonum, hoc eſt perfectum atque abſolutum bonum, exiſtimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.

2. Cor. 12. A perfecto, ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.

Iudith. 5. A pulchro, Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent? vt pro his merito pugnare contra eos debeamus.

A malo, Nolite timere ea (de idolis eſt ſermo) quia nec male poſſunt facere, nec bene,

A iuſto & decoro, quo omnia virtutum genera, & perſonarum officia referres, hæc petita ſunt argumenta, Doce me facere volũtatem tuam, quia Deus meus es tu: Clamaui ad te Domine, tota die expandi manus meas. Honeſtum nanque eſt, eos Deum exaudire, qui ad ipſum confugiunt. Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confido. Decebat, inquit Paulus, eum propter quẽ omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis; ſicut decet ſanctos. *Pſal. 87. 56* *Heb. 2.* *Ephes. 5.*

A turpi & indecoro, Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia: & paullo

& paullo infra. Ad verecundiam veſtram dico. Nec indicauerũt ſibi viciſſim dolorem ſuum; erubeſcebant enim indicare ſibi erubeſcentiam ſuam. Huc pertinet, indignum, atque incongruũ, Et dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum in iudicium? *Iob 14.*

Ab æquo arguebat Dauid ad probandum, dandam eſſe prędę partem iis, qui ad ſarcinas cuſtodiendas remanſerũt, Æqua enim pars erit, &c. Et in Actis Apoſtolicis, Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. *1. Reg. 30.* *Cap. 6.*

Ab iniuſto, Ergo ne Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hãc magnam in Iſrael? hoc nefas eſt. Neſcitis quoniã corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti faciam mẽbra meretricis? Abſit. *1. Reg. 14* *1. Cor. 6.*

A pacto, Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: Quo tamen fędere & pacto nullum eſt magis incertum, & infidele. Nonne pacto conueniſti mecum? *Iſai. 28.*

Ab officio, ſiue a munere debito, Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs: Væ paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos: nõne greges a paſtoribus paſcuntur? Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus? Non eſt veſtrum noſcere tempora, vel momenta: Mulieres in eccleſijs taceant: non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe. *2. Cor. 12.* *Ezech. 34.* *Ioan. 1.* *Act. 1.* *1. Cor. 4.*

Ab honorifico, hortabatur Tobias ſuos ad Dei laudes celebrandas; quia opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt. Idem a laudabili & glorioſo Ieruſalem ad conuerſionem his verbis excitabat, Luce ſplendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Et ecce ſancta noſtra, & pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt, & coinquinauerunt eam Gentes. Quo ergo nobis adhuc viuere? aiebat Mathathias. *Cap. 12. 13.* *1. Mach. 2.*

Ab vtili, Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur, hoc eſt, ſi mihi ignoueris, hanc vtilitatem referes, vt etiã alij peccatores reſipiſcant, & ad te reuertantur: Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis vtile eſt. *Pſal. 50.* *2. Cor. 8.*

Ab inutili, quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris? aut quid ei conferes, ſi immaculata fuerit vita tua?

Ab incommodo, ſiue damno, Non maneat arca Dei Iſrael apud nos: quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagõ Deum noſtrum. *1. Reg. 5.*

A gratia, ſeu remuneratione, Nunquid narrabit aliquis in ſe- *Pſ. 87. 109.*

pulchro miſericordiam tuam?hoc eſt,præſto mihi ſis,& laudabo te:Narrabo nomen tuum in fratribus meis, & in medio eccleſiæ laudabo te.

Ab iucundo & delectabili bono arguebat Dauid, cum homines ad fraternum amorem his verbis excitabat,Ecce quam bonũ,
Pſal.132. & quam iucundum fratres habitare in vnum: & poſtea, Quoniã illic dabit benedictionem.

A ſuaui,Guſtate & videte,quam ſuauis eſt Dominus: Pſallite nomini eius,quoniam ſuaue.

A lætabili,Lætemini in Domino & exultate iuſti:& contra, Non enim delectaris in perditionibus noſtris.

A felicitate quæ in timore Dei poſita eſt, Noli timere fili mi,
Tob.3. pauperẽ quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fece-
Cap.vlt. rimus bene: Verum enim eſt, quod aliquando dixit Eccleſiaſtes Deum time, & mandata eius obſerua; hoc eſt enim omnis homo,id eſt,in hoc humana ſita eſt felicitas. Qui enim humiliatus fuerit,erit in gloria: & qui inclinauerit oculos ſuos,ipſe ſal-
Iob 22. uabitur.

Nunc ſubijciam quædam exempla ſumpta à bono & malo comparate conſiderato,vt eſt bonum commune,poſſibile, facile & neceſſarium.

A communi bono,Expedit nobis vt vnus moriatur homo pro
Ioan.11. populo,vt non tota gens pereat:quod nõ dixit à ſeipſo Caiphas; ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit.

Sap.12. A poſſibili, Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas,& cum magna reuerentia diſponis nos:ſubeſt enim cum volueris,poſſe. Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum, id eſt,quoduis maximum miraculum.

1.Reg.14. A facili,quia non eſt difficile Domino ſaluare, vel in multis, vel in paucis.Ex quo etiam loco argumentabantur ſeptem mu-
Iſai.4. lieres,quæ vno apprehenſo viro,ei dicebant,Panem noſtrum comedemus,& veſtimentis noſtris operiemur:tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos:aufer opprobrium noſtrum: Et Sapiens,cum mortales ad ſapientiam acquirendam excitabat,Quoniam dignos ſe ipſa circuit quærens,& in uijs oſtendit ſe illis hi-
Pſal.9. lariter. Infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt,in laqueo iſto,&c.facilè igitur eas ſuperare poteris.

Ab impoſſibili,ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: Nũquid
Iſai.49. obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio

uteri

vteri ſui? & ſi oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ex eodē loco arguebat Moſes cum Deo loquendo, cum dixit, Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi. *Num. 11.*
Si mutare poteſt Ethyops pellē ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Hæc dicit Dominus, Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies, & nox in tempore ſuo: & pactum meum irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo, vt nō ſit ex eo filius, qui regnet in throno eius. *Iere. 13.* *Iere. 33.*

A neceſſario, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Act. 14.*

A non neceſſario, Si eſuriero non dicam tibi: meus eſt enim orbis, &c. Nunquid Deus indiget veſtro mendacio? &c. *Pſal. 49.* *Iob 13.*

Huc etiam pertinent argumenta ſumpta ex principijs, ſiue cauſſis humanarum actionum, ex quibus aliquid fieri aut non fieri poſſe, factum aut nō factum eſſe, & quod factum eſt, laudabile, aut vituperabile eſſe demonſtratur, quæ ſunt, Natura, ſcientia; ignorantia, voluntas ſiue ſpontaneum, violentia ſiue neceſſitas, cauſſa ratio ve, occaſio ſeu opportunitas, facultas, cupiditas, ſpes, non ſpes ſiue deſperatio, & cæteræ animi perturbationes. A natura arguebat Dauid excuſando peccatum, cum dixit, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum. A ſcientia, arguit Paulus gentes, quod Deum non coluerint, vt eum cognouerunt. Nunquid non ſcitis? nunquid non audiſtis? nunquid nō nunciatum eſt vobis ab initio? &c. Ab ignorantia, Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Si enim cognouiſſent, nūquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. *Rom. 2.* *Iſai. 40.* *Ioan. 10.* *Iſai. 5.*
A voluntario & ſpontaneo, Rogamus vt occidatur homo iſte: de induſtria enim diſſoluit manus virorum bellantium. A violentia, Factus ſum inſipiens; vos me coegiſtis. Eodem loco male ſe excuſabat Saul dicendo, Neceſſitate compulſus obtuli holocauſta: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, id eſt non eſt neceſſe, vt nunc in me tangendo tempus conteras, quia nondum e mundo abij; ſed vobiſcum verſaturus ſum, vade, &c. *Ierem. 38.* *Ioan. 20.*
A facultate, ſiue poteſtate, & impotentia, Lac vobis potum dedi, nondum enim poteratis: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. A cauſſa, quæ nihil aliud eſt quam ratio cur aliquid fieri debeat, vt eſt utilitas, animi perturbatio, qua ad aliquid faciendum impellimur: huc pertinet, non cauſſa, ſiue, *1. Cor. 3.* *Ioan. 16.*

nulla utilitas,& fruſtra;Si autem malum feceris,time:non enim
Rom.13. ſine cauſſa gladium portat:Filij hominum uſque quo graui corde,ut quid diligitis uanitatem,& quæritis mendacium?hoc eſt,in
Amos 5. uanum me opprimere,aut conſilia inire tentatis? Væ deſiderantibus diem Domini:ad quid eam uobis? Ab occaſione,Permanebo autem Epheſi,uſque ad Pentecoſten; oſtium enim mihi aper-
1.Cor.ult. tum eſt magnum,& euidens. A ſpe, Quare triſtis es anima mea,
Pſal.42.10. & quare conturbas me?ſpera in Deo, &c. In Domino confido, Quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montes ſicut paſſer.Contra,a non ſpe,ſeu deſperatione, Quæ eſt enim ſpes hypocritæ,ſi auare rapiat,& non liberet animam ſuam? Atque etiam ab alijs perturbati affectique animi motibus,ut a timore, & deſiderio argumenta peti conſueuere;quæ facile quiſq;,ex ijs,quæ diximus,obſeruaret.

De diſpoſitione concionum generis demonſtratiui,ſiue laudationis.

Cap. V.

DEMONSTRATIVVM genus quod in laude & uituperatione uerſatur,eum finem habere cenſetur, ut id de quo dicitur tanti momenti eſſe uideatur, quanti re uera eſt,hoc eſt ſyncerum de re laudata aut uituperata iudicium & approbatio.Quare,non eſt ſim-
Iſoc. Cic.in Brut. pliciter uerum,quod bonus alias dicendi magiſter aiebat,Oratoris eſſe, parua extollere, & magna minima efficere dicendo. Verum in hoc genere diuinus Concionator aliquid priuatim habet;cum non ſolum id contendat,ut quod laudat celebratione dignum,aut tantum & tale quantum,& quale eſt æſtimetur; ſed ut auditores laudata ſequantur,& imitentur.

Ea quæ laudibus ornari ſolent,aut ſunt perſonæ,aut facta,aut res:quorum laudes uarie tractantur, & ex uariis locis promuntur.Si perſona laudanda ſit, Exordia ſunt liberiora, ſed priuatim ab aliquo ducuntur affectu,ſtudio-ue;ut a gratulatione, ab admiratione,ab officio, & ſimilibus: Quare,auditores,attentos & beneuolos facient.

In hoc genere nulla deſideratur Narratio; quæ tamen incidere poſſet,ſi ex rebus geſtis ſumenda eſſet laudatio. Subſequitur itaque breuis Propoſitio,cum ſua partitione,quæ dicendorum capita ordinemque proponet.

Quod attinet ad Confirmationem,loci ad perſonarum lauda-

tionem accommodati, de quibus infra late ſcribemus, hi ſunt, Natio, patria, genus, natiuitas, ſexus, educatio, mores, geſta, dicta, & adepti honores: qui partim ex bonis animi, partim corporis, partim ex ijs quæ extrinſecus accedunt, ſumuntur: & in tria tempora diſtribui ſolent; quæ ſunt, tempus ante vitam, quod etiam natiuitatem complectitur, in vita, & poſt vitam. Poteſt etiam haberi ſingularum ætatum ratio, vt pueritiæ, adoleſcentiæ, & aliarũ. Atque hæc ſpectanda ſunt, cum eum laudamus, qui ſit vita functus: neque enim in laudibus viuorum hæc omnia notare licet: Qui ea de cauſſa parcius & rarius ab Oratore Chriſtiano laudantur, quod nondum plane conſtet quanta laude ſit dignus is, qui adhuc in agone verſatur; & ne laus, quæ raro modum tenet, laudato noceat, aut in adulationem migret. Quando autem aliquis laudandus erit, id parce fiat: ſiquidem, vt præclare ſcripſit Euripides, βάρος ἐστὶν αἰνεῖσθαι λίαν. id eſt, oneroſum eſt laudari valde. Quod ſi ex aliqua ſingulari virtute, vel re geſta ſumenda eſſet, vt ſepe in ſanctorum encomijs fieri ſolet, allatæ diſpoſitionis ratio prætermittenda erit. Et quoniam, vt ſcribitur, laudatio in eo potiſſimum ſita eſt, vt quædam perpetua ſit amplificatio; ideo laudator in amplificando deſudabit; cum in hoc genere re vera dominetur exaggeratio, quæ ex adiunctis, & ex attributionibus, circunſtantijſque ſumenda erit, vt alio dicetur loco. Ab attributionibus egregie diuus Bernardus Eugenium Pontificem Romanum, hunc in modum laudauit, Tu es ſacerdos magnus, & Pontifex ſummus: tu princeps Epiſcoporum: tu hæres Apoſtolorum: tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aarõ, auctoritate Moſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus: tu es cui claues traditæ ſunt. Quanto melius, & religioſius erga Romanum Pontificem hic ſanctus vir ſe geſſit, quam impius Caluinus, qui tamen aliquando Bernardum laudauit?

In Oreſt.

Põtif. Rom. laus.

Quod ad Confutationem attinet, hic nulla fere intercedit; ſed ſi quæ laudatur perſona aliquid peccaſſet, id, vel omitti poterit, vel purgari, & excuſari debebit: vt ſi quis laudaret Dauidem, qui aliquando peccauit, pro quo Ambroſius apologiã ſcripſit. Similiter ſi quis Petri laudes, qui Chriſtum negauit, proſequi vellet.

De Epilogo, Epilogus breuiter dicta colliget, gratulationem, acclamationemque, admirationemque continebit, & ad imitationẽ, ac deſiderium excitabit,

Perſonę

Perſonæ quæ ab Oratore Chriſtiano laudantur, ſunt fere iſtę. Deus, Chriſtus, beata Virgo, Angeli, Sancti, & qui ſunt vita functi: atque interdum ij qui adhuc in terris agunt, & præſertim ſi aliquo dignitatis gradu ſint inſigniti.

Si factum laudãdum ſumatur, exordium duci poterit a rei magnitudine, difficultate, nouitate, &c. Quod ſi fuerit notum, nulla erit opus narratione: ſi ignotum, breuiter exponendum erit, vt ea demonſtrentur, quæ in eo ſunt laude digna: Et narratio interdũ exordij locum poterit obtinere, ſicut etiam propoſitio. Quod ſi factum plura habebit capita, & ſi de eo plura erunt dicenda, breuis ſequetur partitio.

De Confirmatione, ij loci erunt ſumendi, qui rei dignitatem, magnitudinem, honeſtatem, vtilitatemq; demonſtrent, qui ſunt fere iſti: Honeſtum, & eſt id quod naturæ legibus, & morib. eſt cõſentaneum: & id quod a virtutibus proficiſcitur: ad quod, fas, æquum, laudabile, & glorioſum reuocantur. Vtile & commodum, quod continet omnia quæ ad priuatum atque commune bonum retinendum, & ad vitam conſeruandam cõferunt. Neceſſarium, & eſt id ſine quo ſalui eſſe nõ poſſumus. Facile, difficile, nouitas, raritas, & magnitudo: & denique cauſſa cur factum fuerit. His itaque & alijs ſimilibus locis, res geſta laudari poteſt.

Ad factum amplicandum circunſtantiæ potiſſimum conferunt; quæ ſunt, Quis, quid, quibus, vbi, quando, quomodo, & quamobrem. Vt quis patitur? Dei Filius: Quid? atrociſſimos cruciatus: A quibus? ab ijs quos innumeris beneficijs affecerat, ad quos ſaluandos venerat: Vbi? in loco frequentiſſimo, & vbi facinoroſi puniri ſolent: Quando? ſolenni tempore: Quomodo? tanquam agnus coram tondente, ab omnibus derelictus: Quamobrem? ob Dei gloriam, & totius humani generis ſalutem.

Facta autem quę laudanda ſuſcipiuntur debent eſſe illuſtria, rara, noua: vt factum Ruth, Iudith, Abrahæ de filij immolatione, *Cap. 44.* ſanctorum martyria, & alia id genus; quorum multa exempla in Eccleſiaſtico videre licet.

Hic nulla eſt neceſſaria cõfutatio, niſi fortaſſe in facto aliquid eſſet, quod reprehenſione dignum videri poſſet; vt in facto Abrahæ, quod ſeruis dixerit, ſe rediturum cum filio, quem erat necaturus: qui tamen, de eius reſtitutione in vitam, ſpem certam habe- *Gen. 19.* bat: & in hoſpitalitate Loth, quod filiarum abuſum propoſuerit, quod tamen factum recte ab omni calumnia defendi poteſt; vt libro de Reſtitutione diximus.

Peroratio

Peroratio, illuſtriores locos cum aliqua amplificatione, admiratione, & approbatione repetet; & ad imitationem excitabit.

Quod attinet ad rerum demonſtrationem, eadem fere eſt diſpoſitio. Exordium ſumi poterit a rei vtilitate, dignitate, nouitate, ſiue ab aliquo adiuncto temporis, loci, & perſonarum, in quo potiſſimum attentio & beneuolentia pro rei de qua agitur natura, captanda erit. Et quoniam hic nulla eſt neceſſaria narratio, eius loco adhibebitur aliquis breuis ingreſſus ad propoſitionem, & partitionem, ni ab his exordium capiatur.

Quod vero ad locos confirmationis attinet, rerum laudandarum loci potiſſimum ex rebus ipſis ſumendi erunt; a cauſſis, ab attributis, ab effectis, ab omnibus circunſtantijs: Et, in ſumma, tã in rebus, quam in factis, & perſonis laudandis plurimum valent comparatorum, ſimilium, & contrariorum loci.

Laudantur omnes virtutes, artes, & ſcientiæ: item loca, vt montes, flumina, valles, animalia, arbores, ædes, ciuitates, & id genus alia. Sapiens laudauit ſapientiam, Paulus fidem, & caritatem, Dauid ſæpiſſime Ieruſalem a ſitu, a rerum copia, a religione, a viris illuſtribus, a gloria, a beneficijs diuinitus acceptis, & a pace. Ezechiel mirifice Tyri laudes proſequutus eſt, vt ea laudatione artificioſius poſſit fieri nihil. In Iobo multarum rerum, & præſertim quorundam animalium illuſtres inueniuntur deſcriptiones & laudationes. Gentium Deos varijs in locis in diuinis literis elegãtiſſime vituperatos inuenies. Nos, quantum Deus nobis conceſſit, ex diuinis literis Virum iuſtum, alias ignobilem, infirmum, nudum, in ſtercore iacentem, & toto corpore deformem, centum capitibus laudare conati ſumus: cuius tamen laudes humana lingua inexplicabiles eſſe varijs in locis teſtatum reliquimus. Quod opus qui legeret, & attente conſideraret, videret profecto non eſſe difficile de Sanctorum laudibus conciones habere; cum tamen multi non multum libenter in hoc genere verſentur; quod nullos ſermones iſtis moleſtiores & difficiliores putent: qui, ſi a locis communibus eſſent inſtructi, & amplificandi rationem, quæ in hoc genere dominatur, non ignorarent, non omnino hãc prouinciam difficilem eſſe exiſtimarent: & adhuc multo faciliorem, ſi diuino lumine illuſtrati (ſine quo diuina videri nequeũt, ſicuti nec ſol ſine eius luce) viderent quæ dona, quæ priuilegia, quæ chariſmata Deus ſuis amicis donauerit, quibuſque fauoribus, & officijs eos affecerit; quorum magnitudine perſpecta, in-

Heb. 11.
Pſ. 86. 121. & 147.
Abac. vlt.
Pſal. 111.

hanc

Pſal. 67. hanc vocem prorumperet, Mirabilis eſt Deus in ſanctis ſuis: & vna cum Regina Saba, famulis, famulorum ordinibus, veſtibus, officijs, & denique totius regiæ Salomonis magnifico & admirabili apparatu perſpecto, ſtupore affecti, ſpiritum vltra non haberent.

Et vt rem conſideratione dignam ob oculos ponam, aliquot locos ex Centuria de Viro iuſto, quam iunior in lucem dedi, breuiter ſubijciam. Quis ergo potentiam, ſapientiam, bonitatem, caritatemque Dei non admiraretur? ſi conſideraret, Dei munere, Virum iuſtum eſſe vere diuitem, vere illuſtrem, vere ſapientem, impauidum, omnipotentem, mundi monarcham, cœleſtem ciuem, æternæ gloriæ hæredem, Dei filium, Dei delitias, eiuſdē templū, Spiritusſancti ſacrarium, omnia eius cauſſa creari, conſeruari, nihil eo maius reperiri poſſe, nihil ei nocere, omnia ei inſeruire, & denique, ne centum capita commemorem, in Deo eſſe, viuere, & moueri, regnumque Dei in ſeipſo habere. Si itaque, vt hoc caput concludam, Concionatores tanto eſſent lumine illuſtrati, vt dona quę Deus ſuis amicis & filijs impertiuit, peruiderent, libenter in hoc ampliſſimo de laudibus ſanctorum campo, in quo fuſe lateque licet excurrere, verſarentur, & diuinæ bonitatis & maieſtatis laudandæ, magis quam ab vllis alijs creatis rebus, occaſionem ſumerent: nec vllus dubitaret, an ſanctorum miracula in cōcionibus ſint narranda, quod ſint ad auditorum vitam inſtituendam minus accommodata; cum ad diuinam maieſtatem celebrādam ampliſſimam materiam præbeant. Qui autem vel ad perſonas, vel ad facta, vel ad res vituperandas conferant loci, ſi ex contrarijs contraria intelligere licet, ex dictis facile cognoſci poſſunt.

De locis generis Laudatiui ante vitam. *Cap. VIII.*

QVI laudationi inſeruiunt loci, diuerſe a diuerſis ſcriptoribus ad certa capita reuocari ſolent: nobis eorum ratio placet, qui horum locorum tres ſtatuunt ordines: in quorum primo perſonarum, in ſecundo factorum, in tertio rerum ponuntur loci: Omnia enim quæ laudari ſolent, ad tria genera reuocantur: quæ ſunt, perſonæ, vt Deus, Angeli, homines: facta & geſta; vt Dauidis monomachia contra Goliath, Machabæorum bella, Fratrum Ioſephi crudelitas, Petri & Magdalenæ lacrymæ: aut res, vt, lex diuina,

ſapientia,

ſapientia, ciuitas, Ieruſalem, ſol, aliæque præſtantiores creaturæ: Et quidem nos perſonarum locos, diligenter proſequemur, alios vero leniter attingemus. Omnes aut laudationis loci ex vno fonte manarunt, nimirum ex adiunctis perſonarum, factorum, & rerum.

Porro, perſonæ loci varie tractari & recenſeri ſolent. Quidam eos reuocant ad tria bonorum genera; ad bona animi, & corporis, & fortunæ: alij ad ſingulas ætates: alij vero ad ea quæ conſiderantur ante natiuitatem, in natiuitate: ad ea quæ ſpectantur in vita; & ad ea quæ vitam conſequuntur. Atque hunc fere ordinem nos ſequemur, quem ij obſeruare ſolent, qui alicuius vita functi laudes proſequuntur. Rem igitur aggredientes, eos hoc capite enumerabimus, qui ante vitam & in natiuitate ſpectantur.

Ante vitam conſideratur nobilitas gentis, ciuitatis, familiæ, ſiue natio, patria, & parentes, & ſi quæ ante natiuitatem præceſſerunt prædictiones, ſiue præſenſiones, aut vaticinia.

A genere, vel populo, & natione laudares Apoſtolos, quod ex gente Hebræa olim omnium antiquiſſima, & nobiliſſima originem duxerint. Huc pertinet illud Pauli, Hebræi ſunt, & ego: Iſraelitæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego: atque etiam illud, Cretenſes ſemper mendaces. *2. Cor. 11.*

A familia & patria Christus dominus, beatiſſima Virgo, vt ex eorum genealogia patet, laudari poſſunt, & in ſacris literis laudantur. Huc referres illam fidelium laudem, Quod ſint ciues ſanctorum & domeſtici Dei: & hanc vituperationem, Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: Pater eius Amorrhęus, & mater tua Chethæa: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Vos ex diabolo eſtis: genimina viperarum: Et contra, Nos Dei genus ſumus, filij excelſi. *Matt. 1.* *Ezech. 16.* *Ioann. 1.* *Act. 17.*

Eſt & alius locus a conceptione; ex quo, ſi de puris loquamur creaturis, beatiſſimam Virginem diuina celebrat ſcriptura, cum de ea ait, Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Contra vero omnes vituperares mortales, quod aliquando fuerint inimici Dei, & peccato ſubiecti. Huc pertinet locus a ſanctificatione in materno vtero; vnde Ieremias & Ioannes Baptiſta laudantur. *Cant. 4.* *Ierem. 1.*

A prænotionibus & ſignis natiuitatem præeuntibus laudares Chriſtum, ſacratiſſimam Virginem, & nonnullos ſanctos, quorum natiuitas pręmonſtrata fuit; vt Deiparę in arca fœderis, in rubo Moſis, in throno Salomonis & in multis alijs figuris.

In na-

dum, audacem, lætum, mæſtum, & aliæ. Horum locorum exempla ſuppeditat Canticorum liber; dum, vel ſponſa ſponſum, vel ſponſus ſponſam a bonis corporis myſtice commendat. Pulchra es amica mea, oculi tui columbarum, genæ tuæ turturis, collum tuum monile, manus tornatiles, venter eburneus: crura illius columnæ marmoreæ: Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliẽs colles, &c. Et regius Vates de Meſſia, Specioſus forma præ filijs hominum. Laudatur Moſes, quod fuerit omnium mitiſſimus: vituperatur populus Hebræus, quod fuerit duræ ceruicis: Et Sapiẽs de ſe loquens, Puer eram ingenioſus: & ſortitus ſum animam bonam: de quo Eccleſiaſticus laudator loquendo ait, Poſt ipſum ſurrexit filius ſenſatus, &c. Hinc petita eſt ratio illa apud Dauidem, Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via: & illa diuina laus, O quã ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus. Sed de hoc ordine locorum hactenus. *Pſal. 44.* *Sap. 8.* *Sap. 12.*

De locis generis Laudatiui in vita. Cap. VIIII.

LAVS ab ijs bonis ſumpta, quæ de nouo in vita, vel inſtitutione, vel ſtudio, & arte acceſſerunt, vel diuinitus data ſunt, primum ſpectatur in educatione, vbi, a quo, quomodo, & quibus moribus aliquis educatus fuerit. Hoc loco vſus eſt Paulus cum dixit, ſe nutritum educatumque fuiſſe in veritate paternæ legis ſecus pedes Gamalielis: & Iobus de ſe loquendo, cum dixit, Quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Hinc etiam laudatur Suſanna, Parentes enim illius cum eſſent iuſti, erudiuerunt filiam ſuam ſecundum legem Moſis. Et nos in Centuria de Viro iuſto, eum laudauimus, quod pro pedagogo & magiſtro Deum habeat. *Act. 22.* *Cap. 31.* *Dan. 13.*

Sed iam de virtutibus dicamus, a quibus maior ac ſolidior ſumitur laus: quas etſi vel vniuerſe attingere, aut numerare ſatis eſſet; tamen facilitatis cauſſa aliqua ſubijciemus exempla. Et vt a virtutibus diuinitus conceſſis initium capiam, virtutes cœlitus largitæ, ob quas ſpeciatim homines in ſacris libris laudantur, ſunt tres virtutes Theologales, Fides, Spes, & Caritas, cui neceſſario annexa eſt gratia, qua homo in ſtatu quodam diuino, & ſupernaturali conſtituitur. Huc accedunt ſeptem Spiritusſancti dona, Donum intellectus, ſapientiæ, ſcientiæ, conſilij, fortitudinis, pietatis, & timoris: quas virtutes & dona libro ſecundo de In- *Iſa. 11.*

uentione

nentione explicata inuenies. Huc etiam pertinent charismata iſta quæ gratis data vocantur; quæ in priore ad Corinthios numerauit Paulus. Donum fidei, ſapientia, ſermo ſcientiæ, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, donum linguarum, & interpretatio ſermonum: qui loci ſunt diuino Concionatori proprij, ſicuti & his contrarij.

Cap. 12.

A gratia laudatur Chriſtus, Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis plenum gratiæ & veritatis: Aue gratia plena. A caritate, De omni corde ſuo laudauit Dominum, & dilexit Deũ, qui fecit illum: Remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum. A ſpe mirifice Paulus laudauit Abrahamum, cum de eo, Cõtra ſpem in ſpem credidiſſe affirmauit: & de viro iuſto dicitur; Paratum cor eius ſperare in Domino. Idem Abrahamus ex virtute fidei ſummam ac perpetuam meruit laudem, & titulum illũ illuſtrem, Pater credentium: vt qui fide dedit gloriam Deo: ex qua virtute ex profeſſo in epiſtola ad Hebreos multos iuſtos viros laudauit Apoſtolus: qui locus eſt omnino legendus.

Ioan. 1. Ecci. 47. Rom. 4. Rom. 4.

A donis Spiritusſancti hæ ſumuntur laudes, Per fidem vicerũt regna: obturauerunt ora leonum: conualuerunt de infirmitate: fortes facti ſunt in bello: Os iuſti meditabitur ſapientiam, lingua eius loquetur iudicium: in verbis ſuis monſtra placauit: Loquebãtur varijs linguis magnalia Dei: Et ſurrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat: verbo Domini continuit cœlum, qui ſuſtulit mortuum ab inferis. Pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni libro & ſapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum; & ſomniorũ. Et de viro iuſto, Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.

Heb. 11. Ecci. 48. Dan. 1. Ecci. 15.

Sequuntur in bonis animi virtutes humana cura acquiſitæ quarum aliæ cognitionis, aliæ actionis nominantur. prioris generis ſunt, habitus principiorum, ſapientia, ſcientia, prudentia, ars, & varia ſcientiarum & artium genera. Et impletus eſt quaſi flumine ſapientia, & terrã retexit anima ſua. Huc pertinet maxima illa Salomonis laus, quod ſciuerit diſputare a Cedro quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete, ideſt a rebus maximis vſque ad minimas: & hæc alia Moſis, Et eruditus eſt Moſes omni ſapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus. Ab eloquentia, Diffuſa eſt gratia in labijs tuis: Verbis meis, (de ſe loquitur Iobus) addere nihil audebant; & ſuper illos ſtillabat eloquium meum, & quæ ibi ſequuntur; vbi diſerte ſuam facundiam

Ecci. 47. 3. Reg. 4. Act. 7.

condiam commendat vir ſanctiſſimus:vnde multos ad laudandũ
locos colligere licet.Nec ei vitio dandum eſt,quòd ſeipſum lau- *Opuſ. de hac*
daret;cum id honeſte fieri poſſe Plutarchus aliquando docuerit. *re.*
Ex hoc loco vituperantur impij ſiue ignorantes iudices & magi-
ſtratus,de quibus dicitur,Neſcierunt, neque intellexerunt,in te- *Pſal. 81.*
nebris ambulant:Heccine reddis Domino popule ſtulte & in- *Deut. 32.*
ſipiens?

Virtutes actionis ſiue motum ſunt illæ, ob quas proprie boni
nominamur:quarum quattuor ſunt genera, Prudentia,iuſtitia,
fortitudo,temperantia; quæ ſub ſe multas debent partes citato li
bro recenſitas & explicatas, locum conſule: hic ſolum aliquot
exempla ſubijciam.A prudentia & conſilio,Prudentius ſe gere- *1. Reg. 18.*
bat Dauid,quam omnes ſerui Saul,& celebre factum eſt nomen
eius: Cogitationes iuſtorum iudicia, & conſilia impiorum frau-
dulenta. A iuſtitia mirum in modum Iobus ſuas amplificauit
laudes:Iuſtitia indutus ſum,& veſtiui me ſicut veſtimento & dia-
demate iudicio meo. Contra,ab iniuſtitia mirifice vituperauit *Cap. 29.*
homines impios,Subuerterunt pauperum viam,& oppreſſerunt
pariter manſuetos terræ,&c. Lege amplificationem pulcherri-
mam.

Sub iuſtitia hæ continentur partes. Religio in Deum,pietas
in parentes & patriam,obſeruantia,gratia,veritas, vindicatio,li-
beralitas,& nonnullæ aliæ,a quibus in ſacris libris viri iuſti lau-
dantur. A religione recte Eccleſiaſticus Orator commendauit
Aaronem,qui de omni corde ſuo laudauit Dominum: a veritate
Samuelem,Cognitus eſt in verbis ſuis fidelis,&c. A pietate lauda *Cap. 10.11*
res Tobiam ſilium,qui ſingulari pietate parentes coluit, vt qui
erat filius optimi viri,& iuſti,& timentis Deũ,& eleemoſynas fa-
cientis. Huc pertinet illud,Tunc ſumens Tobias de felle piſcis,li-
niuit oculos patris ſui,&c. Ab obſeruantia & amicitia Ionatham
& Dauidem. A liberalitate,de viro iuſto dicitur, Diſperſit, dedit *Pſal. 111.*
pauperibus:iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi:Et de Tobia, *Cap. 1.*
Eſurientes alebat,nudiſque veſtimenta præbebat,&c. A fortitu-
dine,Fortis in bello Ieſus Naue: quam gloriam adeptus eſt in
tollẽdo manus ſuas,& in iactando contra ciuitates rõpheas, &c.
De Dauide dicitur,Cum leonibus luſit,quaſi cum agnis. Huic
virtuti ſubijcitur magnificentia,magnanimitas, fidentia,patien-
tia,ac perſeuerantia. A duabus poſterioribus virtutibus Iobus &
Tobias immortalem laudem ſunt conſequuti, & in exemplum
poſteris dati:ideo de Tobia legimus, Nam,cum ab infantia ſua

K ſemper

ſemper Deum timuerit,& mandata eius cuſtodierit,non eſt contriſtatus contra Deum,quod plaga cæcitatis euenerit ei : ſed immobilis in timore Dei permãſit,agens gratias Deo omnibus diebus vitæ ſuæ. A tempetantia,ſeu moderatione vitæ, Chriſtus laudauit Ioannem,quod tenuiſſimo vteretur cibo. Atq; idem de cæteris virtutibus diceres.

Sumuntur poſtea alij loci a genere vitæ, & a ſtudijs quib. homines delectantur ; vt quod aliquis ſit miles, agricola,paſtor,ſacerdos,voluptuarius,frugi, & ſic deinceps. A vita paſtorali,vt ab honeſtiſſimo viuendi genere olim viri etiam illuſtres laudabantur:a ſtudio militari Ioſue & Dauid commendantur, vt a ſacerdotali Aaron.

Ducuntur etiã non raro laudationes ac vituperationes a qualitate perſonæ;vt,quod aliquis ſit rex,dominus,ſeruus, diues,pauper,ciuis,extraneus,notus,ignotus,publicus,priuatus; vt ecce, *Sap. 9.* Ego ſeruus tuus,& filius ancillæ tuæ: Ego ſum pauper & dolens. Huc reuocares locos a qualitate corporis; quod aliquis ſit ſanus, æger,mœſtus,hilaris,ſedeat,iaceat,& ſic de alijs :Cucurrit aduer- *Iob 15.* ſus eum erecto collo,& pingui ceruice armatus eſt. Operuit faciem eius craſſitudo,& de lateribus eius a ruina dependet. Ab habitu corporis elegantiſſime Eccleſiaſtes deſcripſit ſene- *Cap. vlt.* ctutis ſtatum.

De cæteris locis generis Laudatiui. Cap. X.

QVI reſtant perſonarum loci, eos hoc vno capite cõplectar:in quo de laude a bonis externis ſumpta, & ab ijs quæ in morte & poſt mortem cõſequuta ſunt agetur. Bona externa partim in aliorũ animis poſſidentur;vt ſunt,honor,fama,& gloria:partim in rebus ipſis; vt opes, diuitiæ, clientelæ,amici,affines,& id genus alia, ob quæ homines potentes & diuites vocantur. Huc referres gratiam,fauores,& beneuolentiam.

Phil. 2. Ab honore laudauit Paulus Chriſtum,cum dixit,in eius nomine omne genu flecti,cæleſtium,terreſtrium,&infernorum;& omnem linguam eum confiteri. Ex his locis ſæpe Eccleſiaſticus laudator antiquorum patrum præſtantiam & dignitatem demonſtrauit;vt cum dixit, Seth & Sem apud homines gloriam adepti ſunt:Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarij,& quæ apud ipſum ſequuntur : Dilectus Deo & hominibus

Moſes, cuius memoria in benedictione eſt: Glorificauit illum in conſpectu Regum: circa illum corona fratrum, & quaſi plantatio cedri in monte Libano. De viro iuſto dictum eſt, Gloria & diuitiæ in domo eius: Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ: De Beata Virgine, Benedicta tu in mulieribus: & ipſa de ſe, Beatam me dicent omnes generationes: Deniq; vniuerſe de omnibus viris iuſtis, Homines diuites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in domibus ſuis. Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum; & ſunt quorum non eſt memoria: perierunt quaſi qui non fuerint, & nati ſunt quaſi non nati, & filij ipſorum cum ipſis, & quæ in ſacro codice ſequuntur. *Pſal. 111.* *Luc. 1.* *Eccl. 44.*

Pulcherrimam deſcriptionem opulentis hominis a bonis externis ſumptam habes apud Dauidem pſalmo centeſimo quadrageſimotertio, a filiorũ multitudine & pulchritudine, ab annonæ copia, ab animaliũ fęcũditate, & deniq; a ſumma quiete & pace. Huic ſimilem amplificationem & admirabilem deſcriptionem humanæ felicitatis a bonis externis ſumptam, lege apud Iobum, capite vigeſimoprimo, Semen eorum permanet coram eis, & quę ſequuntur. Mirificis etiam verbis ſuam felicitatem deſcripſit Iobus, cum dixit, Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, &c. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei. Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi, &c. Alibi elegantiſſime ſuam deſcribit miſeriam, Ego ille quondam opulentus, repente contritus ſum, &c. Eſt & alius locus omnino legendus, vbi ornatiſſime ſuum afflictum ſtatum ob oculos ponit: Semitam meam circumſepſit, & trãſire non poſſum, & in calle meo tenebras poſuit. Spoliauit me gloria mea, & abſtulit coronã de capite meo, &c. Quod ad diuitias & bona fortunæ, vt vocant, attinet, laudantur homines, quod illis bene vſi ſint, vt Tobias, vt Iobus fecęre: &, ſi his caruerunt, quod conſtanti animo tulerint, vt ijdem. *Cap. 19.* *Cap. 19.* *Cap. 29.* *Cap. 4.*

Et quoniam honor & gloria rebus bene geſtis acquiruntur, huc reuocare licet laudem a factis illuſtrib. ſumptam: quo loco Eccleſiaſticus Orator in illo ſuo illuſtrium virorum panegyrico ſępe vtitur; vt cum ait, Aut non in ira eius impeditus eſt ſol, & vna dies facta eſt quaſi duo? Nunquid non occidit gigantem, & abſtulit opprobrium de gente? Verbo Domini continuit cœlum: Qui ſuſtulit mortuum ab inferis, &c. Et de Iuda Machabæo, Et dilata

uit gloriam populo ſuo,& induit ſe lorica ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica ſua in prælijs,& protegebat caſtra gladio ſuo.
1.Mac.3. Similis factus eſt leoni in operibus ſuis,& ſicut catulus leonis rugiens in venatione,& quæ in ſacra pagina ſequuntur. Varijs in
Cap.5.9.38 locis in diuinis literis diuina maieſtas egregie ex operibus laudatur; & ſpeciatim apud Iobum & Dauidem obſeruare licet.

Ad res geſtas referuntur ſapienter dicta, conſilia, fortuna, ca-
Cap.21. ſus. Vituperatur impius a Dauide, quod in corde ſuo dixerit, Nõ eſt Deus:& apud Iobũ, Qui dixerunt Deo, recede a nobis,& ſciẽtiam viarum tuarum nolumus.

Ab ijs vero quæ in morte ſpectantur, hæ ſumuntur laudes, Et in morte mirabilia operatus eſt:& mortuum prophetauit corpus eius: Nemo natus eſt in terra qualis Enoch: nã & ipſe raptus eſt a terra: Qui receptus eſt in turbine ignis,& in curru equorum i-
Sap.4. gneorum. Corpora eorum ſepulta ſunt in pace,&c. Placens Deo factus dilectus,& viuens inter peccatores tranſlatus eſt. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius: aut ne fictio deciperet animam illius. Lege locum ſingularem ad laudandum virum iuſtum a tempore mortis.

Ab ijs quæ poſt mortem ſunt conſequuta, quo referuntur, relĩcta monumẽta, iſtituta opera, bona proles, honores habiti,& laudes poſt obitum tributæ. Huc pertinet laus illa iuſtorum ab iniu-
Sap.5. ſtis hominibus eis conceſſa. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum,& in ſimilitudinem improperij: & eorundem contra ſe vituperatio. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam,& finẽ illorum ſine honore: ecce quomodo cõputati ſunt inter filios Dei,& inter ſanctos ſors illorum eſt,&c. Oſſa, inquit Eccleſiaſticus laudator, ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt; Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi
Iob vlt. laudes eorum: Hæreditas ſancta nepotes eorum: Non ſunt inuentæ mulieres ſpecioſę ſicuti filię Iob in vniuerſa terra: Et Neemias in memoria multi temporis: Qui erexit nobis muros euerſos: Ezechias muniuit ciuitatem ſuam: induxit in medium ipſius aquã: & fodit ferro rupem,& ędificauit ad aquam puteum. Et hactenus de laudationis locis: de quibus legendus eſt ſecundus de Inuentione oratoria liber, & de quæſtionibus oratorijs alter: vbi ad multas res laudandas priuatos recenſuimus locos: quos qui cõgnoſcere voluerit, citatum librum conſulat.

Huius generis multa in diuinis literis extant exempla, &

primum ſingularis & admirabilis ille panegyricus multorum il luſtrium virorum qui in Eccleſiaſtico, a cap. quadrageſimoquarto, ad quinquageſimumprimũ vſq; habetur. Hunc itaq; in modũ diuinus ſcriptor diuino afflatus ſpiritu ſuum aggreditur panegyricum. Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua, & quæ ibi ampliſſime & ornatiſſime ſequuntur. Idem, virum ſapientem laudibus proſequutus eſt. In eodem libro diuina ſapientia copioſe & diſerte ſeipſam commendauit, Sapientia laudabit animam ſuam, & in Deo honorabitur, &c. vbi propoſito exordio, his verbis aggreditur confirmationem, Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita, &c. Eodem libro, capite vigeſimo ſexto laudatur mulier bona: & quadrageſimotertio mulier mala vituperatur. Habes etiam in Prouerbijs ornatiſſimam mulieris bonæ laudationem, Mulierem fortem quis inueniet? procul de vltimis finibus pretium eius, &c. Laudatur varijs in locis vera ſapientia, ſed priuatim in toto fere libro, qui Sapientia inſcribitur: ad cuius imitationem nos librum Fontis Vitæ & Sapientiæ iuniores confecimus. Commendatur mirifice & ornatiſſime Fides a diuo Paulo in Epiſtola ad Hebræos. Dauid in multis pſalmis diuinum numen celebrat, vt in 102. & 103. diuinam legem; vt in 18. & 118. qui pſalmus miro artificio, & eloquentia confectus eſt: Quibuſdam in locis Virum iuſtum, & priuatim in Pſalmo 111. Similiter Chriſti perſona, geſta, & triumphus ab eodem laudantur; vt in pſalmo ſexageſimoſeptimo, & centeſimo decimoſeptimo. In ijſdem Pſalmis frequentes ſunt gratiarum actiones, quæ ad hoc genus pertinent; vt in Pſalmo centeſimo duodecimo & centeſimo vigeſimo quarto. Libro ſecundo Regum capite primo, Dauid Saulis & Ionathę epicedium fecit. Habes etiam admirabilem orationem huc pertinentem apud Tobiam capite decimotertio: & in primo Machabæorum pulcherrimum encomium populi Romani. Et denique, ne plura exempla formarum ſiue partium huius generis recenſeam, huc pertinent Cantica fere omnia, quę in diuinis literis leguntur. Quod ſi quis de me quæreret, quænam ſub hoc genere contineantur partes, eum ad ſecundum de Quæſtionib. oratorijs librum reijcerem, vbi hac de re ſcripſi, & ſingulorum generum multas formas numeraui.

Cap. 48. *Cap. 39.* *Cap. 24.* *Cap. 31.* *Cap. 11.* *1. Par. 29.* *Iudic. 5.*

De diſpoſitione concionum generis Iudicialis, ſiue accuſatorij. Cap. X.

NON me latet eſſe quoſdam, qui de arte concionandi ſcribendo, nihil de hoc genere ſibi dicendum putarunt: vel quod Chriſtiano oratori nõ ſit ſubiectum; vel quod rariſſime in eo verſetur. Nos vero aliquã huius generis cognitionem noſtro Eccleſiaſti neceſſariam eſſe omnino exiſtimamus.

Primum quidem, quod ad diuinas literas recte intelligendas & explicandas multis in locis eius notitia omnino requiritur; quod multis exemplis demonſtrari poſſet: a quib. ideo abſtineo, quod rem affirmem penitus manifeſtam. Deinde, quia vel accuſandi, vel defendendi cauſſæ ſæpe occurrere poſſunt; vt ecce, occaſio defendendi aliquem pium & catholicum doctorem, vt accidit in apologijs: vel aliquam priuatam religionem, vel eccleſiæ prælatos, his præſertim temporibus; & denique vniuerſam Chriſtianam remp. & doctrinam aduerſus improbos calumniatores: in cuius defenſionem olim antiqui & eloquentes Patres integros libros ſcripſerunt; vt Quadratus, Iuſtinus, Theodoretus, Cyrillus, Tertullianus, Lactantius, Arnobius, & alij. Deniq;, vt alias huic generi ſubiectas partes omittam, quæ non raro occurrere poſſunt, etiam accuſandi occaſio ſeſe offerre poteſt; in aliquo præſertim concilio, ſynodoue. Quare, ſi quid priuatim de hoc genere ſcripſerimus, non omnino operam ludemus.

Quod igitur ad huius generis orationes diſponendas attinet, ſi de partibus orationis diſtribuendis loquamur, nihil occurrit dicendum, præter ea, quæ de Diſpoſitione ſupra vniuerſe diximus: cum quæ ibi dicta ſunt, priuatim huic generi inſeruiant.

Adhibendum eſt itaq; Exordium; quæ pars ſpeciatim eſt huic generi neceſſaria: vbi ea erunt præſtanda officia, quæ cauſſa ipſa poſtulabit: beneuolentia a perſonis, attentio a rei magnitudine, ac põdere, & docilitas a rei explicatione petẽda eſt. Si cauſſa erit honeſta per ſe faciet auditorem beneuolum: ſi turpitudinis ſpeciem habebit, beneuolentia & attentione opus erit: ſi obſcura docilitate, vt ſupra docuimus.

Exordio ſubijcienda eſt Narratio, quę in hoc genere priuatim neceſſaria putatur. Rem ita Concionator exponet, vt fidei facienda ſemina ſpargat, cauſſæ ęquitatem demonſtret, & rem credibilẽ

reddat. Ex narratione naſcitur Propoſitio, in qua quid in controuerſiam veniat, plane explicare oportebit: cui, ſi opus fuerit, ſua ſubijcienda erit Partitio.

Confirmationis loci, quamuis in hoc genere omnes aliorum generum loci vſui eſſe poſſint; tamen pro ſtatuum ratione feligẽdi erunt. Si in coniectura verſabimur, duo præcipue loci animaduertendi ſunt, voluntas, & facultas. Voluntas continet impulſionem & ratiocinationem: impulſio omnes animi perturbationes, amorem, odium, iram, & alias, quæ ad aliquid faciendum impellunt: ratiocinatio, commoda & incommoda, & vniuerſe vtilitatẽ, & bonum, cuius appetitione homines ad multa perpetranda trahuntur. Vnde Caſſius, vt Cicero refert, in cauſſis iudicandis quærere ſolebat, Cui bono fuit? Ad voluntatẽ referuntur omnes perſonarum loci, Natio, patria, educatio, vitæ genus, & alij. Ad facultatem vero omnes circũſtantiæ, vt locus, tempus, occaſio, & aliꝗ, quę rem facilem fuiſſe demonſtrant: Item ſigna antecedentia, comitantia, & conſequentia. Ijdem loci vſui eſſe poſſunt defenſori, demonſtrando, non habuiſſe voluntatem, nec facultatem, &c. Huc denique pertinent loci quos inartificioſos vocant, Pręiudicia, rumores, teſtes, ſcripta, & iuramentum, quo vſus eſt Dauid ad probandum ſe non eſſe criminis reum, cum dixit, Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito, &c. Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, &c. poſtea iurando dixit, Sicut ablactatus ſuper matrę ſua, &c. Defenſor allatas rationes eo modo, quo ſupra diximus, ſoluet, ac etiam inuertet: & diſpoſitionis formam ab accuſatore ſumet. *Pſal. 7.*

Quod ſi ſtatus ſit finitiuus, poſito exordio, narratur factum, definitio cõfirmatur, & cum facto congruere demonſtratur: & quæ ſunt in contrarium rationes refelluntur: quibus confutatis, peroratur; ſed de hoc ſtatu late libro primo de Quæſtionibus oratorijs ſcripſimus.

Si ſtatus ſit qualitatis, ab attributionibus perſonarum & rerũ ſumuntur loci ad qualitatem amplificandam. Item, ex iuſto & eius partibus; vt ſunt, æquum, ratio naturalis, lex, conſuetudo, & pactum. Quod vero attinet ad qualitatis partes, nihil aliud volumus adſcribere, præter ea quæ ſupra de eis diximus. De hoc etiã ſtatu, & de omnibus eius partibus libro citato late diſſeruimus. Et quidem de hoc genere hec pauca dixiſſe ſufficiat: quibus addam aliquid de ea diſpoſitione, qua omnes nunc fere diuini

De diſpoſitione concionum generis Iudicialis, ſiue accuſatorij.
Cap. X I.

NON me latet eſſe quoſdam, qui de arte concionandi ſcribendo, nihil de hoc genere ſibi dicendum putarunt: vel quod Chriſtiano oratori nō ſit ſubiectum; vel quod rariſſime in eo verſetur. Nos vero aliquā huius generis cognitionem noſtro Eccleſiaſti neceſſariam eſſe omnino exiſtimamus.

Primum quidem, quod ad diuinas literas recte intelligendas & explicandas multis in locis eius notitia omnino requiritur; quod multis exemplis demonſtrari poſſet: à quib. ideo abſtineo, quod rem affirmem penitus manifeſtam. Deinde, quia vel accuſandi, vel defendendi cauſſæ ſæpe occurrere poſſunt; vt ecce, occaſio defendendi aliquem pium & catholicum doctorem, vt accidit in apologijs: vel aliquam priuatam religionem, vel eccleſiæ prælatos, his præſertim temporibus; & denique vniuerſam Chriſtianam remp. & doctrinam aduerſus improbos calumniatores: in cuius defenſionem olim antiqui & eloquentes Patres integros libros ſcripſerunt; vt Quadratus, Iuſtinus, Theodoretus, Cyrillus, Tertullianus, Lactantius, Arnobius, & alij. Deniq;, vt alias huic generi ſubiectas partes omittam, quæ non raro occurrere poſſunt, etiam accuſandi occaſio ſeſe offerre poteſt; in aliquo præſertim concilio, ſynodove. Quare, ſi quid priuatim de hoc genere ſcripſerimus, non omnino operam ludemus.

Quod igitur ad huius generis orationes diſponendas attinet, ſi de partibus orationis diſtribuendis loquamur, nihil occurrit dicendum præter ea, quæ de Diſpoſitione ſupra vniuerſe diximus: cum quæ ibi dicta ſunt, priuatim huic generi inſeruiant.

Adhibendum eſt itaq; Exordium; quæ pars ſpeciatim eſt huic generi neceſſaria: vbi ea erunt præſtanda officia, quæ cauſſa ipſa poſtulabit: beneuolentia a perſonis, attentio a rei magnitudine ac pōdere, & docilitas a rei explicatione petēda eſt. Si cauſſa erit honeſta per ſe faciet auditorem beneuolum: ſi turpitudinis ſpeciem habebit, beneuolentia & attentione opus erit: ſi obſcura docilitate, vt ſupra docuimus.

Exordio ſubijcienda eſt Narratio, quę in hoc genere priuatim neceſſaria putatur. Rem ita Concionator exponet, vt fidei faciendæ ſemina ſpargat, cauſſæ ęquitatem demonſtret, & rem credibilē

reddat.

reddat. Ex narratione naſcitur Propoſitio, in qua quid in controuerſiam veniat, plane explicare oportebit: cui, ſi opus fuerit, ſua ſubijcienda erit Partitio.

Confirmationis loci, quamuis in hoc genere omnes aliorum generum loci vſui eſſe poſſint; tamen pro ſtatuum ratione ſeligẽdi erunt. Si in coniectura verſabimur, duo præcipue loci animaduertendi ſunt, voluntas, & facultas. Voluntas continet impulſionem & ratiocinationem: impulſio omnes animi perturbationes, amorem, odium, iram, & alias, quæ ad aliquid faciendum impellunt: ratiocinatio, commoda & incommoda, & vniuerſe vtilitatẽ, & bonum, cuius appetitione homines ad multa perpetranda trahuntur. Vnde Caſſius, vt Cicero refert, in cauſſis iudicandis quærere ſolebat, Cui bono fuit? Ad voluntatẽ referuntur omnes perſonarum loci, Natio, patria, educatio, vitæ genus, & alij. Ad facultatem vero omnes circũſtantiæ, vt locus, tempus, occaſio, & alię, quę rem facilem fuiſſe demonſtrant: Item ſigna antecedentia, comitantia, & conſequentia. Iidem loci vſui eſſe poſſunt defenſori, demonſtrando, non habuiſſe voluntatem, nec facultatem, &c. Huc denique pertinent loci quos inartificioſos vocant, Pręiudicia, rumores, teſtes, ſcripta, & iuramentum, quo vſus eſt Dauid ad probandum ſe non eſſe criminis reum, cum dixit, Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito, &c. Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, &c. poſtea iurando dixit, Sicut ablactatus ſuper matrę ſua, &c. Defenſor allatas rationes, eo modo, quo ſupra diximus, ſoluet, ac etiam inuertet: & diſpoſitionis formam ab accuſatore ſumet. *Pſal. 7.*

Quod ſi ſtatus ſit finitiuus, poſito exordio, narratur factum, definitio cõfirmatur, & cum facto congruere demonſtratur: & quæ ſunt in contrarium rationes refelluntur: quibus confutatis, peroratur; ſed de hoc ſtatu late libro primo de Quæſtionibus oratorijs ſcripſimus.

Si ſtatus ſit qualitatis, ab attributionibus perſonarum & rerũ ſumuntur loci ad qualitatem amplificandam. Item, ex iuſto & eius partibus; vt ſunt, æquum, ratio naturalis, lex, conſuetudo, & pactum. Quod vero attinet ad qualitatis partes, nihil aliud volumus adſcribere, præter ea quæ ſupra de eis diximus. De hoc etiã ſtatu, & de omnibus eius partibus libro citato late diſſeruimus. Et quidem de hoc genere hęc pauca dixiſſe ſufficiat; quibus addam aliquid de ea diſpoſitione, qua omnes nunc fere diuini

verbi Præcones vtuntur.

Obtinuit itaque concionandi vſus, vt concio interrumpatur, & in duas diuidatur partes: quarum prima tres minores partes continet; Secunda vero duas. Proponitur itaque primum exordium, quaſi præludium ad totam concionem. Poſt exordium, interrupta aliquantulum oratione, ſequitur, vel narratio, vel præparatio quædam, & quaſi ingreſſus ad reliquam orationem. Additur plena & plana, ac diſtributa propoſitio. Hanc ſequitur confirmatio, in qua aliqui tractantur & explicantur loci: quam finis primæ partis inſequitur, & fere non fine aliqua contentione, & exaggeratione, animorumque commotione & epilogo. Hic abrumpitur oratio, & ad dandam eleemoſynam, vel ad aliquod bonum opus familiari oratione fideles Concionator hortatur.

Subſequitur altera pars, in qua primũ tractãtur quireſtãt loci: deinde totius cõcionis vel huius partis ſequitur epilogus. Quare; ſi nulla intercederet in Cõfirmatione interruptio, more oratorio, in quinque partes diſtributa eſſet oratio, vt omnes fere maiores orationes eſſe ſolent. In hoc genere totæ fere verſantur Prophetarum cõciones: Moſis querela & inuectiua in populum Hebręũ: Pauli defenſio in altera epiſtola ad Corinthios, Pſalmus quinquageſimus, & centeſimus quadrageſimusſecundus, & quidam alij. Diſputatio Iobi cum ſuis amicis, in qua iudex aſtitit Deus, reus Iobus, & accuſatores eius amici.

Cap. 11. 12.

De genere Didaſcalico, deque docendi ratione. Cap. XII.

QVAMVIS Chriſtianus Orator rarius orationem ſolũ docendi cauſa ſuſcipere debet; ad quod faciendum comparatum eſt genus illud, quod Didaſcalicon vocari diximus: tamen, cum accidere poſſit, ut populus præcipue dicendus ſit, vel in tota, vel in aliqua orationis parte, pręſertim quibuſdã in locis, & temporibus; propterea non erit inutile, ſi de ratione, qua hoc genus tractari debet, aliquid ſcribemus. Et quod attinet ad orationis partes, nihil ſpeciatim dicendum occurrit. Solum itaque methodum indicabimus, qua de re ſubiecta diſputari poſſit.

Lege li. 5 de Quæſt. orat.

Quando igitur alicuius rei plenior notitia tradenda erit, hac fere diſpoſitione, ſi thema fuerit ſimplex, vt de Fide, de cęremonijs, de religione, vti poterimus. Dicendum itaque erit de ipſius rei nomine: de rei exiſtentia, aut neceſſitate, ſi dubia ſit: de na-

tura, ſiue definitione, quæ rei genus & differentiam demonſtrat: de ſpeciebus & partibus per diuiſionem partitionemq; : de qualitatibus, proprietatibus, & accidentibus; quo reuocares etiam officium: de quattuor cauſſis, materia, forma, fine, & efficiente: de effectibus, ſiue operationibus: de ſimilibus, ſiue cognatis, & de conſequentibus, & adiunctis: de oppoſitis, & repugnantibus, paribuſque: & denique, de aliorum de re propoſita teſtimonijs: de quaprimum abſolute, tum comparate diſputandum erit.

Neque omnino huic methodo diſſimilis eſt illa, quam Philoſophi tradũt, dũ de vnaquaq; re quattuor quærẽda eſſe præcipiũt, An ſit, quid ſit, qualis & propter quid ſit. Prima nominis definitione ſoluitur: Secunda, naturam, genus, differentiam, ac partes manifeſtat: tertia omnes proprietates, & effectus: poſtrema cauſſas. Quare, ſi quis de aliqua virtute diſputaturus eſſet, primum de eius neceſſitate inquireret; quod ad quæſtionem, an ſit, refertur: deinde eius naturam aperiret, eam definiendo, per ſuum obiectum, atque ſubiectum, cauſſasve: Poſtea eius proprietates, & effectus exponeret: & tandem quibus rebus acquiri, & quib. cauſſis eius acquiſitio impediri poſſit, demonſtraret. *Ariſt. lib. 2 Poſt.*

Atq; eadem fere eſt alia methodus, qua docetur, quattuor quæſtiones de vnaquaque re fieri poſſe quæ ſunt, De genere, de definitione, de proprio, & accidente: vt ſupra ſcripſimus. Verum, prima diſpoſitio ad popularem intelligentiam eſt magis accommodata. Nec tamen neceſſe eſt, vt de quauis re omnes illæ quæſtiones demonſtrentur; cum aliquæ, vel omitti, vel leuiter attingi poſſint. *Lib. 2.*

Quod ſi thema fuerit complexum, vt, An bona opera ſint neceſſaria, an ſint meritoria, an ſola fides iuſtum faciat, an imagines ſint adorandæ, confugiendum erit ad locos communes, tum dialecticos, tum theologicos quos ſupra numerauimus & expoſuimus. Et quoniam populum apte docere non eſt omnino facile ad id prudenter præſtandum quaſdam non inutiles admonitiones ſubijciam.

Prima, non quodcunque dogma, ſeu fidei veritas coram populo tractanda eſt, ſed tantum ea quæ eſt ſcitu neceſſaria, & ad pietatem confert.

Secunda, pro ratione perſonarum, locorum, & temporum, hac vel illa ratione docendum eſt: ideo multa apud fideles, qui inter hæreticos verſantur, aut ſunt illis contermini congruenter tractari poſſunt, quæ alio in loco imprudenter tractarentur.

Tertia, vt vnius concionis tempus ſit breue, non omnia capita, nec omnes locos, qui explicari poſſunt Concionator proponat, aut explicare contendat; quoniam, vel multa intacta relinquet, vel conciſe, & confuſe, obſcureque explicabit, & concionē imperfectam habebit; quod ſæpe vſu venire ſolet: aut certe nimis longum faciet. Ea igitur ſibi proponat dicenda, quæ vna concione ſe commode docere poſſe exiſtimabit.

Quarta, vbi vnum caput tractauerit, gratia exempli, quid ſit fides, quid gratia, aliquam vtilitatem ad mouendum, corrigendum, conſolandum, Deumve laudandum inde hauriat: ne, ſi ſicce & ieiune docuerit, cōcio ſcholaſtica videatur diſputatio: qua concionandi ratione ſuperioribus annis omnes fere, ſed ſatis inepte, vti ſolebant. Meminerit ergo quid inter Concionatorem & doctorem interſit.

Quincta, qui populum docturus eſt, quantum fieri poteſt, locis vtatur proprijs, theologicis inquam, & Chriſtianis; qui, non modo ſunt magis certi, ſed etiam ad popularem ſenſum magis accommodati: ac etiam ijs regulis, quæ ad ſacras literas explicandas conferunt; vt, a typo ad veritatem: ab vna lege ad alteram: a litera ad ſpiritum: a capite, ad membra, & contra: a vaticinijs, a phraſi & modo loquendi diuinæ ſcripturæ: a verbis antecedentibus & conſequentibus, &c.

Sexta, in ſtatuendis dogmatis coram populo caute & explorate loquatur, ne quem ſcrupulum in eorum animos injciat: etſi fortaſſe aliquid minus recte dixerit, quod publica palinodia, aut certe explicatione, ſeu purgatione egeat, id efficere, nec pigeat, nec pudeat.

Septima, aſſeueranter & grauiter veritatem contra aduerſarios pronunciet, & confirmet, & leuioribus rationibus omiſſis, quæ maiores neruos habent, vrgeat: non remiſſe, non frigide, ſed cum ardore quodam veritatis retinendæ, & religionis conſeruandæ; ea ſemper ſeruata modeſtia, quæ Chriſti præconem decet. In hoc genere pſalmos nonnullos reponeres, & quaſdam epiſtolas canonicas, vel earum partes.

De me-

De Methodo in redarguendo ſeruanda. Cap. XIII.

QVANDO igitur concio non tam ad docendum, quã ad arguendum fuerit inſtituta, diſponendi ratio, vniuerſe loquendo, ab aduerſarij oratione ſumenda erit. Vt autem in hoc genere, quod magni momenti eſſe ſolet, ſe Concionator optime gerat, aliquid priuatim monere, non erit inutile.

Quamuis ergo maior concionis pars in redarguendo & refellendo, cum in hoc genere verſamur, conſumi debeat: tamen, falſitate profligata, aliquid pro veritate adijciendum erit: & ne concio ſit mera diſputatio, adhibeatur in fine aliqua animi commotio ad falſitatem abijciendam, & ad veritatem retinendam ab honeſto, ad vtili, a laudabili, & ab horum contrarijs, atque a bonorum & malorum finibus ſumpta. Aduerſariorum rationes proponantur fideliter; ita tamen, vt maiores eis non tribuantur vires, quam ab aduerſarijs tribuuntur: & in proponẽdo aliqua ſpargantur ſolutionum ſemina, ne auditorum animos aliqua parte occupent.

Loci ad redarguendum idonei ij ſumantur, qui ab aduerſarijs pluris fiunt; & ij quos auditores pluris faciendos exiſtimant, aut certe exiſtimare deberent; cuiuſmodi ſunt illi quos proprios vocamus. Quare; qui quoſdam locos, quos hæretici parui faciunt, ad eos redarguendos adducunt, parum ſtrenue decertant. Argumentorum ſolutiones ſint abſolutæ, perſpicuæ, ita vt ſua luce omnem falſitatis obſcuritatem tollant: & ſi plures ſuppetunt, plures afferantur; quorum poſteriores ſint anterioribus meliores.

Ad redargutionem is viam commode præmuniet, qui aduerſarij mores, artem, aſtutiam, ignorantiam, & peruerſitatem prius indicauerit, aut plane demonſtrauerit; vt ſi quis vellet Lutheri, aut Caluini ſophiſmata diluere: id quod antiqui Patres facere conſueuere.

Vbi ad ſolutionem ventum fuerit, non ſolum animaduertendum eſt, ſi quid peccatum ſit contra Dialecticorum regulas, & vt dici ſolet, in materia, vel forma, aut in vtraque, verumẽtiam, an argumentationes ſint contra regulas ad recte diuinam ſcripturã explicandam a Patribus traditas; quas qui non ſeruat, perperam ex diuino teſtimonio argumenta ducit. Videndum erit prẹterea, an ſumpta ſint falſa, an dubia & ambigua; quæ conſequutionis

vis;vt id in argumentatione reprehendatur, quod eſt reprehenſione dignum. Preterea, argumenta eleuari poſſunt, oſtendendo non decere hominem, cuius cogitationes ſunt infirmæ, religionem ſuis argutijs velle labefactare, & ſacra myſteria ſubtilius diſcutere & examinare, & ſuo ingenio metiri, quæ Deus ſua potentia poteſt efficere, & quæ nobis, vt ſola fide ſuſciperemus, reuela-
Rom. 9. uit: qua diluendi ratione aliquando vſus eſt Paulus, & non raro antiqui Patres. Ad hæc, aliquam quæſtionem ſiue difficultatem
Matt. 11. aduerſario obijcere licet: quod aliquando Christus magiſter noſter fecit. Tandem recta ſolutio afferenda eſt: quæ ſi eſſet de re obſcura, quam non facile auditores perciperent, aut nõ ſine aliqua offenſione poſſent audire, leuiter erit attingenda; & commoda aliqua digreſſione alio tranſire oportebit: ita tamen, ne vlla in auditore remaneat ſuſpicio, qua veritatem ſuo patrocinio eſſe deſtitutam, aut quem confutauimus errorem, adhuc ſtare exiſtimet.

Et quoniam ſæpe aduerſarij frigidas & leues rationes afferũt, eas eludere, & negligendo leuiter attingere prudens Concionator poterit: idque per indignationem, vt diuus Paulus aliquando
Rom. 3. fecit. Ceterum, omnis confutatio, quantum fieri poterit, ex ipſis ſcripturis, adiuncta Patrum auctoritate, ſumatur. Quod ſi aduerſarius pro ſe ſcripturas diuinas attulerit, ad eas exponendas regularum explicandi diuini verbi notitia, & conciliandorum locorum doctrina multum conferet.

Denique, cœleſtis Magiſter tres redarguendi modos nobis in-
Matth. 15. dicauit, Obiectionem contrariæ ſententiæ ex ſcriptura ſumptæ; vt cum Phariſæis dixit, Quare & vos tranſgredimini mandatũ Dei, propter traditionem veſtram? Germanam alicuius loci interpretationem; vt quando Dæmonij, qui eum ſcripturæ auctorita-
Matth. 4. te expugnare tentauerat, dixit, Non tentabis Dominum Deum
Matt. 9. tuum: & cum alibi hæc pronuntiauit verba, Miſericordiam volo,
Oſe. 6. & non ſacrificium: & deniq; oppoſitionem eius quod potiſſimũ in re quapiam conſiderandum eſt; vt cum dixit, Non in ſolo pane
Matth. 4. viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

In hoc redarguendi genere hæc quattuor nobis obſeruanda videntur. Primum, quamuis redargutio debeat eſſe grauis & aliquantulum acerba, qua reprehendendi forma, & ſacri ſcriptores, & Chriſtus etiam ipſe aliquando vſus eſt; tamen ſemper Chriſtianam redoleat modeſtiam. Deinde, curandum eſt, magis ex caritatis affectu, & ex vtilitatis proximi ſtudio, quã ex odio & indigna-

tione prodire videatur. Poſtea, nulla in redargutione appareat arrogantia, aut inanis gloriæ ſuſpicio. Denique, in aduerſario redarguendo potius diuina doctrina, quam dialectica eluceat argutia. Qua autem ratione peccatores fideles arguendi ſiue corrigēdi ſint, inferius docebo. Nunc de ea concionandi forma aliquid breuiter dicam, quæ in euangelicæ hiſtoriæ explicatione verſatur, in qua didactica cernitur inſtituendi ratio.

De diſpoſitione Concionis in qua euangelica hiſtoria explanatur. Cap. XIIII.

QVAMVIS materia Chriſtiano Oratori ſubiecta eiuſmodi eſt, vt nihil ſit neceſſe accuratius beneuolentiam, aut attentionem captare, ſed ſolum docilitatē per ſimplicem propoſitionem, præſertim ſi concio ad docendum comparata ſit: tamen, quia auditores non omnino parati ad audiendum accedunt, & potius ex quadā conſuetudine, quam ex deſiderio vtilitatis capiendæ, & interdū curioſitate quadā ducti, conciones frequentant: hinc eſt, ut nullū concionis genus ſine aliquo preludio haberi ſoleat. Licet igitur in hac concionandi forma, quæ tota in explicatione euangelicæ hiſtoriæ verſatur, exordium minus neceſſarium videatur: tamen, cum adhiberi poſſit, & ſoleat, vnde ſumi queat priore loco demonſtrabo, & poſtea quo pacto ipſa hiſtoria explicanda ſit, docebo.

Quod igitur ad primum attinet, non male quis exordiretur a breui totius hiſtoriæ ſumma, & quaſi compendiolo per narrationem facto. Quæ narratio non deberet eſſe ieiuna & ſicca, ſed quodam honeſto verborum ornatu veſtita, & cum grauitate pronūtiata: in quo Eccleſiaſtes quidam, quem ego ſæpe audiui, mirifice excellebat. Hæc exordiendi ratio eſt valde accommodata, quæ & exordij, & propoſitionis locum obtineret. Cæterum, cum pauci ſint qui hoc exordiendi genere idoneę vti poſſint: aliunde etiā initium ſumere licebit. Neque illa diſpliceret exordiendi forma, ſi quis ab aliqua figura veteris legis, ad euangelicam hiſtoriam accommodata, auſpicaretur modo apte, & ſine vlla violentia ſubiectæ materiæ applicetur. Denique, ne plures modos proſequar, principium ſumi poterit ab aliqua diuinæ ſcripturæ ſententia, communíve loco, qui ad ſubiectam materiam perbelle accommodādus erit. Hos quos recenſuimus modos variare, ac etiam alios

pruden-

prudenti Concionatori vſurpare licebit:nec enim quæ præcepta damus, ea pro ſanctiſſimis & in ære inciſis legibus haberi volumus:modo,cum opus fuerit,auditores ad vtiliter audiendum breuiter preparentur. Quare,nō ſunt vlla ratione probandi qui hac in parte nulla varietate vtuntur, & eandem etiam idoneam exordiendi formam ſemper ſibi vſurpandam putant; Vt qui ſemper a ſimilitudine,vel a figura veteris teſtamenti initium faciunt. Pro itaque ſubiectę materię,auditorum,temporum,& locorum varietate,ſua principia prudens variabit orator.

Quando autem breuis Euangelij expoſitio exordij loco poſita non fuerit:tunc poſt exordium ponenda erit. Quam interdum præcedere debebit, eius quod in hiſtoria præceſſit, breuis explicatio,cum ex præcedentibus ſępe propoſiti euangelij ſcopus,& finis percipiatur:idque paucis fieri debet,ne expoſitioni ſubiecti euangelij,quod vt plurimum ſolet eſſe longum,tempus ſubtrahatur. Quam in hoc genere concionandi requirimus breuē narrationem,ea tunc omitti deberet, quando hiſtoria eſſet longior, quam quæ paucioribus comprehendi poſſet. Atque de primo quod propoſuimus,hactenus.

Quod vero ad Euangelicę hiſtoriæ expoſitionem attinet, etſi nobis hoc in loco nihil dicendum eſſet, cum alibi latiſſime de hac re ſimus ſcripturi:tamen non erit inutile in pręſentia de ratione qua Cōcionator diuinam legem populo exponere debeat, aliquid admonere. Qui ergo apte & idonee hanc cōcionandi formam vſurpare voluerit,is artem & regulas explicandæ ſcripturę percalleat:ſenſuum,quibus diuina oracula exponi ſolent,vim varietatemque teneat,& vbi quærēdi ſint,& quomodo cognoſcat: Literalem nullo modo contemnat,ſed aliorum baſim ac fundamentum eſſe exiſtimet. Hunc itaque potiſſimum ſibi quærendū putet:Et cum plures vno in loco eſſe poſſint, eum potiſſimum eligat,qui ſit magis receptus,& literę magis quadret,& ad id,quod poſtea ſit perſuaſurus magis accommodatus. Et cum hiſtorica explanatio plures habeat partes,quarum alia ad coſmographiam, alia ad chronologiam,alia ad phyſiologiam,alia ad geometriā, alia ad aſtronomiam refertur,de his omnibus parum ſolicitus ſit is,qui vtiliter concionari uult. Quare, vel iſta ſilentio inuoluet, uel,ſi neceſſe fuerit aliquid ad planiorem literæ expoſitionem dicere,id leuiter attingat. Eam igitur partem diligēter tractet, quæ uerum & germanum ſenſum e uerbis eruit, quę ex uerborū proprietate,ex phraſis cognitione,& ex figurarum,troporumque in-

telligen-

telligentia pendet:ſed caueat, ne,vt quidam faciunt,nimis curio ſe etiam ſyllabas conſectetur.

De alijs tribus ſenſibus,frequentius in tropologico,qui ad mores conformandos valet,verſetur,quam in alijs. Neque omnes ſibi ſimul explicandos proponat;tum quia rarius omnes in eodem loco commode inueniuntur: tum etiam, quod minus vtiliter id fieret.In quibus afferendis, non ſuum, ſed bonorum expoſitorũ ſenſum ſequatur.A myſterijs in numeris quærendis,ſi abſtinebit, prudenter faciet:& multo magis,ni futura prædicendo prophe ta videri voluerit,vt quidam,ſed inepte,& parum pie videri volunt.

Et quoniam pauca inuenies euangelia, quæ idonee poſſint vna tantum concione exponi, ſatis ſit prudenti Concionatori, ſi tria aut quattuor loca magis vtilia declaranda ſuſcipiet;ne dum omnia dicere vult,omnia confuſe,& imperfecte dicat;quod multis,vt non ſemel obſeruaui, accidere ſolet: aut certe, cum ſuo & auditorum faſtidio nimis in longum concionem protrahat: vt omittam,quod nullum haberet ad animos permouendos tempus, quod munus in hac etiam docendi ratione prætermittendum non eſt.Ne igitur hoc fructu auditores priuet,vbi pure,aperte,& appoſite aliquam Euangelij particulam expoſuerit; ex ea aliquid eruat,quod ad morum emendationem, & vitæ inſtitutionem con ferat,idque per amplificationem & animorum inflammationem perſuadere conetur. Semper itaque ex doctrina,qua intelligendi vis eruditur,aliqua erumpat flamma,qua incendatur affectus. Et hoc in ſingulis particulis explicandis faciendum cenſeo. Hac cõtentione amplificatione ve ad mores componendos, & ad vitia damnanda adhibita,dicendi genere mutato,ad expoſitionem redeat.

Et quoniam nulla eſt commodior exponendæ ſcripturæ ratio, quam per ipſam ſcripturam Patrum doctrina expoſitam,propterea hunc modum retinendum, & perpetuo obſeruandum putarem;ita vt rarius aliquid ex ſuo afferat Cõcionator, præſertim in ſenſibus myſticis tradendis,in quo,vt Auguſtinus & Hieronym. docent,facilis eſt offenſio.Scripturæ itaque ſale condienda eſt cõcio;ſed his moderationibus adhibitis.

Prima, vt quæ afferimus non ſint omnino trita atque vulgata; quæ cum ſæpius audita ſint, auditores delectare ac retinere nequeunt.Loca itaque inſignia & aliqua illuſtri expoſitione illuminata afferre oportebit: cuiuſmodi multa ſunt in Prophetarum

& Salo-

& Salomonis libris, qui moralem & ad communem ſenſum accommodatam continent doctrinam. Secunda, non quidquid occurrit, etiam ſi venuſtum & aptum ſit, in medium proferatur; ſed aliquis adhibendus eſt modus. Meliora igitur & aptiora ſeligenda erunt, & quæ maxime quadrant: quod ſane non faciunt, qui doctrinę, vel memorię iactandæ ſtudio rapti, multas inutiliter coaceruant ſcripturarum ſententias, ad rem nihil pertinẽtes: quod ſæpe in multis obſeruaui: id dum fit, nec ſcriptura per ſcripturas declaratur, nec auditores vllum fructum ex concione capiũt. Quare, præter iam dicta, obſeruandum erit, vt ex citato loco, verba & ſententiam ponderando, aliquid vtilitatis hauriatur; vt illa ſicca, & ieiuna vitetur locorum citatio. Aliqua igitur in verbis latens enucleetur ſententia: & præſertim ea in qua illuſtris aliqua fuerit metaphora; quæ nihil aliud eſt, quam in arctum contracta ſimilitudo. Ad hæc, quæ vel ex ſcriptura, vel ex patribus ad aliquid confirmandum afferuntur latino ſermone ſententiæ, eæ poſtea materna lingua declarentur: quod bene multi non faciunt, ac proinde auditores, qui vt plurimum latinam linguam ignorãt, non docent: in quibus declarandis potius Paraphraſtis, quam interpretis fungendum eſt officio. Danda itaque opera eſt, vt cum quodam verborum ſplendore, & venuſtate, maternique ſermonis proprietate transferantur: ita tamen, vt allatę ſententiæ grauitas & veritas retineantur. Quo loco illud etiam monuerim, abſtinendum eſſe a ſentẽtijs longioribus, quæ nõ ſine faſtidio audiuntur, & explicantur; vt omittam, quod multum temporis dicenti abripiunt. Denique, quoniam hæc docendi ratio non multum habet ſuauitatis, quæ auditorem vigilantem teneat; curandum erit; vt breuis aliqua interſeratur per interrogationem propoſita dubitatio & quæſtiuncula, quæ ad animos excitãdos vim habeat; cui ſua cum aliqua vtilitate coniuncta ſubijcienda erit dilucida planaque reſponſio.

De miſto concionandi genere, deque diuerſorum generum comparatione. Cap. XV.

MISTVM concionandi genus illud voco, in quo partim docemus, partim ſuademus, laudamusve. De quo nihil ſpeciatim occurrit dicendum, cum ex iam explicatis generibus conſtet. Si quis ergo in priore cõcionis parte euangelium ſiue epiſtolam docendo exponeret; in poſterio-

poſteriore vero, ſumpto aliquo ex rebus iam explicatis capite, ſiue communi loco ad ſuadendum, vel diſſuadendum, ad laudandum, aut vituperandum, reprehendendumque, aut corrigendum idoneo, oratorio modo illũ tractaret, & amplificaret, is miſto vteretur concionandi genere: quod diuo Chryſoſtomo fuit familiare: & hac noſtra tempeſtate eo doctiſſimus præceptor meus Franciſcus Toletus, dum in aula Pontificia concionabatur, vti ſolebat. Poſſet etiam hac ratione concio diſponi, vt in vtraque parte partim doceretur, partim moueretur auditor: ſed prior diſpoſitio videtur eſſe commodior. Verùm hic cauendum erit, ne dum duo volumus adhibere oratoris officia, quæ iũcta plus temporis volũt, nimis in longũ protrahatur oratio: quod incõmodum qui nõ vitant, & auditorum patientia abutuntur, & omnem fructum quem colligere potuiſſent, amittunt: cum auditor ſatietate affectus, non amplius attendat, & eorum quæ libenter audiuit facile obliuiſcatur. Breuitate itaque potius, quam longitudine commendatur Orator.

Atque ex his quæ hactenus de concionandi ratione diximus, intelligi licet, tres eſſe communes concionum methodos: vnam ſimplicem, cum in vno tantũ capite, ſiue loco explicando, ſiue ſuaſione, ſiue laudatione, ſiue demonſtratione vtamur, tota conſumitur concio: ſecundam cum per totam concionem aliquam ſcripturæ diuinæ partem, aliqua moralis vitæ documenta colligendo, exponimus; quæ concionandi ratio, Lectio ſolet appellari; vt ſi quis exponeret orationem Dominicam, pſalmum miſerere, vel aliquid ſimile: tertiam ex duobus iam dictis miſtam ac temperatam. Sed peteret hoc loco quiſpiam, quænam ex his tribus formis ſit magis probanda ac frequentanda: cui petitioni breuiter in altera huius capitis parte ſatisfaciam.

Primum, qui ſimilitudinem ſatietatis matrem vitare, & varietate delectare voluerit, non ſemper eadem vtetur concionãdi forma: immo, vt mutari debeat, & res, & locus, & tempus, & perſonæ efflagitabunt. Minus itaque apte dicunt, qui vna & eadem ratione ſemper dicunt.

Deinde, ea docendi forma quæ in explicanda hiſtoria in tota concione eſt occupata, ob rerum varietatem, ſua natura, apta eſt ad auditorem retinendum: & cum minorem artem requirat, eſt etiam dicenti facilior: cum nec varias orationis partes, nec verborum copiam, nec affectuum commotionem, præſertim maiorem, requirat: quæ commotio ab omnibus Oratoribus ſemper difficilis exi-

lis exiſtimata fuit. Verum, hæc forma, illud habet incommodi, vt minus ſit idonea ad animos permouendos: qui, eo facilius inflammantur, quo amplificatio & exaggeratio fuerit longior; qualis in hoc genere eſſe non poteſt: cum, ſi qui exortus ſit dicendi ardor, ob reditum ad explanationem, interrumpendus & extinguẽdus ſit. Cum ergo nemo, vel alienos, vel ſuos affectus ita in ſua poteſtate habeat, vt ſtatim eos excitare queat, qui hac forma vtuntur, minus vtiliter audiuntur: & præſertim quidam exangues, aut potius exanimes hiſtoriæ interpretes; vt ſunt qui nullo verborum ſplendore, & varietate nulla ſuam dictionem queunt ornare.

Præterea, genus dicendi ſimplex, quod poſitum eſt in perpetua vnius rei explicatione, per ſuaſionem & laudationem, vt eſt dicenti difficilior, ita auditoribus eſt multo vtilior. Difficilior quidem, quia maiorem dicendi artem requirit, cum ex uarijs partibus & membris una perfecta atque abſoluta conficienda ſit oratio; maioreque uerborum ubertate, ſententiarumque copia ſit opus: ne, eiuſdem rei tractatione, niſi genus dicendi delectet, auditorem ſatiet. Quam ſatietatem, hac etiam ratione uitare licet; ſi, cum de vna re, vt de oratione, de fide, de caritate habenda ſit oratio, plura de ea capita attingentur; ut de orationis bono, ſiue neceſſitate, de orandi ratione, & de ijs quæ orationem impedire, uel nos ab ea reuocare ſolent. Hæc igitur, uel alia, plura vel pauciora capita qui tractaret, rei varietate animos detineret: & quod de oratione diximus, de alijs ſimilibus quæſtionibus dictũ puta.

Poſtea, ſimpliciter loquendo, miſta dicendi forma, cum utriuſque formæ utilitates complectatur, alijs præferenda, ac etiam ſępius uſurpanda uidetur: alijs uero, pro facultate & ingenio dicentis, & pro rerum & circunſtantiarum ratione, uti cuique licebit. Illa uero perpetua & ſimplex docendi forma quæ ad genus didaſcalicum reuocatur, rariſſime uſurpanda erit: ſicut & illa quæ per dialogum docet, quam a concione omnino reijciendam puto.

Antequam autem huic capiti finem facio, id quod in concionandi ratione fciendum ſæpenumero deſideraui, exponere non pigebit: quod meum conſilium (ſi hac in re aliquid conſilij mihi dare licet) qui voluerit, ad vſum traducet, &, mea quidem ſententia, errabit nihil. Quamuis ergo duo illi concionandi modi, quorum alter hiſtoriã euangelicam explanãdo docet, alter vero aliquid

quid vnum,aut extra,aut ex ipſo euangelio ſumptum,more oratorio apte ad perſuadendum perpetua oratione tractat, boni ſint: tamen,non eſſet fortaſſe inutile,ſi quis ita miſto vteretur genere, vt in altera orationis parte per totam quadrageſimam ea explicanda & ſuadenda ſuſciperet, quæ ſunt cuique Chriſtiano ſcitu & factu neceſſaria;hoc eſt,ſi populus eius religionis quam profitetur, & ex qua viuere debet dogmata & præcepta doceretur: quod fieret explicando ipſum catechiſmum, hoc eſt credẽda,ſperanda,agenda,& expectanda;fidei,inquam, articulos,decem legis præcepta,ſacramenta,virtutes,peccata capitalia,dominicam orationem,miſericordiæ opera, & denique ea, quæ ad cuiuſque ſtatum honeſte retinendum, ſuamque artem recte exercendam pertinent.Quæ concionandi forma,vtilitate, certiſſime oẽs alias antecelleret;ac fortaſſe etiam,vniuerſe loquẽdo,magis placeret, & Concionatorem multum commendaret: præterquam quod hac ratione multi ab eo ignorantiæ peccato liberarentur, quo oẽs illi ſunt obſtricti, qui ea ignorant, quæ ad chriſtiane viuẽdũ ſcitu ſunt neceſſaria,quorũ maximus eſt numerus: Et eam lectionem fideles diſcerent, ac repeterent, quam omnes ſancta mater eccleſia,cum Chriſtiani fieri volumus, ante baptiſmum nos docuit.

Quod ſi dicas,iſta doceri dum ipſum euangelium explicatur, & aliæ materiç vtiles tractantur: dicerem, non explicari ſemper ea quæ ſunt ad ſalutem proxime neceſſaria:nõ explicari omnia: non integre & abſolute, ſed ſæpe per tranſennam: non ordinate, & coniuncte,non ita clare,generatim ſæpe,non ſpeciatim. Et quod de neceſſitate dicebam,re vera, in ſola Euangelij interpretatione multa dicuntur,ac etiam dicenda ſunt, quæ populus,aut non intelligit,aut quod intelligat parum refert: vt,de legis antiquę vi,de Hebręorum moribus, de diuinę ſcripturę natura,de figurarum antiquæ legis varietate,& huiuſmodi alia ſexcenta,quę vtilius in ſcholis,quam in concione dicuntur.

Quid igitur?non eſt prædicandum euangelium, quod Chriſtus omnibus nationibus prædicandum docuit? ab inueterata cõſuetudine recedendum? in materia leuiore Concionatori perſonam grauiſſimam agenti verſandum?Quaſi vero,qui ea quæ diximus doceret,euangelium non prædicaret,& ad Chriſti mentẽ, cum dixit,prædicandum eſſe euangelium, non magis accederet. Neque, qui hoc faceret omnino a veteri conſuetudine recederet;ſed,quod non ita ordinate fit,ordinatius faceret;& in veteri *Mat. vlt.*

L 2 mate-

Hier. Epiſt. ad Geron.

materia nouam viam inquireret, quod qui cum ratione faciunt; in omni arte probantur: Et ſicuti diſſipate & imperfecte modo vnum, modo aliud ex ijs quæ diximus, veterem retinendo viam, explicatur, quid peccati committeret, qui ordinate & abſolute eadem exponeret? Vt omittam, quod antiqui Patres; vt plurimū, breuiores huius generis ſermones ad populum habere ſolebant: & dum euangelium tractabant, populariter, quæ ſunt cognitu magis neceſſaria, docebant. Quod vero attinet ad rei ſubiectę humilitatem, is mihi omnino humilis & abiectus videretur, qui elementorum Chriſtianæ doctrinæ explicationem humilem eſſe diceret: cum noſtræ religionis eleméta myſteria altiſſima & totius religionis ſummam contineant.

Poſſet itaque Chriſtianus Orator; ſi vellet, in prima concionis parte euangelium exponere, aut aliquid aliud pro opportunitate tractare; in altera vero ea quæ diximus, a principio auſpicando, docere: quæ concionandi ratio neceſſitate & vtilitate, quod ſane mentis negaret nemo, alijs præponderaret omnibus. Nec tamen vellem, vt ieiune & penitus dialectice iſta exponerentur; ſed temperata quadam ratione ad docendum & perſuadendum, mouendumque accommodata. Et vt hoc caput concludam, ad meum conſilium ſequendum Cócionatorum obligo neminem: ſed ſolum id propono, quod iuuandi deſiderium me ad proponédum induxit.

De correctorio concionandi genere. *Cap.* XVI.

CVM nullum fortaſſe ſit dicendi genus in quo ſępius Chriſtianus Orator verſari debeat, atque in correctorio; & nihil difficilius ſit, quam aliorum peccata corrigere: tum quia non facile congruus ſeruatur modus; tum etiam, quod homines parum libenter ſe corrigi ſinunt; ideo pro hoc genere aliquas admonitiones tradendas eſſe exiſtimaui.

Sicut ergo falſitas redargutione refellitur, ita correctione, mores, facta, dicta, res, perſonæ, & inſtituta, diſſuadendo, dehortando, & vituperando emendantur. Hoc genus frequentiſſimum eſt in diuinis literis, ac proinde in concionibus ſæpe vſurpandum: cuius proximus finis eſt peccatorum deteſtatio & melioris vitę inſtitutio.

Loci in hoc genere adhibendi, ſunt contrarij locis ſuaſionis; vt Turpe,

vt Turpe,impium,inutile,perniciofum,iniucundum,& alij. Adhiberi etiam poterunt loci proprij ex Chriſtiana doctrina ſumpti. Quare demonſtrari poterit,id quod corrigitur,eſſe contra diuinam ſcripturam,& eccleſiæ ritus:ſimiliter, quod ſit ingratum Deo, odioſum & ſcandaloſum hominibus,&c. Locos & ſententias ad corrigendum,ac etiam modum ſuppeditabit ſcripturæ ſacræ lectio,& maxime Prophetarum;qui potiſſimum in corrigendo fuerunt occupati:ex quibus ad omnia vitia damnanda multa ſumere licebit.

Rariſſime, aut potius nunquam correctio totam occupabit concionem,præſertim ſi de aliquo vitio, aut certo facto loquamur:adhibenda itaque erit per digreſſionem, ne concio ſit perpetua correctio. Quando vero aliquod vitium damnatum fuerit, & grauior præceſſerit increpatio; vt cum aſperitate miſceatur dulcedo, ad ſuauem admonitionem & hortationem veniendum erit. Hanc corrigendi formam a diuinis ſcriptoribus, vel potius a Deo ipſo fuiſſe vſurpatam, ex multis literarum ſacrarum locis cognoſcere licet. Deus itaque poſtquam multa acriter correxit, & terribiliter minatus fuit,ad hortationem amoris & paterni affectus plenam delabitur. Hoc igitur modo correctioni finem imponere congruum erit: ni facti & perſonæ alteriuſve rei adiunctum aliter faciendum moneat. *Iſai. 1.*

Et quoniam nõ minus arduum,quam neceſſarium eſt hoc corrigendi munus,de quo diuinum extat præceptum a paucis obſeruatum;ideo,vt congruenti modo correctio fiat, nonnullas admonitiones circa perſonam corrigentem,& corrigendam,circa rem de qua fieri debet,atque circa modum nunc ſubijciam. De Correctore,ſiue de Concionatore,qui correcturus eſt, has pono admonitiones.

Prima,caueat ne is ſit,cui vere dici poſſit,Medice,cura te ipsũ: aut,Eiice trabem ex oculo tuo:quandoquidem omnino languida ac frigida eſt correctio in ore eius,qui ſe ſuo damnat ore. *Matth. 6.*

Secunda, demonſtret auditoribus ſibi hoc correctionis munus omnino præſtandum eſſe: tum quia hæc eſt vna ex præcipuis Concionatoris partibus:tum etiam quia diuinum eſt præceptum;quod,cum omnes ſeruare debent,tum is qui ad alios inſtituendos eſt a Deo priuatim miſſus: dicatque Deum a ſe ſuorum auditorum ſanguinem,hoc eſt ſalutem requiſiturum:ſeque timere,ne quando illud ſibi dicendum ſit,Vę mihi,quia tacui. *Ezech. 3.*

Tertia,quãtũ põt,plane demõſtret,ſe ex ſolo deſiderio ſalutis

auditorum corrigere:& hoc munus ideo ſe frequentius & acrius
Apoc. 3. prȩſtare,quod eos vehementer amet:non ſecus ac bonus pater &
magiſter qui eos corrigunt, & caſtigant,quos diligunt:& quod
2 Cor. 12. huc facit,oſtendat ſe id non ſponte,ſed coacte facere ;vt aliquando fecit Apoſtolus.

Quarta,doceat ſibi pro ſuæ auctoritatis & officij dignitatisve ratione,remiſſus,aut grauius,hos vel illos redarguere licere. Neque enim cuique,quemque,quocunque modo corrigere fas eſt:
Galat. 2. Potuit Paulus reſiſtere Petro,Ambroſius Theodoſio, quod non ita congruenter potuiſſent alij.Hæ igitur & ſi quæ ſunt aliæ ex parte corrigentis animaduerti poſſunt cautiones:at vero ex parte eius qui corrigendus eſt,hæ aliæ.

Prima, in perſona corrigenda ſpectetur animi affectus,ætas, ſexus,auctoritas,gradus,& id genus attributiones aliæ : quas qui non animaduertet,ſæpiſſime in corrigendo peccabit. Secunda, videndum eſt qua re auditores potiſſimum moueantur,an honeſtate vel vtilitate,an timore vel amore,an lenitate vel aſperitate. Tertia, quo vitij genere præcipue laborent,an diu in eo fuerint, & an frequenter in illud labantur. Quarta,obſeruandum eſt an vniuerſus populus corrigatur , an ex populo aliqui,an priuatus homo,an publica perſona : nam aliter plebs,aliter magiſtratus , aut Principes corrigendi ſunt: de quorum correctione aliquid ſpeciatim dicetur infra. Quincta,cauendum eſt id,in quo bene multi peccant,ne correctio in eos ſuſcipiatur,qui concioni non interſunt, aut in eos qui correctione non indigent: cum non ſit opus bene valentibus medicamento,quod abſenti ægroto applicari non poteſt.Quo fit,vt grauiter errent,qui reip.miniſtros & Prælatos apud plebem,cum illi non adſunt, nō ſine ſcandalo corrigere fruſtra conantur. Quod vero attinet ad id quod corrigendum ſuſcipitur,ita ſtatuo.

Prima admonitio,ea corrigantur vitia,quæ grauiora,quæ atrociora,quȩ notiora,quȩ frequentiora,quæ magis Deum offendūt, quæ coram Deo clamant,& quȩ remp.perturbant;& pro eorum ratione magis & minus grauiter.Secunda,videndum eſt,an peccatum ſit commune, aut priuatum aliquorum, aut cuiuſpiam:& cum communia damnantur vitia, nulla priuata perſona notetur: licebit tamen damnare populum, aut ciuitatem, in qua certa vitia dominantur : quamuis quidam populi id ferre nequeant , ſed male:qua in re dicentis prudentia quid faciendum ſit,videbit. Et ſane,is ſatis bene reprehenditur,qui quod dicitur,ſibi dici facile

ani-

animaduertere poteſt:& interdum multo melius, cum vehementius & acrius dicere liceat, quando aliquid generatim ſine perſonarum notatione damnatur. Quare, pro re nata, nunc mercatorum, nunc aduocatorum, nunc iudicum, nunc coniugum vitia Concionator damnabit:& ita loquetur, vt, quamuis ad vniuerſos loquatur, tamen ad ſingulos eius eſſe conuerſa videatur oratio. Tertia, peccatorum genus animaduertendum eſt; cum quædam ſint, de quibus apertius loqui licet; quædam vero quæ vix honeſte nominari poſſunt, aut etiam non poſſunt, præſertim apud caſtas & pudicas aures; vt ſunt peccata carnis, & quidam blaſphemiæ modi. Quarta, ſicut non pudet homines eadem peccata ſæpius perpetrare; ita Concionatorem nō pigebit, eadem crebrius damnare, & contra obſtinatos inſiſtere. Sæpiſſime Chryſoſtomus in auaritiam, & contra iurandi conſuetudinem dicit: Sępiſſime in luxurioſos inuehitur Auguſtinus. Nanq; vt Tertullianus pręclare ſcriptum reliquit, Nulla eſt damnanda repetitio, quæ cum vtilitate ſit coniuncta. Denique Chriſtus, qui diuinæ ſapientiæ theſauros in ſe reconditos habebat, multoties eandem rem inculcauit.

Admonitiones quædam ad recte corrigendum neceſſariæ, deque correctione Maiorum. Cap. XVII.

QVAMVIS ergo ex ijs quæ ſupra adnotauimus, quæ moderatio ac temperatio in corrigendo adhibenda ſit, intelligi licet: tamen, de recta corrigendi forma quaſdam alias ſubijciā admonitiones, cum modus actioni, vt Plato docuit, præbeat cognomentum: *In Conu.* qui ſi vlla in re eſt neceſſarius, in hac præcipuæ; cum ob multas cauſſas ſit maxime difficilis.

Prima admonitio, qui cum modo corrigere voluerit, is circunſtantias omnes primum ſpectabit, perſonam, rem, loca, tempora, & alias: pro quarum varietate varianda erit correctio, vt antea diximus.

Secunda, circunſtantijs inſpectis, quæ ſuſcipitur correctio, cū grauitate & auctoritate fiat; non frigide, non remiſſe, non lente, præſertim cum de re grauiore agitur. Propterea ei qui correcturus eſt, omnis leuis timor, omnis humana ratio abijcienda eſt, maxime cum id reprehēdere oportebit, quod diuino aduerſatur honori: quod diuum Chryſoſtomum non ſemel feciſſe legimus,

& ſpeciatim, cùm damnauit ſpectacula, quæ ad ſtatuam Eudoxię, pro Sapientiæ templo poſitam, non ſine illius eccleſiæ contumelia, fiebant: Et quamuis Imperatrix in eum renouaret irã, nullo timore perterritus, alia concione dixit, Rurſum Herodias furit, rurſum turbas ciet, rurſum ſaltat, rurſum Ioannis caput in diſco excipere feſtinat. Item in alia, An non ſemper εὐδοξίαν, id eſt, veram gloriam odi, ἀδοξίαν autem, id eſt, infamiam dilexi? Huc facit quod aliquando Pelagius II. ſcripſit, Sit ſemper aduerſus prauos & impios, atque ſeruorum Dei perſequutores libera vox, & oris gladio feriantur, & redarguantur: perſequantur etiam, & repellantur, confundantur, auertantur, &c. Nunquam Chriſtus Dominus ita ira commotus eſt, nec ita quempiam acriter reprehendit, & caſtigauit, vt cum templum diuinum latronum ſpelũcam fieri vidit. Quare, vt pro morborum varietate acriora & minus acria adhibenda ſunt medicamenta; ita correctio pro peccatorum ratione magis vel minus acris eſſe debebit.

Nic. lib. 15. cap. 18.

Epiſt. ad Epiſ. Ita'.

Luc. 19.

Tertia, is aptiſſime corrigeret, qui quadam dicendi arte, ſe in eodem quodammodo errore fuiſſe, aut eſſe oſtenderet; præſertim cũ priuata perſona corrigéda eſſet: qui nõ ſecus faceret, ac is, qui cum hominem in puteum delapſum extrahere vellet, in eundem ipſe deſcenderet; vt illum, manu apprehenſa, educeret.

Quarta, quoniam omnino longum facerem, ſi omnes admonitiones quæ notari poſſent, vellem adſcribere, is cum modo hoc fungetur officio, qui illud ex caritate exequendum ſuſcipiet: quãdoquidem, vt Paulus ait, Caritas patiẽs eſt, benigna eſt: caritas nõ æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet ſuper iniquitate: cõgaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, &c.

1. Cor. 13.

Et quoniam in corrigendo, vt dicebamus, magna habenda eſt eorum qui corriguntur ratio, ac pręſertim eorum qui alijs pręſunt, vt ſunt Principes, & Magiſtratus, in quibus perſonis corrigendis priuatas cautelas adhibendas eſſe negaret nemo; ideo nõ erit inutile aliquid ſpeciatim in hoc genere præcipere: qua de re has ſtatuo præceptiones.

Prima, ſi quis maiore cum dexteritate Principum peccata ſine ſubditorum ſcandalo vellet corrigere, hac præmunitione vtatur: Doceat itaque Deum ob populi peccata permittere, vt Principes non ſuo fungantur munere, immo etiam interdum miniſtros

niſtros malos in pœnam dare; quod ex diuinis literis, & ex ſancto rum Patrum doctrina confirmare licet. Huc facit quod apud Iſai am legimus; Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. Quam etiam ob cauſſam permittit, ne ſint Cócionatores boni: & hinc eſt fortaſſe, cur nűc non ſint Nathanes, quia non ſunt Dauides: neque Ionæ, quia non ſunt Niniuitę. Cap. 3.

Secunda, docendum eſt etiam Deum permittere, vt Principes ob deprauatas eorum viuendi rationes in errores labantur; vt de Saule, de Achabo, qui a maligno ſpiritu fuit deceptus, apertiſſime conſtat. Et præſertim eos Principes & Prælatos, qui malis artibus ad regimen peruenerunt. 1. Reg. 19. 2. Para. 18.

Tertia, cum neceſſitas poſtulat, cum vtilitas ſperatur, & nullű maius timetur malum, magiſtratuum & eorum qui alios regunt correctio, cum aliquid grauius, & manifeſtius peccant, nullo modo Chriſtiano Côcionatori eſt prætermittenda. Hoc aduer ſus quoſdam dixerim, qui putant Principes nullo modo eſſe corrigendos: non eſſe tangendos Chriſtos Domini: non eſſe ponendum os in cœlum: ipſos optime ſcire quid agant: a Deo guberna ri: eis Deo rationes eſſe reddendas: nobis quidquid egerint patiẽ ter eſſe ferendum: adderem etiam olim Apoſtolos & ſanctos Patres, nunquã mores Principum peſſimorum, vt fuerűt multi Romani Imperatores, reprehendiſſe. Sed his non obſtãtibus, id quod nos docemus faciendum eſſe, inſequentes rationes demonſtrant. Primum, eorum exempla, quæ in diuinis leguntur libris: Samuel reprehendit Saulem, Nathan Dauidem, Micheas Achabum, & ne plura coaceruem exempla, Ioãnes Herodem. Omitto hic Ambroſij, Chryſoſtomi, & aliorum Patrum exempla. Deinde, quoniam dum Concionator hoc munus præſtat, ſuo fungitur officio; cum miſſus ſit a Deo ad homines corrigendos & inſtituendos; & nullibi ei Principum correctio interdicta eſt. Nam, quod dicitur, Non eſſe tãgendos Chriſtos Domini, in eos quadrat, qui Principes & prę̨latos aliqua iniuria afficiunt. Neque os in cęlum ponit, qui hominem peccantem, & humi ſerpentem erroris admonet & arguit. Præterea, quia dum Eccleſiaſtes hoc facit, populi cauſſam ſuſcipit, pupillos & viduas defendit, & pauperem ab iniuria tueri conatur: quę munera in diuinis literis laudantur, & facienda præcipuntur. Ad hæc, ideo hoc munus Concionator ſuſcipere debet, quod Principes paucos, aut nullos habeant admonitores, & adulatores quam plurimos: quare, ſi etiam hic Dei miniſter Principi adularetur, quis Principe infelicior? qui mul- Pſal. 104. 1. Reg. 24.

tos ha-

tos haberet coruos qui eius oculos eruerent, & nullum medicũ a quo ſanaretur. Denique, ad hoc officium præſtandum publica mouere debet vtilitas, totiuſque populi vtilitas, cuius conſeruandę & augendę cauſſa Principes ſunt conſtituti. Quod ſi Apoſtoli & illi primi Eccleſiæ Concionatores Ethnicos Principes non corripuerunt, quid mirum? cum prǫuiderent ſe nihil profuturos, & magis eos contra fideles concitaturos: vt omittam, quod cum non eſſent eccleſiæ ſubiecti, Deo iudicandi & corripiendi relinquebantur. Ideo aliquando Paulus dixit, Quid enim mihi de ijs qui foris ſunt iudicare? Nonne de ijs qui intus ſunt vos iudicatis: nam eos qui foris ſunt, Deus iudicabit. Concludamus igitur, licere Eccleſiaſtico oratori tanquam Dei internuntio, etiam ipſos Principes, ea moderatione qua oportet, corrigere, & ad meliorẽ frugem reuocare.

D. Thom. de reg. Prin. *1. Cor. 5.*

Quarta, in hoc correctionis genere animaduertendum eſt, an Princeps eo ſit ingenio præditus, vt ſe corrigi non ægre ferat; cũ aliqui reperiantur, qui etiam hoc deſiderent, vt ille deſiderabat, qui hunc in modum cecinit, Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: an vero ſit correctionis impatiens, vt multi eſſe ſolent: in quibus emendandis, cum neceſſitas poſtulabit, maiore cautela opus erit. Hoc diuum Ambroſium animaduertiſſe puto, qui non ſolum bonitate cauſſæ, ſed etiam boni Principis natura nixus, Theodoſium grauius corrigere non dubitauit: quem ſane multum iuuare potuit vitæ ſuæ integritas.

Pſal. 140.

Quincta, Principum & Magiſtratuum, & multo magis Prælatorum correctio, magna cum modeſtia fieri debet. Fiet autem, ſi diuinus præco ita corriget, vt potius alium quempiam corrigere videatur; modo ille correctionem in ſe comparatam eſſe intelligat: ſi potius per modum ſuaſoris, quam correctionis fiat: Huc facit illud Pauli, Seniorem ne ſæuius obiurges, ſed adhortare vt patrem: ſi cum ſalibus gratia quædam permiſceatur: ſi ita ad ſui errati cognitionem adducetur, vt ipſe contra ſeipſum ſentẽtiam ferat: ſi aliqua artificioſa inſinuatione vtetur; vt Nathan propheta, qui apologo quodam Regiam perſonam ad grauiſſimi peccati veniam petendam traduxit: & Prophetæ ſepe metaphoris, & allegorijs in corrigendo vtuntur: ſi denique aliquam præmunitionem adhibebit, & ſe quaſi coacte, & diuino vrgente præcepto, id efficere affirmabit: ne ſibi aliquando dicendum ſit, Væ mihi quia tacui: &, ne Deus de eius manu alicuius ſanguinem requirat. Illud autẽ ſemper ob oculos habebit, ne ita arguat, vt Princi-

Lege Chryſ. in Pſal. 50. *2. Reg. 12.*

pem populo minus gratum reddat, aut latrandi contra eum occa ſionem præbeat.

Quod ſi magis aperta & graui obiurgatione ad grauiorem plagam ſanandam eſſet opus, tunc Deum ipſum, afferendo aliquem ad rem accõmodatum ſcripturæ diuinæ locum, redarguentem introducat; Vt ecce, ſi corrigenda eſſet magiſtratuum ignorantia & iniuſtitia, hic poſſet afferri in hunc finem a Dauide diuino ſpiritu conflatus pſalmus, in quo ſeuera continetur magiſtratuum obiurgatio: Deus ſtetit in ſynagoga, hoc eſt in cętu, deorum, Principum videlicet & iudicum. Vſquequo iudicatis iniquitatem, hoc eſt, iniuſtas fertis ſententias, & facies peccatorum ſumitis, id eſt, peccantium perſonas reueremini? & quæ ſequuntur. Poſtea arguit eorundem ignorantiam, cum ait, Neſcierunt, neq; intellexerunt, in tenebris ambulant, hoc eſt, in ſuo errore ſcientes perſeuerant: mouebuntur fundamenta terræ, hoc eſt, omnia humana atque diuina peruertentur: totius reip. humanæ fundamenta concutientur; tumultu & perturbatione humana vita erit referta, &c. Similiter, contra iniquiorẽ Principem adduci poſſet illud quod habetur apud Ezechielem, Quare mater tua lęena inter leones, &c. cuiuſmodi apud eundem prophetam ſunt multa loca. Similiter, ſi auaritia & ſegnities ſacerdotum obiurganda eſſet, adduci poſſet illud eiuſdem Prophetæ, Væ paſtoribus Iſrael, quia paſcebãt ſemetipſos: nonne greges, &c. Similiter, ſi quis vellet reprehendere impium hominem Eccleſię ſtatum perturbãtem, & religionis integritatem violantem, & hæreticum hominem de ſua malitia ſe extollentem & gloriãtem, ita vna cum Dauide in eum inuehi poſſet, Quid gloriaris in malitia, qui potẽs es in iniquitate, &c. quem etiã, Pauli & Patrum exemplo, nominatim appellare licebit: cum peccata publica publice ſint corrigẽda. Qui itaque voluerit perſonas maioris auctoritatis, cum neceſſitas id poſtulat, obiurgare grauius, ex diuinis ſcripturis occaſionem ſumat: & dum eas legit, locos ad hoc faciendum idoneos notet, quorum magnam copiã ad omnia uitia dãnanda lectio ſuppeditabit Prophetica; ſicuti & Pauli epiſtolæ, & Chriſti recuperatoris ſermones.

Pſal 81. *Iſai. 1. 3.* *Ierem. 5.* *Theod.* *Cap. 19. 22 & 23. 0* *Cap. 34.* *Pſal. 51.*

In ſumma, ne longiores ſimus in multis admonitionibus trãdendis hac in parte, in qua ipſa plurimum valere debet Concionatoris prudentia, ea animaduertat, quę diuus Paulus Timotheũ & Titum de corrigendi ratione docuit. Illud tamen addiderim, quod ſacros & pios ſcriptores feciſſe obſeruare licet, quos obiurgauerit,

1. Tim. 5. *Cap. 2.*

gauerit,aut monuerit, ſi ad meliorem frugem rediiſſe cognouerit,eos laudet,& ad perſeuerantiam hortetur,occaſione data, aut etiam quæſita.

Quod ſi qui minus libenter obiurgationem audiuerint,& contra Concionatorem iniquo ſint animo, aut etiam maledictis
Act.5. impetant; pro Chriſti gloria id patienter ferat; & vehementer gaudeat, quod factus ſit dignus pro eius nomine cõtumeliam pati:Et,ſi qua ratione eos, qui tam graui morbo laborant, curare poſſet,facti ſui rationem reddendo,ſeque diuina auctoritate tuẽdo,officium hoc non prætermittat.

Cæterum,non video cur quiſpiam ſacro Concionatori ſuccẽſere debeat,etiam ſi interdum aliquanto liberius vitia reprehendat,cum hoc ſit vnum ex pręcipuis eius muneribus,& hoc Deus
Iſai.58. illi mandauerit: ei nanque dictum eſt, Clama ne ceſſes,quaſi tuba exalta vocem tuam; & annuntia populo meo ſcelera eorũ, & domui Iacob peccata eorum. Vna itaque omnes ſuæ ſalutis cupidi peccatores,cum Dauide dicant, Corripiet me iuſtus in miſe
Pſal.140. ricordia,& increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum:ac ſi cum Sapiẽte dixiſſet,Melius eſt a ſapien
Eccs.7. te corripi,quam ſtultorum adulatione decipi. Et vt cum eodem
Prou.27. Sapiente concludamus, Melior eſt manifeſta correctio,quam amor abſconditus.

De genere concionandi conſolatorio. Cap. XVIII.

INTER cæteras cauſſas ob quas Deus pater amantiſſimus ſuas literas ad ſuos filios in exilio uitam agen
1.Mac.12. tes mittere uoluit;ea,ut ex iiſdem literis colligere licet,eſt potiſſima;vt eos in hac miſeriarum valle degentes hoc cœleſti conſolaretur munere:quarum literarum præcipuam partem,ad quam aliæ referuntur,hanc ob cauſſam Euangelium appellari voluit. Ex quibus illud colligere fas eſt,Chriſtianum Oratorem, ad quem harum literarum explanatio pertinet, priuata quadam ratione in genere conſolatorio occupatum
2.Cor.1. eſſe debere:vt eum etiam imitetur, cuius perſonam gerit, qui eſt totius conſolationis Deus.Propterea, non erit a noſtro inſtituto, & a loco quem tractamus alienum, ſi aliquot communes locos ad conſolandum accommodatos, vna cum quibuſdam admonitionibus indicabimus.

Cum itaque varijs multiſque rebus, quę vel animum,vel corpus ex-

pus excruciant, perpetuo humana vita ſit expoſita; vt iure opti-
mo dictum ſit, Vitam noſtram eſſe militiam quandam; & pauci Iob 7.
reperiantur qui æquo animo aduerſos caſus ferant, profecto bo-
nus Concionator locos ad animos afflictos conſolandos paratos
habere debet: e quorum multis nos quoſdam illuſtriores recenſe-
bimus: qui partim ſunt noſtræ religionis proprij, partim cum hu
mana dicendi arte communes: quos in legendis diuinis literis ac
curatius Concionator facile obſeruare poterit. Loci igitur ſunt
fere iſti a genere deliberatiuo petiti, cum conſolatio nihil aliud
ſit, quam doloris diſſuaſio.

Ab honeſto, cum honeſti viri ſit æquo animo aduerſas res fer-
re. Intuens autem, ait ſcriptura, de Eleazaro loquendo, quemad- 2.Mac.6.
modum oporter accedere patienter ſuſtinens, deſtinauit non ad-
mittere illicita propter vitæ amorem. A iuſto, quo pacto ſeipſum
& ſuum ſocium bonus latro conſolari conabatur, Et nos quidem Luc.23.
iuſte: nam digna factis recipimus &c. Ab vtili & inutili, lamenta
tiones & lacrymæ ſine modo fuſæ ſunt inutiles: tollerantia vero Horat.
vtilitatem affert magnam: & leuius fit patientia, vt inquit ille,
quod vitari nefas eſt. Ex hoc loco ſe & filium ſuum conſolabatur Cap.4.
Tobias, Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus,
ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum. A laudabili &
glorioſo, Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu concilij; quoniã Act.5.
digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati. A facili,
quia facilius eſt conſolationem capere, quam ſeipſum ſæpius &
diutius renouando dolorem excruciare; & dolorem abijcere, quã
factum infectum reddere. A neceſſario, quia, cum quod iã acceſ-
ſit malum, vitari non poſſit, vna relinquitur via, vt ex neceſſitate
virtus exoriatur; & ex malo, quod eſt Dei proprium, aliquid col-
ligatur boni. Hos quidem communes & his contrarios locos hu
mana facundia ad conſolandum ſumeret; ac etiam alios eius rei
vnde capitur mæſtitia proprios: vt ſi quis conſolãdus eſſet ob de-
functos parentes, de bono mortis agi poſſet: ſi de rebus fortunæ
amiſſis, de diuitiarum incommodis, & ſic de alijs. Itaque, ſi bel-
lum vigeret, ſi peſtis ſerperet, ſi fames vrgeret, vnde publicus ex-
taret mœror, ex his priuatis rebus, earum naturis perſpectis, varia
ad conſolandum ſumi poterunt argumenta. Sed iam alios quoſ
dam numeremus, quos Chriſtiana ſuppeditat doctrina.

A diuino auxilio, quia Deus præſto eſt omnibus, & præſertim Pſal.90.
ijs, qui ob eius gloriam aliquid perpetiuntur: Huc facit illud Io- Cap.17.
bi, Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me: &

regius

Pſal. 17. regius Vates, In Deo meo tranſgrediar murum, omnem ſcilicet
Pſal. 3. ſuperabo difficultatem: & alibi, diuina innixus ope, aiebat, Non timebo millia populi circundantis me: alio loco, amicis hortanti
Pſal. 10. bus ad timendum & fugiendum hoſtem, audacter reſpondit, In Domino confido, quomodo diuitis animę meæ, Transmigra in montes ſicut paſſer? Item, ſeipſum conſolando aiebat, Quare triſtis es anima mea, quare conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei, & Deus meus. Et deniq;,
Phil. 4. vt cum Paulo concludam, quis conſolationem non caperet, ſi ex hoc loco ſibi dicere fas eſſe conſideraret, Omnia poſſum in eo
Pſal. 90. qui me confortat. Huc referres cœleſtium ſpirituum auxilia; quibus mandatum eſt, vt cuſtodiat nos in omnibus vijs, hoc eſt in cũctis actionibus noſtris: quos ſi ſpectauerimus, dicere poterimus,
4 Reg. 6. Plures nobiſcum ſunt, quam cum illis. Huc etiam referres Dei prouidentiam; ſine cuius nutu, nec arborum folia mouentur. Quare, ſi Deo volente, anguſtiæ & ærumnę nos vrgent, quis non libenter ferat, quod clementiſſimi parentis voluntate nobis accidit?

A Dei iuſtitia & noſtris meritis: ex quo loco ſæpiſſime diuini ſcriptores conſolationem ducunt. Quare, etiamſi grauiſſimis prę meremur moleſtijs, ſemper cõſolationem capiemus, quod Deus nobiſcum mitius agat, quam perpetrata ſcelera poſtularent; &
Pſal. 102. vna cum Propheta dicemus, Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

Ab eiuſdem Dei promiſſione, qui varijs in locis ab omnib. anguſtijs ſe nos liberaturum pollicitus eſt; deque noſtra pace atque conſolatione cogitare affirmauit, vt cum dixit, Ego enim ſcio co
Heb. 13. gitationes quas cogito ſuper vos, cogitationes pacis, & non affli
Ierem. 29. ctionis; vt dem vobis finem & patientiam. Et inuocabitis me, & ibitis, & orabitis me, & ego exaudiam vos. Ideo Dauid canere potuit, Suſtinuit anima mea in verbo eius, ſperauit anima mea in Domino: & alibi, Deus, tu conuerſus viuificabis nos, &
Pſal. 45. plebs tua lætabitur in te: Item, Dominus noſter refugium, id eſt, propugnator & virtus, hoc eſt, forte prę ſidium, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis; ac ſi dixiſſet, quæ nos vehementer premunt: Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris, hoc eſt, etiamſi cœlum ruat, & perturbentur omnia: Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei, Ecce diuinam conſolationem. Et vt hunc locum cum eodẽ
Pſal. 30. concludam, Viriliter agite, & cõfortetur cor veſtrum, omnes qui ſpera-

ſperatis in Domino;qui,vt ait Paulus, non permittit nos tentari ſupra id quod poſſumus. *1.Cor.10.*

Ab eo quod calamitatum perpeſſio eſt ſignum amoris diuini erga nos, diuinæque electionis & prædeſtinationis: ideo ſcriptũ eſt, Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnẽ filium, quem recipit. Et quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui, hos vocauit, iuſtificauit, & magnificauit;quæ conformitas, ſine malorum perpeſſione eſſe non poteſt, cum Paulus dicat, Cohęredes autẽ Chriſti, ſi tamẽ compatimur, vt conglorificemur. Quare, ſi oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, cur etiam nobis patiẽdum non erit, ſi in gloriam non noſtram cum Chriſto a capite ad pedes vſque lacerato, intrare voluerimus? quo, vt ipſe dixit, nemo eſt dignus, qui ſuã crucem non accipit. Per multas itaque tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei: quas qui æquo animo non perfert, magis cruciatur, cum diuina gratia & conſolatione ſit indignus, & nihil apud Deum promeretur. Huc referres Chriſti exemplum, quod Deus vobis imitandum propoſuit. Ideo diuus Petrus aiebat, In hoc enim vocati eſtis:quia et Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Et Paulus, Recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit a peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem; vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſum peccatum repugnantes: & obliti eſtis conſolationem, quæ vobis tanquam filijs loquitur, dicens, Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. *Heb. 12.* *Rom. 8.* *Luc. 24.* *Act. 14.* *1. Pet. 2.* *Heb. 12.*

A gloria Dei, quia ex conſtantia eorum qui huius vitæ miſerias conſtanter perferunt, maxima exoritur Dei laus: quamob cauſſam Deus de ſuo ſeruo Iobo ſingularis patientię exemplo aliquando gloriatus eſt. Huc facit illud Pauli, Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitię ſuę manifeſtat per nos in omni loco. *Iob. 1.* *2. Cor. 2.*

Ab exemplo, quod alijs prębetur: qua ratione vir conſtantiſſimus Eleazarus conſolabatur, cum aiebat, Quamobrem fortiter vita excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo: adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo, ac fortiter pro grauiſſimis, ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar. Et iſte quidem hoc modo, vt ſcriptura ait, uita diſceſſit; non ſolum iuuenibus, ſed & vniuerſę gẽti memoriam mortis ſuæ ad exemplum virtutis & fortitudinis relinquens. *2. Mach. 6.*

A cer-

A certa ſpe futuræ gloriæ, & a præmij magnitudine. Nam, vt
Rom.8. ait Paulus, Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: & vt eſt apud eundem,
Rom.5. Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit, hoc eſt, non fruſtratur.

Hos igitur & alios ſimiles locos bonus Concionator adire poterit, cum in hoc genere verſari voluerit: & præter enumeratos multos etiam ſuppeditabit res ipſa, quæ luctus & mœroris occaſionem præbet, vt ſupra diximus. Vt ſi populus conſolandus eſſet ob magnam rerũ caritatem, rationes ſumere liceret ex pro-
Pſ.102.146 uidentia diuina, quæ omne animal implet benedictionibus, hoc eſt muneribus: quæ dat eſcam pecoribus, & coruos a matribus derelictos nõ deſerit: Si propter hoſtium multitudinem atque fu-
1.Mac.c.3. rorem, a diuina tutela & poteſtate: quo loco vſus eſt Iudas, ad conſolandos & animandos ſuos milites, qui multitudinem, fortitudinemque hoſtium contra ſe venientium timebant, cum dixit, Facile eſt concludi multos in manu paucorum: & non eſt differentia in conſpectu Dei cœli liberare in multis & paucis: quoniam nõ in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Atque idem de alijs rebus dicas: a quibus priuatos locos ad conſolandum ſumere licebit. Ac de locis hactenus: de quibus rurſus infra, cum de permouendis affectibus agetur.

Cautiones quædam in conſolando obſeruandæ. Cap. XIX.

QVAMQVAM in conſolando multo rarius, quam in corrigendo ab Eccleſiaſte peccetur: tamen, ne quæ in hoc genere tractando fiat offenſio, nonnullas admonitiones de eo tradere vtile fore exiſtimaui.

Prima, Concionator non debet eſſe erga eos qui lamentantur & lugent; ita auſterus & ſeuerus, ut omnem luctum damnet; & eos contra Deum omnino facere affirmet, qui ob res aduerſas dolent, ita ut uelit eos omnino ſenſu & humanitate ca-
2.Reg.1. Gen.46. rere, & quaſi ſtipites eſſe: cum honeſte, pietate ſeruata, ob vrgentẽs calamitates, ſanctorum patrum exemplo, flere liceat: & vt Deus ob noſtram vtilitatem varijs moleſtijs nos premit; ita nos ob honeſtas rationes, vt a nobis remoueantur optare poſſumus, & cum vrgent flere: cum illis nos priuent bonis, quibus potiremur, ſi abeſſent.. Hoc admonuiſſe volui contra quoſdam minus

pru-

prudentes Concionatores,qui dum conſolari volunt, ita luctum damnant,vt dicant,omnes eos peccare,qui ob acceptas plagas lugent,quaſi contra Dei voluntatem agant:cum homines alias boni,vt ex diuinis literis conſtat,ob res aduerſas luxerint. *2. Reg. 11. & 12.*

Secunda,contra vero, non ita per conſolationem populum ad lætitiam traducat , vt nullum fructum ex præſentibus malis capiat. Vt ergo immoderatus luctus,ita & ſine moderatione concepta conſolatio , quæ animum omnino diſſiparet, obeſſe poteſt. *Eccl. 13.* Quare vt Sapiens docet,Melius eſt ire ad domum luctus,quam ad domum conuiuij:cum potius triſtitia,quam lætitia nos in officio cōtinere ſoleat.Propterea monebat Apoſtolus, Qui flent tanquā non flentes:& qui gaudent,tanquam non gaudentes. *Eccl. 7.* *1.Cor.7.*

Tertia,ſpiritualis conſolator, potius a rebus ſpiritualibus, & æternis,quam a carnalibus & momentaneis bonis conſolationē ſumat. Olim populus Hebræus,vt carnalis,ad moleſtias perferendas terrenorum bonorum ſpe excitabatur: at vero qui Dei ſpiritu renati ſunt,quæ ſurſum ſunt quærere ac ſapere debent. Quare,a voluptatibus internis,a teſtimonio bonæ conſcientiæ, ab æterna fœlicitate Chriſtianus populus potiſſimum conſolandus erit:qui,cum non ſit de mundo,non debet gaudere cum mundo. *Deut.28.* Ideo Magiſter noſter dixit , Mundus autem gaudebit; vos autem contriſtabimini ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.Huc pertinet prudentiſſima illa diui Iacobi conſolatio, Patientes igitur eſtote fratres,vſque aduentum Domini.Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ:patienter ferens donec accipiat temporaneum,& ſerotinum.Patientes igitur eſtote & vos,& confirmate corda veſtra : quoniam aduentus Domini appropinquabit, & infra,Triſtatur aliquis in vobis?oret:æquo animo eſt?pſallat.Exultabunt itaque ſancti in gloria,lætabuntur in cubilibus ſuis:exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manib.eorum:Ad faciendam vindictam in nationibus , increpationes in populis : Ad alligandos reges eorum in compedibus,& nobiles eorum in manicis ferreis:vt faciant in eis iudicium conſcriptum: Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.Quem ab iniuſtis principib. & dominis oppreſſum pauperem & ſeruum hæc verba ſumma conſolatione non perfundant? *Ioan. 16.* *Pſal. 149.*

Quarta,quoniam diuinæ prouidentiæ rationes in caſtigandis populis nos latent;cum ſæpe viri iuſti grauius affligātur, dum improbi omnibus rebus florent,quæ res, etiam ſanctiſſimorum hominum animos aliquando mouit,caute hac in re prudens Eccle- *Pſal.72.*

ſiaſtes ſe gerat, ne quam minus idoneam cauſſam reddat; aut in hoc velit plus ſapere, quam oportet ſapere, & paullo audacius Dei ſecreta iudicia perueſtigare. Qui hac in re peccare noluerit adhibeat admirabilem illam conſolationem, qua vſus eſt diuinus
Pſal. 36. ſpiritus apud Dauidem, Noli ęmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem; & quæ in toto hoc pſalmo ſe-
Pſal. 72. quuntur: & cum Dauide dicat, Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum, hoc eſt, tuæ ſummæ prouidentiæ rationes non exquiram, ſed ſemper tuæ voluntati acquieſcam: atq; etiam concludat, Mihi autem adhęrere Deo bonum eſt, ponere in Domino ſpem meam.

Quincta, vt in corrigẽdo cauendum eſt a malorum prędictionibus; ita etiam in conſolando, nihil temere diuini verbi miniſter auguretur: ſed illud aſſeueret, illud certiſſime polliceatur, fore
Apoc. 7. aliquando, vt Deus omnem abſtergat lacrymam ab oculis eorũ, qui propter eius gloriam in hac vita lugent, atque, vt torrente voluptatum ſuarum potum det eis, qui de torrente calamitatum in via biberint.

Sexta, is apte ad conſolandum dicet, qui plane oſtendet ſe cõmiſereri eorum, quos conſolari voluerit: cum homines eos libenter audiant, ab eiſque ſe permoueri ſinant, quos iiſdem affectibus commotos eſſe vident, quibus ipſi ſunt commoti: ita vt vná cum
2.Cor. 11. Paulo dicere poſſit, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Et, quod omnino neceſſarium eſt, ipſe quoque cõſolationem capiat: cum is qui conſolatione eget, alios conſolari minime queat. Quod nunc docemus expreſſe de-
2.Cor. 1. monſtrauit Paulus, cum ad Corinthios ſcribendo dixit, Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, &c.

Denique, cum in conſolando non ſit opus tot cautelis, vt in corrigendo, poterit diuinus præco, cum occaſio dabitur, fideles ad mutuam conſolationem & commiſerationem hortari, vt cum
1.Cor. 12. flentibus & gaudentibus, fleant & gaudeant; & ſi quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra. Et vt hoc caput concludam, ad hoc genus idonee tractandum, is idoneus erit, qui legendis diuinis literis, & ſanctorum Patrum monumentis locos ad hoc officium præſtandum accommodatos notauerit, & ad vſum traduxerit.

De varia argumentorum diſponendorum ratione.
Cap. XX.

QVONIAM hactenus de partium orationis diſpoſitione, tum vniuerſe, tum ſpeciatim, ac etiam de locorum collocatione diximus; ſequitur, vt qua ratione argumentationis partes diſtribuendæ ſint, doceamus.

Eſt autem Argumentatio nihil aliud, quam oratio in qua vnū ex alio conſequi denotatur; vt, ſi Chriſtus reſurrexit: igitur & nos reſurgemus: in qua tres notantur partes: illa quæ aſſumitur, quæ Antecedens a Dialecticis nominatur: illa quæ concluditur, quam Conſequens vocant: & particula illa, quę conſequutionem deſignat, illationis Nota nominata: Vel ſic, argumentatio eſt argumenti artificioſa explicatio. Argumentum autem eſt aliquod probabile inuentum aptum ad faciendam fidem, firmam nimirū opinionem. Illud igitur medium, ille locus, qui excogitatus eſt ad quæſtionem aliquam probandam, Argumentum dicitur: quia in ipſa argumentatione adhibitum, id quod volumus arguit, & demonſtrat. Dialectici, quattuor argumentationis formas numerant, quibus quaſdam alias, non tamen natura diuerſas, addunt Oratores, de quarum partibus, & diſpoſitione deinceps acturi ſumus.

Prima ſpecies, græce vocatur ſyllogiſmus, latine ratiocinatio, quæ ex tribus conflatur partibus; quarum prima dicitur propoſitio, vulgo, Maior: ſecunda, ſumptio, vulgo Minor: tertia, cōcluſio nominatur. Quod ſi primæ, vel ſecundæ, vel ambabus ſua adijciatur confirmatio, vt Oratores facere ſolent, quia vt plurimum propoſitiones ſumūt probabiles, iam erit quadripartita, aut quinquepartita argumentatio. Tripartitæ ratiocinationis exemplum eſt huiuſmodi, Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: at Iudæi non audiebant: non igitur ex Deo erant. Quadripartitæ tale, Nihil mortuū iuſtificat: fides ſine operibus eſt mortua; quandoquidem illa fides eſt uiua, quæ per dilectionem operatur: qnare fides ſine operibus non facit hominem iuſtum. Quinquepartitæ tale, Qui diuina mādata non ſeruant, ad beatam vitam non peruenient: quoniā, non auditores, ſed factores legis iuſtificabuntur: atqui hæretici mandata non ſeruant, quia gratia carēt, ſine qua præcepta ſeruari nō queunt: non igitur ſalui fient. Verum, hæc dialectica diſpoſitio ab eloquenti Concionatore mutanda erit, cum popularis argumen- *Ioan. 8.* *Rom. 2.*

Lege lib. de Diſpo. orat. tandi ratio ſimilitudinem vitet. Quare modo plures modo pauciores adhibebuntur partes: modo adijcientur, modo ſubtrahentur approbationes: modo vna modo alia præcedet, aut ſubſequetur propoſitio, & concluſio priore loco ponetur. Et quoniam maior propoſitio, vt plurimum, latius patere atque aliquem communem locum continere ſolet, dabitur occaſio digrediendi, ad orationem amplificandam & dilatandam; ſed in fine digreſſionis ad propoſitam concluſionem redire oportebit. Cæterum, ratiocinationes interdum pauciſſimis verbis conficiuntur.

Secunda, enthymema, latine commentum, quod nihil aliud eſt, quam imperfecta ratiocinatio, cuius altera propoſitio deſideratur; quæ non exprimitur, ſed tanquam nota in animo continetur; quam quiuis facile ſubintelligeret, hoc modo, In præputio aliquis vocatus eſt? non circuncidatur igitur. Item, Et ſi in vobis iudicabitur mundus: indigni eſtis, qui de minimis iudicetis. Neſcitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis ſecularia? Item, Iam quidem omnino delictum eſt in vobis: quod iudicia habetis inter vos: vbi facile quod deeſt ſubauditur: eos eſſe in delicto, inter quos iudicia exercentur. Illa autem enthymemata magis probantur, quæ ex oppoſitis conficiuntur partibus, & cum aliquo ſchemate efferuntur; vt ecce, Et tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti? Item, Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollés ergo mébra Chriſti, faciam membra meretricis?

1. Cor. 7. *Act. 23.* *1. Cor. 6.*

Tertia, Inductio, quæ apud Dialecticos tunc fit, cum pluribus ſingularibus ſufficienter enumeratis, vniuerſalis infertur concluſio; vt, ſi ex eo quod ſenſu percipimus ſingulos ignes calefacere, concluderemus, igitur omnis ignis calefacit. At vero a dicendi Magiſtris aliquanto aliter definitur, hoc pacto, Inductio eſt argumentatio, quæ ex pluribus collationibus, quo vult peruenit. Cum igitur ex pluribus ſimilibus conceſſis, ob eam quam inter ſe habent ſimilitudinem, aliquid aliud propter ſimilitudinem cum illis colligitur, inductio dicetur rhetorica; vt ecce, Qui militat, alienis ſtipendijs militat: qui plãtat vineam, de fructu eius comedit: qui paſcit gregem, de lacte gregis manducat: qui in ſacrario operatur, quæ ſacrarij ſunt edit: igitur & qui euangelium enũtiat, ex euangelio viuere debet. Per enumerationem hoc pacto, non tribulatio, non anguſtia, non fames, non nuditas, non periculum, non perſequutio, non gladius, neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia,

1. Cor. 9. *Rom. 8.*

neque

neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro: nulla igitur creatura nos ſeparabit. Iobus etiam aliquando pulcherrima inductione probauit, ipſum Dei timorem eſſe veram ſapientiam. *Cap. 28.*

Quarta, Exemplum, quod eſt inductio quædam imperfecta, cum ab vna re ſingulari, propter ſimilitudinem, alia ſingularis inducitur; vt, licuit Dauidi ob neceſſitatem propoſitionis panes edere: licuit ergo & apoſtolis ob eandem cauſſam ſpicas quas ederent vellere. *Luc. 6.* Abraham ex operibus iuſtus factus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare: igitur etiam nos iuſtificabimur, ſi Deo bonorum operum ſacrificium offeremus. *Iac. 2.* Ad has quattuor argumentationis ſpecies, ſi tamen ſunt veræ ſpecies, hos alios argumẽti tractandi modos adiecerunt Rhetores.

Primus, dicitur Epicherema, latine aggreſſionem vocares, quod nihil aliud eſt, quam breuiter comprehenſa ratiocinatio, cuius omnes partes in vnam conferuntur; quæ interrogationis figura, vel alia ſimili efferri ſolet, hoc modo, Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? *Gala. 3.* vnde infertur, Galatas inſenſatos eſſe. Quam argumentationem hoc pacto ad ratiocinationem reuocares: Is ſtultus & inſenſatus eſt, qui cum ſpiritualiter viuere cœperit, ad uitam tranſit carnalem: huiuſmodi vos Galatæ; ſtulti igitur. Item, *Pſal. 136.* Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Item, ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? *Malac. 1.* Huc referres alium modum, quem aliqui ſimplicem complexionem appellant; quæ nihil aliud eſt, quam breuiter comprehenſa ratiocinatio, ſiue ſimplex enthymema; vt, Vis beari, bene age, cum is beetur, bene qui agit: vel hoc modo, Quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? *1. Cor. 4.*

Secundus, Dilemma, latine quidam Complexionem, & metaphorice argumentum cornutum vocant, cum argumentatio ita in duas partes diſtribuitur, vt vtramuis capias, capiaris ſit neceſſe: qua argumentationis formula ſtulti Hebræi aliquando Chriſtum ſapientiam infinitam capere fruſtra conati ſunt, cum de ſoluendo tributo eum interrogarunt: Ita enim inepte inepti homines ratiocinabantur: Si dicet, licere dare cenſum Cæſari, contra legem faciet: ſi non licere affirmabit, Imperatoriam lędet

maieſtatem:ſed,cum dilemma eſſet imperfectum,nihil concluſerunt,& verecundia affecti abierunt. Atqui,cum dilemma perfectum eſt,neceſſario concludit,vt in hoc Pauli dilemmate patet.
Act. 25. Ad tribunal Cæſaris ſto,vbi me oportet iudicari. Iudæis non nocui,ſicuti tu melius noſti. Si enim nocui,aut dignum morte aliquid feci,nõ recuſo mori:ſi vero nihil eſt eorum,quę hi accuſant
Iob 10. me,nemo poteſt me illis donare: Cæſarem appello. Et ſi impius fuero,vę mihi eſt:& ſi iuſtus,non leuabo caput ſaturatus afflictione & miſeria,dicebat Iobus.

Tertius, Sorites, argumentandi forma epicheremati contraria, qua ad aliquid probandum multis coaceruatis argumentationibus progredimur : quam ob cauſſam Acerualem ſyllo-
Heb. 11. giſmum Cicero appellauit,Dialectici, Ab vno ad vnum ; hoc modo, Sine fide impoſſibile eſt placere Deo : ergo vt quis placeat Deo debet fidem audire:auditus autem per verbum Dei:er-
Rom. 8. go opus eſt Concionatore:concionari non poteſt,niſi is qui mittitur:igitur,vt homines Deo per fidem placeant,mittendi ſunt qui prædicent.

Quartus, Expeditio, ſiue Enumeratio, cum multa exponuntur, & infirmantur, ut aliquid aliud neceſſario concludatur,
Ioan. 9. hoc modo, Aut iſte natus eſt cœcus,quia ipſe peccauit : aut quia peccarunt parentes eius; aut, vt in eo Dei gloria oſtendatur : at ipſe antequam eſſet peccare non potuit:neque eius parentes quicquam peccarunt : natus igitur eſt cęcus ob Dei gloriam.

Quinctus,Subiectio,quæ eſt expeditioni perſimilis,cum quærimus id quod contra dici poteſt, deinde id ſubijcimus, quod dici oportet:per ſubiectionem itaque plura interrogamus, & nos ipſi reſpondemus:quo fit,vt ſit enumeratione ornatior,atque uberior,hoc modo, Vbi nam verus Dei veri cultus ? an apud Alienigenas?non, quia idola colũt:An apud Turcos?minime,quia multa docent, quæ cum vera religione pugnant : an apud Iudæos ? haudquaquam;quoniam ſacrificio carent,ex quo præcipue diuinus cultus pendet:an apud hæreticos? nequaquam,quia cum fide
Rom. 3. de careant,Deo per verum cultum placere non poſſunt : Reſtat igitur vt ſit apud Chriſti fideles,qui ab eo verã colendi Dei rationem acceperunt,quam ſemper ſeruauit,& ſeruat Romana eccleſia,cunctarum eccleſiarum mater & magiſtra. Vbi eſt gloriatio tua?excluſa eſt:Per quam legem? factorum? non:ſed per legẽ fidei.

Sextus,

Sextus, Summiſſio, quæ eſt argumentatio in qua a nobis ipſis rationem interrogantes poſcimus, eamque ſubijcimus, hoc pacto, Homini in Chriſto pie viuere volenti neceſſaria eſt patientiæ virtus: cur ita? quoniam ei conſtanter perferendæ ſunt omnes huius vitæ moleſtiæ, atque ærumnę: & quam ob cauſſam? vt probetur; cum nihil ſciat is, qui tentatus non eſt, & vt certando dignus Deo inueniatur: & quam ob rem certare oportet? quia non coronabitur, niſi qui legitime certauerit. *Eccl. 34.* *2.Tim. 2.*

Septimus, Oppoſitio, quæ eſt argumentatio in qua ex oppoſito propoſitionis ad ipſam propoſitionem reuertimur, hoc pacto, Si dies eſſet, hoc eſt, ſi in luce gratiæ verſaremur, recte agere deberemus: quoniam quando nox eſt, hoc eſt, cum peccatorum & ignorantiæ tenebræ vigent, nemo poteſt operari: atqui nox præceſſit, & clara Euangelij dies illuxit: a ſomno igitur nobis ſurgendum eſt, vt honeſte pieque viuamus. *Rom. 13.*

Octauus, Collectio, quæ nihil aliud eſt, quam quædam pleniſſima argumentatio, quę conſtat Propoſitione, qua breuiter oſtendimus quod probare volumus: Ratione, quæ id quod propoſuimus vno, vel pluribus argumentis verum eſſe demonſtrat: Rationis confirmatione, quæ breuiter expoſitam rationem corroborat: Exornatione, ſiue expolitione, quæ rei honeſtandæ & locupletandæ gratia adijcitur, iam confirmata argumentatione: & denique Cõcluſione, ſeu complexione, qua rem propoſitam probatam, confirmatam, & exornatam, omnes nimirum collectionis partes paucis complectimur. Quod itaque Dialecticus propoſitione, ratione, & concluſione breuiter ac ſtrictim conficeret, Orator, adhibitis confirmationibus & exornationibus, quibus pręcipue nititur, quorum vnum ad vim, alterum ad ornatum & elegantiam refertur, efficit. Duæ itaque partes maxime ad Oratorem pertinent, confirmatio & exornatio: illa potiſſimum a locis extrinſecis ſumitur; vt a ſimilibus, paribus, oppoſitis, repugnantibus, exemplis, atque teſtimonijs, ſicuti rationes a locis internis & medijs: expolitio vero, ſiue tractatio, ea quæ in ratione & confirmatione latebant, quaſi in lucem profert, & auditoribus inſpicienda proponit, & accurate acuteque pertractat, ac potiſſimum a circunſtantiarum tractatione ſumitur: & vt vniuerſe dicamus, tunc adhibetur expolitio, cum re aliqua propoſita, latius atque ſolertius explicatur, & quod in ea continetur vi orationis eruitur.

Atque ex hac expoliendi ratione erudita & elaborata concio, ab ineruditâ & incompta ſecernitur; quod hæc, ſola propoſitione & ratione ſit contenta, illa vero confirmationes & expolitiones addat. Cæterum, hæc argumentandi forma non habet ſemper has quinque partes diſtinctas, neque eodem prorſus ordine collocatas: nam poſt rationem poni ſolet expolitio a varijs locis ſumpta, quæ probationis locum obtinet.

Collectionis tale ex diuinis literis conflatum ſubijcio exemplum, Mihi Paulo licet a vobis Corinthijs victum accipere: hæc eſt Propoſitio: ſequitur Ratio, Quoniam vobis Euangelium miniſtro, eſtiſque opus meum in Domino, atque ſignaculum Apoſtolatus mei. Rationi, hæc adijcitur confirmatio a ſimilibus, & repugnantibus ſumpta, Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non comedit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hoc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moſis, Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtique hoc dicit? nam propter nos ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe qui arat, arare: & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus: magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos. Vides admirabilem rationis confirmationem: Cui hanc poſſes adijcere tractationem, qua quæ dicta ſunt adhuc magis expoliuntur. Ego ego ſolus militabo pro vobis & ſtipendia non capiam? ego vineam ingratam plantabo, quæ nullos mihi fructus reddat? ego gregem paſcam, nec lactis quicquam guſtabo? alij ſeminando carnalia, carnalia metent, ego vero ſpiritualia ſeminabo, & carnalia colligere non potero: alij qui pro vobis non laborarunt bonorum veſtrorum erunt participes, ego qui vos docui, qui pro vobis laboraui fame peribo? alijs edendi facultatem dabitis, mihi vero denegabitis? bruto animali fas erit triturando ſpicas edere; mihi autem os obturabitur, edere vt nequeam? Ad hæc, talis accedere poteſt concluſio. Cum ergo qui euangelium enunciant, ex euangelio viuere debeant, profecto Paulo quoque euangelium enuntianti victus a vobis ſumminiſtrandus erit. Confirmationes quæ rationibus & enthymematis iam concluſis addi ſolent,

1.Cor.9. [margin]

1.Cor.9. [margin]

aqui-

a quibuſdam vocantur Epenthymemata, quæ nihil aliud ſunt, quam breues & acutæ rationes, quæ quaſi appendices adduntur enthymematis. Sed vt adhuc magis Collectionis naturam explicem, quæ, vt dicebam, non eſt neceſſe, vt ex omnibus & eodem prorſus ordine conſletur partibus, hoc aliud ex Dauide ſubijcio exemplum. Artificioſiſſimus & ornatiſſimus Vates ita aliquando propoſuit, Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius: quam propoſitionem ex affectu repetit, & exponit, Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, hoc eſt nullius beneficij immemor eſſe velis. Addit probationem ſiue confirmationem ex beneficiorum enumeratione ſumptam; vbi octo numerat beneficia, Quia condonat peccata, animæ vires debilitatas reficit, mortuum a vita reuocat, præmijs afficit, votorum compotem facit, corpus ſenio confectum inſtaurat, liberat oppreſſos, reuelat ſua myſteria, eaque exponit. Poſtea primum beneficium mirum in modum amplificat, cum ait, Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors, & quæ ſequuntur. Subijcit expolitionem a ſimilibus ſumptam, Quoniam ſecundum altitudinem cœli a terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe: Quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit iniquitates noſtras a nobis: Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: & tertiam ſimilitudinem, humanæ naturæ conditionem exponendo, mirifice illuſtrat, cum ait, Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum, & quæ ſequuntur. Et ne totum huius pſalmi artificium proſequar, cum omnes creaturas ad diuinas laudes celebrandas inuitaſſet, ad propoſitionem reuertendo, per apoſtrophem ad ſeipſum concludit, Benedic anima mea Domino. Atque alia huiuſmodi multa poſſem ex diuinis literis collecta afferre exempla: quæ diligens earum Lector per ſe obſeruabit: Quorum nonnulla in ſequenti libro, in quo de amplificandi ratione agetur, afferam. Qui ergo ornate, & erudite dicere voluerit, vbi rem propoſuerit & confirmauerit, ſuas adhibebit expolitiones & exornationes, ab enumeratione, a contrarijs, ab adiunctis, a ſimilibus, alijſque locis ſumptas, figuris, & dicendi generibus variatis. Atque de varijs argumentorum formis hactenus: quas ideo bonus Concionator cognitas & tractatas habere debet, vt ſuas argumentationes, dum confirmat, ne ſimilitudine faſtidium pariat, variare,

Epenthymemata. [margin]

Pſal. 102. [margin]

variare,queat. Diligens etiam ſcripturarum interpres eas in earum expoſitione notabit, vt argumentorum vim, & diuini ſcriptoris artem percipiat. Et quoniam argumentationi valde affinis eſt amplificatio, quæ iam concluſis rationibus adijci ſolet, conſequenti libro priuatim de ea, vt de pręcipua artis dicendi oratorijque muneris parte, accurate nobis agendum eſſe duximus:ea ſpeciatim de cauſſa, quod a multis,qui de concionandi ratione ſcripſere,eam prætermiſſam fuiſſe videam:quæ tamen in diuinis libris vbique eſfloreſcit.

Libri tertij finis.

DE RHE-

DE RHETORICA DIVINA

Liber Quartus:

IN QVO DE AMPLIFICATIONE, deque mouendis affectibus agitur.

Quid & quotuplex ſit Amplificatio, deque argumentorum amplificandorum ratione.

CAPVT PRIMVM.

QVAE de argumentorum formis proximo libro diſſeruimus, ſatis Oratori videri poſſent; ſi popularis oratio ſtrictis aggreſſionibus, conciſiſque enthymematis ſtipata, & dialecticis diſputationibus ſimilis eſſe deberet. Sed quoniam Concionator apud imperitam multitudinem dicit, quam delectatione allicere, viribus orationis commouere ac trahere debet; propterea eius orationem ſpecioſam, locupletem, exaggeratam, lacertoſam atque robuſtam eſſe neceſſe eſt. Feratur, inquit Fabius, de hoc orationis genere loquens, non ſemitis, ſed campis: non vti fontes anguſtis fiſtulis colliguntur, ſed vti latiſſimi amnes, totis vallibus fluat, ac ſibi viam, ſi quando non accepit, faciat. Et quoniam id ſola amplificatione fit, ideo de eius natura, deque amplificationum locis formiſque paullo fuſius, quam alii fecerint, nobis ſcribendum duximus: cum is, meo quidem iudicio, concionari pro dignitate non queat, qui amplificandi facultatem

tatem non ſit conſequutus:ac proinde dicendi Artifices, rem am plificare dicendo, Oratoris proprium eſſe docuerũt:vt omittam, quod nihil fere eſt in ſacris libris frequentius ac ſpecioſus. Quare, vt Eccleſiaſtes diuinos ſcriptores in amplificando imitari & eorum artem hac in parte percipere poſſit, nullo modo huius doctrinæ debet eſſe ignarus. Sed iam ad rem ipſam aggrediamur.

Amplificatio, vt ab eius deſcriptione auſpicemur, nihil aliud eſſe videtur, quam quædam grauior affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem. Tunc itaque quiſpiam amplificare dicitur, quando, tum verbis, tum rebus, auditores magis afficiendo, argumenta dilatat. Ex quibus colligere primum licet, amplificationes ex iiſdem fere locis ſumi, vnde argumentationes ipſæ ſumuntur; quos poſteà recenſebimus: deinde, argumentationem parum ab amplificatione differre. Conueniunt enim quod ambæ vim probandi a certis locis petitam habent; ſed tamen illa ad omnes quæſtiones probandas eſt accommodata, hæc vero potiſſimum rei magnitudinem & quantitatem oſtendit: illa gratia exempli, factum oſtendit, hæc vero illud in ſuo genere eſſe magnum, miſerabile, laudabile, indignum, optandum, refugiendum demonſtrat. Quo fit, vt amplificatio ſit argumentatio ad certum genus contracta. Rurſus in eo differunt, quod argumentatio quadam forma continetur, qua uis eius rationis quæ ad probandum affertur, exprimitur: at amplificatio expoſitioni & enumerationi eſt ſimilior. Denique, argumentatio proprie fidem facit, atque intellectum ad aſſentiendum perducit; amplificatio vero eam aſſenſionem gignit, vt rem in ſuo genere maximam eſſe auditores credant, & voluntatem in aliquem affectum rapit. Amplificatio ergo efficit, vt quæ non videntur magna, ea exaggerando pro magnis habeantur: & quæ videntur magna & non ſunt, ea extenuando in paruis reponantur. Nec ideo amplificator mentitur, ſed quæ non videntur, ob oculos ponit, & quanta ſint dictionis genere demonſtrat.

Ex quib. intelligi licet, quid ſit amplificationi propriũ; ac etiã quando ſit amplificatione opus; tunc nimirum cum rei magnitudo non percipitur, qua non percepta, auditores ad id quod volumus credendum, aut faciendum minime trahũtur: quam ob cauſſam peccati magnitudinem exaggeramus, vt ab eo homines auocemus: & honeſte viuendi difficultatem extenuamus, vt auditores ad recte agendum inducamus; quod nos in Appendice ad Centuriam de viro iuſto fecimus. Eſt itaque amplificatio nobiliſſi-

liſſi-

liſſimum Oratoris inſtrumentum, & ad finem ei propoſitum cõ ſequendum maxime accommodatum.

Amplificationi multa ſubiecta ſunt; vt perſonæ, res, geſta, dicta vera vel falſa, & denique quidquid in concionem venit, quod eſt maioris momenti, & ad animos permouẽdos, & ad finem propoſitum conſequendum conferre poteſt. Quæ ergo ad amplificãdum ſumuntur, debent eſſe magna. Sunt autem aliqua magna, vel natura, vt diuina, cœleſtia, quæ cauſſas obſcuras habent, & quę admirabilia cenſentur: vel vſu, & hominum opinione, vt illa quæ videntur obeſſe, aut prodeſſe vehementius: quorum ſunt genera ad amplificandum tria. Nam, aut caritate mouentur homines, vt Dei, vt patrię, vt parentum: aut amore, vt fratrum, vt coniugum, vt liberorum, vt familiarium: aut honeſtate, vt virtutum, maximeque earum, quæ ad communionem hominum & libertatem valent. Sunt etiam quædam priuatę res, quas Cõcionatores ſæpius & diligentius amplificare debent, vt poſtea dicetur. Quare, in erudita & apta amplificatione nihil nimis enucleandum eſt; & ideo res minutæ negligendæ erunt. In quouis etiam cauſſarum genere quædam ſunt quæ ſpeciatim ad amplificandum conferunt. In exornationibus, quæ expectationem, quæ admirationem, & voluptatem faciunt: In deliberationibus, malorum & bonorum enumerationes, exemplorũm conglobationes, & bonorũ ac periculorum certitudo: In iudicijs, quæ ad miſerationem & ſęuitiam excitandam conferunt: In hortationibus præmiorum ac pœnarum magnitudo. Stan.

Eſt autem amplificatio duplex, altera, quę in verbis, altera quę in rebus ſpectatur: in verbis quidem, aut proprijs, aut tranſlatis, aut ſimplicibus, aut coniunctis. Quare verba tum propria, tum tranſlata, & ſchemata, tum verborum, tum ſententiarum ad amplificandum conferunt: & præſertim illa, quæ amplificationis figuræ nominantur, atque etiam alia; vt ſunt deſcriptiones, enumerationes, congeries, gradationes, interrogationes, exclamationes, & epiphonemata. Sumuntur etiam a locis, tum dialecticis & oratorijs, tum theologicis: quos ſupra numerauimus, & expoſuimus. Verum ij loci pręcipue ad amplificandum conferunt, qui in vna & eadem re multa eſſe oſtendunt, quos ſequenti capite recenſebimus, & exemplis illuſtrabimus.

Rurſus, amplificatio duplex eſt, altera quæſtionis vniuerſæ, altera finitæ, vt ſi quis vniuerſe amplificaret obedientiam, & ſpeciatim obedientiam Chriſti, vel Abrahami: proditionem, & Iudæ

prodi-

proditionem:martyrium,& diui Venantij martyrium. Ad amplificandam theſin, ſiue propoſitionem ij potiſſimum loci conferunt,ex quibus argumenta ſumuntur:at vero ad hypotheſis, ſiue limitatæ & reſtrictæ poſitionis dilatationem,cum ſit circunſtantijs implicata & coarctata,circunſtantiæ omnes maxime conferunt:quarum aliæ, vt Theologorum ſcholæ docent , ſpeciem actus mutant,aliæ vero non mutant;& ex his aliæ dicuntur aggrauare in infinitum,aliæ non item:vt in peccatorum tractatione patet . Quare,ſicuti circunſtantiæ ad peccatorum grauitatem demonſtrandam conferunt , ita ad virtutum magnitudinem exponendam valent , cum contrariorum eadem ſit doctrina. Ille vero amplificando præclare ſe geret , qui theſim & antitheſim coniunget:quoniam ex tali contentione rei magnitudo elucefcit.

Quo loco illud admonuerim,quod eſt a bono & prudenti Cócionatore omnino memoriæ mandandum, & perpetuo obſeruádú,ad eius officium omnino pertinere, non ſolum verſari in propoſitionibus vniuerſis, ſed etiam ad definita & ſingularia deſcédere, ad certa,inquam,vitiorum & virtutum genera,cum eius oratio,vt ſępe diximus,tota ad actionem referatur:actiones autem rerum ſunt ſingularum . Non igitur exiſtimet ſe ſuo officio ſatis feciſſe , ſi quid vniuerſe demonſtrauerit, aut amplificauerit ; ſed quæ generatim dixit,ad ſingulares actiones accommodet:in quo multos errare cerneres,qui muneris ſui obliti , eo non referunt omnia,vt vitia euellant,& virtutes inſerant: qui non ſecus errãt, ac Medicus erraret, qui commiſſo ſibi ægroto ea medicamenta daret,quæ ad ſanandum nihil eſſent accommodata.Hanc doctrinam,non ſolum in ſanctorum Patrum ſermonibus,ſed etiam paſſim in diuinis literis obſeruare licet.Paulus in ſuis epiſtolis poſt traditam dogmatum doctrinam, ad ſingula deſcendit, ad certas virtutes hortatur, & a priuatis vitijs deterret . Iſaias concionatorum eloquentiſſimus,cum grauiſſimis verbis deprauatas po-
Cap. 1. puli Iudaici viuendi rationes damnaſſet , & ad emendationem per malorum prædictionem incitaſſet, ad ſingula deſcendendo, hæc ſubiecit, Lauamini,mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis:quieſcite agere peruerſe,diſcite benefacere: quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo , iudicate pu-
Pſal 2. pillo,defendite viduam,& quę ſequuntur. Item,regius Propheta, cum Chriſti potentiam & iuſtitiam expoſuiſſet, hanc doctrinam ad mores traducendo, huiuſmodi hortationem ſubiecit, Et nunc reges intelligite , erudimini qui iudicatis terram; ſeruite Domi-

no in

no in timore,& exultate ei cum tremore: Apprehendite diſciplinam,ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta;cum exarſerit in breui ira eius. Et concionatorum magiſter Chriſtus, cum multa de formidabili extremi iudicij die prænunciaſſet,ad ſalutaria præcepta deſcendit, cum dixit, Attendite autem vobis ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate,& curis huius vitæ,&c.Tractat itaque ſæpe hic ſummus Concionator, communes locos eleganter copioſeque, & eos ad finitas quæſtiones traducit:& ab his ad vniuerſas interdum aſcendit. Quare,ſi quis tentationum vtilitatem amplificando demonſtraſſet, vt ſingulis fere auditoribus priuatim prodeſſet,& quiſque pro ſe ſermonem illum factum fuiſſe exiſtimaret,ad ſingula deſcendendo diceret, Non eſſe perfecte pudicum,qui multis carnis illecebris non reſtiterit:parum illuſtrem eam eſſe obedientiam, quæ cum propria voluntate aliquando non pugnauit: eum eſſe vere humilem qui nec honores appetit,nec ob iniuſte ablatos indignatur: eum eſſe perfecte patientem,qui in medijs calamitatibus poſitus,vna cum Iob diceret,Si bona ſuſcepimus de manu Dei,mala quare non ſuſtineamus?vel,Dominus dedit, Dominus abſtulit,ſicut Domino placuit,ita factum eſt,ſit nomen Domini benedictum: Denique manſuetudinem illam non eſſe omni ex parte abſolutam, quæ nulla iactata contumelia quieſcit, aut vno tantum in rerum genere non commouetur,ſed quæ multis laceſſita iniurijs in omni rerum genere ſemper & vbique manet immota Hac itaque priuata tractatione ſinguli auditores ſecū Concionatorem loqui exiſtimarēt,ſeque excitarent: atque hoc pacto permoti attentiſſime audirent:cum nihil tandem,quidquid quidam parum prudētes Concionatores arbitrentur,magis auditoribus,etiam parum erga diuinum verbum et dicentem affectis, placeat, quam quod mouet,& ad animæ plagas curandas eſt accommodatum.Bonus itaque Concionator,quidquid ad dicendum excogitauerit,eo tādem referat, vt recte auditorum vitam inſtituat: inania & otioſa reſecet,& non ſolum in rebus vniuerſis vagetur,ſed etiam ad ſingula deſcendat in his inſiſtat,hæc vrgeat,& amplificet:quod vt melius efficere poſſit, de amplificationis locis ſequenti capite ſpeciatim agemus.

Luc. 21. *Matth. 15.* *Luc. 13.* *Cap. 1.& 2*

Varij

Varij recenſentur amplificationis loci, & exemplis ex diuinis literis ſumptis illuſtrantur. Cap. II.

AMPLIFICATIONIS locos expoſituris, eos primũ percurram (neque enim eorum vim atque naturã vſumq; planius in præſentia exponere volo,) a quibus etiam argumenta ducuntur, quorum frequentatione & conglobatione conficitur amplificatio: deinde eos, qui a quibuſdam figuris ſumũtur; quamuis etiam ipſæ figuræ ad illos eoſdem locos reuocentur.

Ex omnibus autem locis hi potiſſimum amplificationi inſeruiunt, Definitio, diuiſio, partitio, enumeratio, cauſſæ, effecta, adiũcta, oppoſita, ſimilia, & exempla: ex figuris vero, parabolæ, comparata, incrementum, ratiocinatio, deſcriptio, fictio, ſermocinatio, & nomen.

Definitione, ſiue deſcriptione tunc aliqua res amplificatur,
cum varijs eius attributionibus conglobatis, deſcribitur, & expli
13. catur. Ex hoc loco petita eſt illa Iudę Apoſtoli amplificatio, qua
hæreticos homines deſcripſit, his verbis, Hi ſunt in epulis ſuis,
maculę, cõuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcẽtes, nubes ſine a-
qua, quæ a ventis circũferunt, arbores autũnales, infructuoſę, bis
mortuæ, eradicatę, fluctus feri maris, deſpumãtes ſuas cõfuſiones,
ſydera errãtia, quibus procella tenebrarũ ſeruata eſt in æternum:
quib. verbis plures repetitæ continentur definitiones. Huc perti-
Pſal. 1. net hęc viri iuſti deſcriptio apud Dauidem, Et erit tãquam lignũ,
(hoc eſt, arbor fructifera) quod plantatum eſt ſecus decurſus a-
quarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium e-
ius non defluet, & omnia quæcunq; faciet proſperabuntur. Rur-
ſus & hæc alia, Heu heu me, fili mi, vt quid te miſimus peregri-
nari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtrę, ſo-
latium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtrę? omnia ſimul in te v-
no habentes, te non debuimus dimittere a nobis. Multa alia ex di
uinis literis poſſem ſubijcere exempla, ſi hac in re nimius eſſe vel
lem. Hoc amplificationis genus ſumitur potiſſimum ab attribu-
tis, & proprietatibus, & effectibus: fitque verbis non ſolum pro-
prijs, ſed etiam metaphoricis.

Diuiſione, cum aliquod genus, vel aliquid magis commune in
ſpecies, ſiue formas diuiditur, plures eiuſdem rei vniuerſæ con-
globando partes, ſpeciesve: ex quo loco ſumpta eſt Pauli amplifi-
Rom 1. catio, qua gẽtium corruptelam exaggerauit, Tradidit illos Deus
in re-

in reprobum ſenſum;vt faciant ea, quę non conueniunt:repletos omni iniquitate,malitia,fornicatione,auaritia, nequitia, plenos inuidia,homicidio,contentione,dolo,malignitate,ſuſurrones,detractores,Deo odibiles,contumelioſos,ſuperbos,elatos, inuentores malorum,parentibus non obedientes, incompoſitos, ſine affectione,abſque fœdere,ſine miſericordia. Ex eodem loco hęc alia dimanauit,quæ eſt apud Iſaiam,Decaluabit Dominus verticē filiarum Sion,& Dominus crinem earum nudabit.In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas,& torques,& monilia,& armillas,& mitras,& diſcriminalia,& periſcelidas,& murenulas,& olfactoriola,& inaures,& annulos,& gemmas in fronte pendentes,& mutatoria,& palliola,& linteamina, & acus,& ſpecula,& ſindones,& vitas,& theriſtra. Huius generis multa alia poſſunt proferri exempla. & 2.Co.11 Cap. 3. Oſe. 2.

A partium enumeratione, Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum:os habent & non loquentur: oculos habent & non videbunt:aures habent & non audient: nares habent & non odorabunt: manus habent & non palpabunt:pedes habent & non ambulabunt:non clamabunt in gutture ſuo. Pſal.113. Et 1.Cor.12

Ab enumeratione,quæ fit,cum vnius rei plura attributa, vel plura quæ vnam rem circunſtant conglobantur,hoc pacto,Eſt enim in illa(de ſapientia loquitur Sapiens)ſpiritus intelligentiæ, ſanctus,vnicus,multiplex,ſubtilis,diſertus,mobilis,incoinquinatus,certus,ſuauis,amans bonum, acutus,qui nihil uetat benefacere,humanus,benignus,ſtabilis,certus,ſecurus, omnem habens uirtutem,omnia proſpiciens,& qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles,mundus,ſubtilis.Duo alia exempla habes apud Paulum, in priore ad Corinthios capite decimotertio, & in poſteriore capite quarto & ſexto. Sap.7.

A cauſſis,cum plures unius rei cauſſæ frequentantur: a cauſſa efficienti ſumpta eſt amplificatio illa Dauidis,qua plures enumerat cauſſas ob quas Deum ſibi laudandum eſſe demonſtrat, eo pſalmo,quem ſupra explicuimus: Quia peccata dimittit, quia a morte ad uitam reuocat,præmijs ornat,petita cōcedit, corpus inſtaurat,liberat oppreſſos,reuelat myſteria, & uerum cultum docet Et alibi laudandum Deum eſſe ait,Quoniam ciuitatem tuetur & munit,beneficijs ornat, pacem prę ſtat, abundantiam rerū tribuit:quia uentos mittit, dat niuem ut lanam,nebulas inducit, chryſtallum gignit,pluuias procreat,& tādem myſteria reuelat: Pſal. 102. Pſal. 147.

uerum hæc amplificatio ad alium locum reuocari poſſet.

Pſal.145. Ab effectis, frequentiſſimæ ſunt amplificationes ex hoc loco ductæ: nobis ſatis erit, ſi vnum vel alterum ſubijciemus exemplũ. Dominus, inquit ornatiſſimus Vates, Soluit compenditos: Dominus illuminat cæcos: Dominus erigit eliſos: Dominus diligit iuſtos: Dominus cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet. Huc reuocares pulcherrimam caritatis cõmendationem, quæ eſt apud Paul. Caritas patiens eſt, benigna eſt: caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate: congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Vbi duas amplificandi rationes animaduerteres: vnam per negationem, qua in omni re etiam tenuiſſima & ieiuna vti licet, eſtq; maxime in prõptu; alteram per affirmationem, quæ eſt illa priore multo neruoſior.

1.Cor.13.

Et Iſa.35.

Ab adiunctis, cum plura, vel antecedentia, vel conſequentia, vel rem aliquam comitantia coaceruantur: huc pertinet admirabilis illa hortatio, ſiue precatio Dauidis ad mittendum Meſſiam ab earum rerum, ſiue bonorum enumeratione, quæ eius aduentũ conſequutura erant: Cuius precationis hæc eſt propoſitio, Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis. Sequitur probatio per amplificationem: iudicare, hoc eſt, vt iudicet populum tuum in iuſtitia, & quæ in toto illo pſalmo ſequuntur: qui gratiarum actione concluditur: Benedictus Dominus, &c. Huic ſimilis eſt hortatio Tobię ſenioris ad Ieruſalem, ad laudandum Deum; a bonorum conſequẽtium enumeratione petita. Luce ſplẽdida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex lõginquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum, & quæ ibi ſequuntur.

Pſal.71.

Cap 13.

Ab oppoſitorum conflictione, quorũ alia ſunt aduerſa, vt bonum malum: alia priuantia, vt lux tenebræ: alia relata, vt dominus ſeruus, dominari obedire: alia negantia, vt ſeruire Deo, non ſeruire. Ex hoc loco hanc ſumpſit amplificationem Paulus, Nolite iugum ducere cum infidelibus, Quæ enim participatio iuſtitię cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conuẽtio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem conſenſus templo Dei, cum idolis? Vos autem eſtis templum Dei viui, &c. Et hæc apud Micheam, Nolite confidere amico; & nolite confidere in duce: ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clau-

Agga. 1.
Thren. 4.
Iſa 42.
2.Cor.6.

Cap. 7.

di clauſtra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, nurus aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius. Item, vnus ædificans, & vnus deſtruens: quid prodeſt illis, niſi labor? Vnus orans & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus? Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficiet lauatio illius? Sic homo qui ieiunat in peccatis ſuis; & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius quis exaudiet? eſt hæc amplificandi ratio efficaciſſima, ac proinde diligenter obſeruanda, & vſu terenda. *Ecci. 34.* *Cap. 3.*

A repugnantium conglobatione, eſt hæc pulcherrima apud Amos amplificatio, Nunquid ambulabunt duo pariter, niſi conuenerit eis? Nunquid rugiet leo in ſaltu, niſi habuerit prædam? nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit? nunquid cadet auis in laqueum terræ abſque aucupe? nunquid auferetur laqueus de terra, antequã aliquid ceperit? ſi clanget tuba in ciuitate, & populus non expaueſcet? ſi erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? Et apud Iobum, Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præſepe plenum ſteterit? aut poterit comedi inſulſum quod non eſt ſale conditum? aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem? *Cap. 6.* *Cap. 5.*

A ſimilium frequentatione, eleganter admodum Sapiens impiorum miſeriam amplificat, cum ſub eorum perſona ait, Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis quæ tranſit fluctuantem aquam: cuius, cum præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis quæ tranſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, ſed tantum ſonitus alarum verberans leuem ventũ, & ſcindens per vim itineris aerem, commotis alis tranſuolauit, & poſt hoc nullum inuenitur ſignum itineris illius: aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aer continuo in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius: ſic & nos nati continuo deſiuimus eſſe, & virtutis nullum ſignum valuimus oſtendere: in malignitate autẽ noſtra conſumpti ſumus. Candidiores Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. *Thr. 3. & Bar. 6.* *Ecci. 14.*

Ab exemplorum frequentatione, multæ in diuinis literis extant huius generis amplificationes; vt eſt illa luculentiſſima Pauli amplificatio, qua multis antiquorum patrum exemplis quan- *Heb. 1.*

modo ſupra ſummum increſcit oratio, vt hoc in loco apud Dauidem, Si reddidi retribuẽtibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis: perſequatur inimicus animam meam, comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerẽ deducat. Huius generis multas obſeruabis in diuinis literis amplificationes. *Pſal. 7.*

Ratiocinatione, qua ex adiunctis, antecedentibus, conſequentibus, comitantibusve rei quę ſequnta eſt, aut anteceſſit, aut ſimul eſt, magnitudo oſtenditur. Quanta fuerit Dauidis pœnitentia, intelligi poteſt ex his quæ aliquando ipſe cecinit, Lacrymis meis ſtratum meum rigabo: & quantus fuerit Goliath ex magnitudine amorum quibus vtebatur: & quantus Saul, qui ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum. *1. Reg. 9.*

A deſcriptione, cuius variæ ſunt formæ & in diuina ſcriptura frequentiſſimæ, ornatiſſimæ, & admirabiles. Sunt autem deſcriptiones, quas græci hypotypoſes, hoc eſt ſub oculos ſubiectiones vocant, rerum, perſonarum, factorum, dictorumque: quæ ad perſonas referuntur, vel corpus ipſum, vel animum & mores deſcribunt. Corporis deſcriptiones, præter alia loca, in Canticis habentur illuſtres, quas qui volet videre poterit: ex quo loco nos ad viri Iuſti pulchritudinem explicandã occaſionem ſumpſimus. Morũ iniuſti hominis ſingularis hypotypoſis habetur Pſalmo nono apud Dauidem, cum ait, Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore: auferuntur iudicia tua, vſque ad verba illa, Dixit enim. Habes etiam in libro primo Regum in iuſti Regis longam per effectus, ſiue per mores deſcriptionem. Deſcripſit eleganter auarorum mores Amos, cum eos hunc in modum loquentes fecit, Quando tranſibit meſſis, & venundabimus merces: & ſabbathum, & aperiemus frumentũ, vt imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas: vt poſſideamus in argento egenos & pauperes; pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus? Elegantem ornatę fœminæ deſcriptionem habes apud Ezechielem, vbi Dominum cũ Ieruſalem ſic loquentem facit, Et laui te aqua, & mundaui ſanguinem tuum ex te: & vnxi te oleo: & veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hyacintho, & quæ ibi ſequuntur. Euerſæ ciuitatis deſcriptio legitur apud Ezechielem, his verbis, Filias tuas quæ ſunt in agro gladio interficiet: & circundabit te munitionibus, & cõportabit aggerem in gyro, & quæ ibi ſequuntur. Apud eundem felicis ciuitatis deſcriptio, O Tyre, tu dixiſti, Perfecti decoris ego ſũ,

Lib. de viro iuſto. *Cap. 8.* *Cap. 8.* *Cap. 16.* *Ecci. 39. 24.* *Cap. 27.* *Et in Thre. apud Ierem.* *Cap. 27.*

Nahum. 3. & in corde maris ſita. Finitimi tui, qui te ædificarunt, impleuerūt decorem tuum, & quæ ibi latiſſime ſequuntur. Item, alia eſt futuræ calamitatis deſcriptio apud Iſaiam, Et erit quaſi damula fugiens, & quaſi ouis; & non erit qui cor greget, & quæ ſequuntur. Humanæ felicitatis deſcriptio, ſiue amplificatio elegantiſſima, eſt hæc apud Dauidem, Quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua: filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi: promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud: oues eorum fœtoſæ, abundantes in greſſibus ſuis, &c. Has igitur & multas alias deſcriptiones quas miſſas facio, in ſacro codice diuinæ eloquentiæ diligens obſeruator notabit.

Cap. 13.

Pſal. 143.

Eccl. 24.39

Dictorum ſiue cogitationum deſcriptio, vel amplificatio ab enumeratione ſumpta, eſt hæc apud Iſaiam, Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes: qui dicebas in corde tuo, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo, & quæ ſequūtur: quibus pulcherrima victi & proſtrati hominis ſubijcitur amplificatio. Meſſiæ deſcriptio apud Iſaiam ab effectis ſumpta, his verbis continetur, Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linū fumigans non extinguet; in veritate educet iudicium. Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium: & legē eius inſulæ expectabunt.

Cap. 14.

Cap. 42.

Dei veri deſcriptio apud Ieremiam, ab operibus, & effectis ſūpta, eſt hęc, Qui facit terram in fortitudine ſua, pręparat orbem in ſapientia ſua, & prudentiā ſua extendit cœlos: ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura in pluuiam facit, & educit ventum de theſauris ſuis. Qua deſcriptione verum Deum a falſis dijs diſtinguit. Similes Dei deſcriptiones non vno in loco reperies apud Iobum. Deſcriptio deorum gētium admirabilis habetur integro capite apud Baruch, qui locus eſt omnino legendus. Deſcriptio egregia hominis impij habetur apud Iobum his verbis, Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & quæ apud ipſum latiſſime ſequūtur. Item alia ampliſſima legitur capite vigeſimo, Si aſcenderit vſque &c. Item alia capite vigeſimoquarto. Alij quaſi onagri, &c. Eloquentiſſime & copioſiſſime idem ſuam calamitatem ob oculos ponit, cum ait, Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non eſt qui audiet. Semitam meam circumſepſit, & quæ ſequuntur: Idem ornatiſſime ſuum felicem ſtatum expreſſit, his ver-

Cap. 10.

Cap. 5. 16.
Cap. 6.
Cap. 15.

Cap. 19.

Cap. 29.

his verbis, Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris,& quæ ſequuntur: vbi etiam continetur optimi principis & ciuis deſcriptio. Idem,luculentiſſime felicitatem impij hominis hunc in modum depinxit,Quare impij viuunt,ſubleuati ſunt,confortatique diuitijs? Semen eorum permanet coram eis,&c. Item apud eundem eius qui pie viuit proſperitas,a conſequentibus,capite quincto demonſtratur. Item,pauperis & abiecti hominis perſona capite trigeſimo, Nunc autem derident me iuniores tempore: quorum non dignabar partes ponere cum canibus gregis mei. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo,&c. Denique, ne plura deſcriptionum ſubijciam exempla, quæ ſunt pene infinita, apud eundem lege equi, beemoth, & leuiathan elegantiſſimas hypotypoſes. *Cap. 21.* *Cap. 39.40*

Huc reuocares conformationem, qua quæ non adeſt perſona quaſi adſit confingitur:cum nimirum rei mutæ & informi tribuitur ſermo,& actio quædam : cuiuſmodi multa in diuinis literis reperires exempla;vt illud initio Prouerbiorum, Sapientia foris prædicat,in plateis dat vocem ſuam;in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, dicens, Vſquequo paruuli diligitis infantiam,&c.Et alio loco,De feneſtra enim domus meæ per cancellos proſpexi,& video paruulos,conſidero vecordem iuuenem,qui tranſit per plateam iuxta angulum,&c.Baruch quoque ad leniendos captiuorum animos aliquando Hieroſolymorum ciuitatem ad ſuos filios loquentem fecit, his verbis,Audite confines Sion; adduxit enim mihi Deus luctum magnum:vidi enim captiuitatem populi mei,filiorum meorum,& filiarum,quam ſuperduxit illis Æternus. Nutriui enim illos cũ iucunditate,& quæ ſequuntur. *Cap.1. & 8* *Cap. 4.*

Ex omnibus autem deſcriptionibus aliæ ſunt magis comparatæ ad docendum,vt cum ſola perſona deſcribitur, etiamſi mores recenſeantur,vt cum Ioſephi,Moſis,Iobi, Tobiæ,& aliorum vita deſcribitur:aliæ vero magis ad mouendum, vt quæ per notationem alicuius affectus & ſtudia ob oculos ponunt;vt hominis auari,luxurioſi,iracundi,temulenti,& amantis: vt ſunt illæ notationes, quibus hæreticorum ſtudia in ſuis epiſtolis Petrus, & Iudas notarunt.

Eſt alius amplificationis locus,quem fictionem & hypotheſin appellant,cum id quod non eſt fingitur, vt id quod volumus magis amplificetur. Hac ratione mirifice Paulus caritatis præſtantiam ac magnitudinem demonſtrauit, cum dixit, Si linguis ho- *1.Cor.13.*

minum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam,factus ſum veluti æs ſonans,& cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam,& nouerim myſteria omnia,& omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem,ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero,nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam,caritatem autem non habuero,nihil mihi prodeſt. Quid magnificentius?quid exaggeratius dici,aut fingi poteſt?

Sermocinatio quoque,quæ eſt quaſi quædam perſonæ deſcriptio,eſt ad amplificandum valde accommodata: cum itaque alicui perſonæ congruentem ſermonem tribuimus; ſermocinatio dicitur:vnde hæc admodum illuſtris ſumpta eſt amplificatio, *Cap.2.& 5* quæ in libro Sapientiæ legitur.Dixerunt enim impij cogitantes apud ſe non recte,Exiguum & cum tædio eſt tempus vitę noſtrę, & non eſt refugium in fine hominis,& quæ ibi ſequuntur.Item eodem libro de impijs dicitur,Videntes turbabuntur timore horribili,& mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis,dicentes intra ſe,pœnitentiam agentes,& præ anguſtia ſpiritus gementes, Hi ſunt quos aliquando in deriſum,& in ſimilitudinem improperij,&c. conſule locum admirabilem,& memoria perpetuo retinendum. *Prou. 7.* Et Salomon in Prouerbijs,cum primum fœminæ procacitatem his verbis deſcripſiſſet, Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio,preparata ad decipiendas animas,garula,& vaga, quietis impatiens,&c.poſtea per hanc figuram ei hunc ſermonē ornatiſſime tribuit,Apprehenſamque deoſculatur iuuenem,& procaci vultu blanditur,dicens, Victimas pro ſalute deuoui,hodie reddidi vota mea:idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum, & *Prouer. 1.* quæ ibi elegātiſſime ſequuntur. Eſt etiam eodem libro hæc impiorum ſermocinatio,quam ſapientia eis tribuit.Fili mi,ſi te lactauerint peccatores,ne acquieſcas eis:ſi dixerint,Veni nobiſcū, inſidiemur ſanguini,&c.Non ſolum quid perſonæ dicant, aut dixerint per hanc figuram & amplificādi formam ſignificatur, ſed *Cap.2.& 5* etiam quid dicere debuiſſent;vt hoc loco apud Ieremiam,Et nō dixerunt, Vbi eſt Dominus qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti,&c.& alio loco,Et non dixerunt, Metuamus Dominum,qui *Ezec. c. 27. & 31.* dat nobis pluuiam temporaneam,&c.

Denique, ne plures proſequar amplificandi rationes, quaſdā alias breuiter perſtringā:Sumitur aliqua amplificatio a rei nomi- *Pſal.21.* ne addita correctione;vt,Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum,& abiectio plebis:Ab hyperbole; vt,nō

eſt qui

eſt qui faciat bonum,non eſt vſque ad vnum. A congerie,vt,Nō ſum liber?non ſum Apoſtolus ? nonne Chriſtum Ieſum dominū vidi?nonne opus meum vos eſtis in Domino ? Vſquequo,Domine obliuiſceris me in finem?vſquequo auertis faciem tuam a me? quamdiu ponam conſilia in anima mea , dolorem in corde meo per diem?vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? Ab aſſeueratione;vt, forſitan aqua abſorbuiſſet nos,ideſt certiſſime abſorpti fuiſſemus : Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus:nimis confortatus eſt principatus eorum: Tunc enim aſſeueramus,cum aduerbijs,vel nominibus, vel alijs orationis partibus appoſitis,aliquid magis augemus. A generis cum ſpecie collatione;vt,Suſcitans a terra inopē, & de ſtercore erigens pauperem , vt collocet eum cū principibus,cū principibus populi ſui; quaſi dicat, maximum quid eſt pauperem creare principem , ſed multo maius eundem ſui populi principem facere . Sed frater cū fratre iudicio contendit,& hoc apud infideles? ſed vos iniuriam facitis,& fraudatis,& hoc fratribus? Atqui de amplificatione huc uſque:ſequitur,vt de affectuum permotione,ad quam amplificatio refertur,ſcribamus.

1.Cor.9. *Pſal.12.* *Pſal.138.* *Pſal.112.* *1.Cor.6.*

Quid & quotuplex ſit affectus , & quod affectus commouere liceat.
Cap. IIII.

FIERI non poſſe,vt quiſpiam affectus commoueat, ni eorum aliquam ſaltem rudem cognitionem habuerit,pro certo vna cum Platone haberi debet; quidquid aliqui dicendi Magiſtri hac in parte ſenſerint:Propterea, antequam de modo,quo concitari poſſint quicquam dico,eorum naturam breuiter explicabo.

Trapez.

Sunt ergo in homine duæ partes,quarum altera eſt rationis capax,altera vero expers : illa ſuperior,hæc inferior dicitur:illa hominis propria,hæc cum brutis communis.In quarum vtraq; duę ſunt vires;altera qua homo cognoſcit,altera qua expetit. Vis cognoſcendi in ſuperiori parte ſita habet pro obiecto uerum,a quo permouetur:vis appetendi in omne bonum fertur, & malum refugit. Vis cognoſcendi in parte inferiori id ſolum percipit,quod naturam conſeruat,aut deſtruit:vis appetendi, in illud ſolummodo bonum fertur, quod aliquam delectationē in ſenſu procreat: cuius duæ ſunt partes,Altera quæ dicitur cōcupiſcibilis, quæ fertur in bonum ſine difficultate propoſitum; altera quę in bonum

arduum

arduum tendit, quam iraſcibilem appellant. Et quamuis, & in ſuperiore, & in inferiore animi parte aliquis poſſit eſſe affectus: tamen, magis propriæ illæ commotiones affectus vocantur, quæ cum aliqua corporis immutatione in parte ſentiente fiunt. Affectus itaque nomine intelligimus aliquam animi commotionem, quæ in parte appetēte exoritur ob aliquam boni, maliue ſpeciem perceptam, qua a ſuo ſtatu dimouetur natura.

Hos affectus Stoici, quia eos malos eſſe putabant, omnino euellendos eſſe exiſtimarunt. Peripatetici vero, quia nec bonos nec malos eſſe iudicarunt, ſatis eſſe dixerunt, ſi ita frenentur, ut rationi obedientes reddantur. At vero quidam ſtultiſſimi homines dixerunt affectus eſſe quoſdam dæmones humanis mentibus affixos, non ſecus ac capilli inſiti ſunt capiti. Nec minus errarunt, qui omnes ſentientis animæ motus, qui in nobis contra rationē ſurgunt, peccata eſſe dixerunt, vt Lutherus fecit: cum tamen nullum poſſit eſſe peccatum, ſi rationis non accedat conſenſus. Mittantur igitur Stoici, contra quos Lactantius, Auguſtinus, & alij multa diſputant: & penitus reijciantur hæretici, quorum opiniones, ſi ſpectaremus, vtique affectus commouere non liceret.

Apud Clemen. Alex.

Dicamus itaq; cum communi & vera bonorum Philoſophorum & Theologorum ſententia, affectus, quos paſſiones vocant, ex ſe, nec bonos, nec malos eſſe: poſſe tamen fieri bonos & malos, ſi rationem ſequantur, vel ab eadem recedant: & eos ſolos fortaſſe Stoici malos eſſe putarunt, vt ex oratione qua affectus deſcripſerunt colligere licet: Sic enim perturbationem, quam pathos appellabant, definiebant, Perturbatio eſt auerſa a recta ratione contra naturam animi commotio. Tu vero ſic deſcriberes, Affectus eſt appetitus ſentientis animæ ex alicuius rei bonæ vel malæ opinione nata commotio. Efficitur itaq; affectus omnis a ſpecie obiecta rei bonæ vel malæ, vel præſentis, vel futuræ, acquiſitu facilis, vel difficilis; & quidem tribus modis: vel cum in eam propendimus, vel cum proſequimur, vel cum iam adepti ſumus.

Cic. Tuſc. 4

Quo fit, vt vndecim numerentur affectus: quorum ſex in ea ſunt parte qua concupiſcimus, reliqui in ea qua iraſcimur. In illa circa bonum cognitum per propenſionem eſt amor: per perſequutionem boni abſentis, deſiderium: & per conſequutionem præſentis, lætitia, ſiue delectatio. In eadē parte ratione mali ſunt tres affectus contrarij, odium, fuga, triſtitia. In hac vero, circa bonum arduum quod acquiri poſſit, eſt ſpes, ſi acquiri nequeat, deſperatio:

ſperatio:

ſperatio:circa malum imminens,quod vires excedit,timor: circa idem,ſi vires non excedat, audacia. Ratione boni adepti in hac parte:nulla eſt affectio,cum non adſit difficultas at vero circa malum quod adeſt,eſt ira. Sūt qui ſolum quattuor motuum genera numerent,& ſub illis alias ſpecies ponant,hoc pacto. Ex bono abſenti oritur libido,ſiue deſiderium:ex eodem vt eſt pręſens lætitia:ex malo futuro metus:ex præsēti ægritudo,ſeu triſtitia. Hęc genera plures complectuntur partes; vt lætitia delectationem, iactationem, maleuolentiam, quæ ex alieno malo lętatur, & ſi quę ſunt harum ſimiles: Libido, iram, excandeſcentiam, odium, inimicitiam, deſiderium, diſcordiam, & alias huiuſmodi: Metus, pigritiam, pudorem, terrorem, timorem, pauorem, examinationem, formidinem: Aegritudo, inuidentiam, æmulationem, obtrectationem, miſericordiam, angorem, luctum, mœrorem, ęrumnā, dolorem, lamentationem, ſolicitudinem, moleſtiam, afflictationem, deſperationem, & eiuſdem generis alias. Harum affectionū & pręſertim primarum, ex quibus alię proficiſcuntur definitiones, cauſſas, & effectus qui noſceret, multo aptior ad motus commouendos eſſet: quę qui cognoſcere voluerit, noſtros legat de rhetorica libros. *Cic. Tuſc. 4.*

Rurſus, affectus diuidi ſolent in maiores, & minores, ſiue in leniores, & vehementiores: illi, Mores, gręce ἤθη, hi perturbationes, græce, πάθη vocantur: illi potiſſimum inſeruiunt ad conciliandum, ad gratiam ineundam, ad retinendum auditorem, & ad morum ſignificationem prębendam: hi vero ad concitandum, & inflammandum: illis in admonitionibus, & hortationib. familiaribus, & in rebus leuioribus; his vero in redargutionibus, reprehenſionibus, & in grauioribus rebus, in quibus de religione, de ſalute, & de vitio fugiendo agitur, utimur. *Cic. libro de orat.*

In motibus faciendis longe maiorem facultatem habet Chriſtianus, quam ciuilis orator; cum ille tanquam iudex, magiſter, pater, & Dei legatus ad dicendum accedat, & maioris momenti cauſſas tractet, ac proinde non ſolum leniter monere, obſecrare, & pręcipere ſolet; ſed etiam obiurgare, increpare, & interminari: hic uero remiſſius ſe gerit, iudici ſeſe interdum ſubijcit, eique blanditur. Et cum aliam habeat ſubiectam materiam, aliumque finem; proinde quoſdam priuatos affectus mouet, & quibuſdam etiam priuatis locis utitur ad commotionem, quæ uniuerſe loquendo, nihil aliud eſt, quam quędam mentis incitatio, ſine qua ingrata & exanguis Concionatoris redditur oratio. Humanus

Orator

Orator potiſſime ad indignationem & commiſerationem ſub honeſtatis, aut vtilitatis ſpecie excitat; diuinus vero ad amorem Dei, ad deſiderium ſalutis æternæ, ad ſpem veniæ obtinendæ, ad metum futuri iudicij, ad gratias pro acceptis beneficijs agendas commouet, & denique afflictos ad lætitiam traducit. Quare, licet ciuili Oratori ſatis ſit, ſi affectus dicendo temperauerit, & in officio continuerit, & a turpitudine ad honeſtatem reuocauerit: Eccleſiaſtico tamen id non ſufficit, ſed etiam ad verum Dei cultum, ad veras & perfectas virtutes eos, vt præclare Lactantius ait, dirigit: Exempli cauſſa, ſi concupiſcendi vis in cælum dirigatur, laudabiles oriuntur affectiones, quæ nos ad perfectas virtutes commouent: vt ſunt tædium huius vitæ, timor futuræ pœnæ, deſiderium æternæ beatitudinis, Dei amor, contemptus ſui, & aliæ huiuſmodi: Docetque pernicioſas & turpes ex eadem radice oriri affectiones, ſi ad terrena & humana declinet. Eadem ratione, ſi vis iraſcendi ſurſum feratur, excitatur & alitur præſtantiſſima affectio, quæ dicitur zelus: oritur correctio, fortitudo chriſtiana, perſeuerantia, & quædam aliæ virtutes quæ ſunt Chriſtianorum propriæ.

Sed diceret hoc loco quiſpiam, cur tanta eſt opus in Oratore Chriſtiano affectuum commotione? cum verſetur in cauſſis auditoribus vtilibus atque neceſſarijs, nec habeat eorum animos auerſos, ſed potius beneuolos, atque ad id quod vult perſuadere, etiam propenſos. Hæc oratio plauſibilis ſane videri poſſet ijs, qui parum ſtudij in permouendis affectibus ponunt, & ijs qui ſatis ſuo officio ſe feciſſe arbitrantur, ſi docuerint, vel etiam delectauerint. Vt huic dubitationi plane ſatisfaciam, docebo primum quantum errent, aut ab Oratoris perfectione diſtent, qui hoc tertium Oratoris munus, aut negligunt, aut præſtare nequeunt: deinde priuatim ad dubitationem propoſitam reſpondebo.

Primum, ſi non eſſet neceſſaria hæc commouendorum affectuum in oratore Chriſtiano uis, cur cœleſtes oratores, prophetas priuatim intelligi volo, & epiſtolarum canonicarum ſcriptores omnia pathetice ſcripſerunt? quod qui in Iſaia, in Ieremia, in Ezechiele, in Dauide, in Paulo, in Iacobo, & alijs non animaduertit, is ſane ſtupidus eſt. Deinde, ſi non eſt neceſſe docendo affectus commouere, cur concionatori dictum eſt, Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam: Et alio loco, Prædica verbum, inſta opportune, importune argue: Præterea, ſi non eſt affectuum incitatione opus, nihil eſt cur bona Chriſtianorum pars ad audiendas con-

Iſa.58.

2.Tim.4.

das conciones accedat; cum omnes fere ſciant, quid tandem eis faciendum ſit. Ad hæc, ſi auditorum mentes commouere non eſt neceſſe; aut quia ſatis eſt, ſi auditor ſciat & credat, & hoc cum religione pugnat, cum ſolum illi iuſti fiāt, qui non modo diuinum verbum audiunt, ſed etiam ſeruant; & illi vocentur beati, qui illud audiunt, & cuſtodiunt: aut quia eo audito, ſua ſponte ſine vllis incitamentis auditores quę audiuere exequuntur: ſed hoc eſſe falſiſſimum experientia ipſa docet: cum videamus homines non omnino malos audire conciones per totam quadrageſimam, & tandem nihil, aut certe parum in ſpirituali vita proficere. Denique, ne in re manifeſta comprobanda diutius immorer, nemo ſanæ mentis diceret, non eſſe magis neceſſarium hoc munus in Eccleſiaſtico oratore, quam in ciuili: at, ſi iſte dicendo non moueat, pro imperfecto & inutili habetur: multo igitur magis ille. Quare, merito boni dicendi magiſtri dixerūt, Docere eſſe neceſſariū, delectare honorarium, mouere victoriæ: In hoc vno orationē dominari: hoc eſſe maxime Oratori proprium, auditorum affectus dicendo commouere, & quo velit trahere, & vnde velit abducere. Rom. 2

Quod autem ad dubitationem propoſitam attinet, ideo auditor mouendus eſt, quia quæ audit & cognoſcit, aut non facit, aut frigide, negligenter, imperfecteque facit: partim ob uitiatam naturam, partim ob habitus malos iam contractos, partim ob aduerſariorum oppugnationem, partim ob prauos affectus, quibus ſe trahi ſinit; vt vere dicere poſſit,

——Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

En igitur quanta ſit permouendorum affectuum neceſſitas: quos qui nequit mouere, meo conſilio, ab hoc munere abſtineat.

Admonitiones quædam cognitu neceſſariæ ad recte permouendos affectus. Cap. V.

Vt permouendorum affectuum munus eſt omnino neceſſarium; ita eſt etiam valde difficile. Propterea non erit inutile, nec a re in qua verſamur alienum, ſi quo pacto hoc prǣſtantiſſimum officium prǣſtari queat, breuiter indicauerimus: cuius rei gratia nonnullas admonitiones ſubijciemus.

Prima admonitio, nemo ab hoc munere abſtineat, quod illud exiſtimet.

existimet omnino eſſe difficile:quia,etſi re uera multa ſint neceſ-
ſaria in eo qui auditorum mentes inflammaturus ſit:tamen, cum
ſola mulierum vox,ſine vlla ſubiecta ſententia , affectus commo-
uere ſoleat, cur id etiam Oratoris ſapiens & numeroſa oratio
grauibus ornata ſententijs efficere nó poterit? cuius tanta eſt vis,
Eurip. vt merito ab Euripide tyrannus,& ab Ennio Flexanima, atque
Ennius. omnium regina rerum,& a Tullio,bonus ac fortis Imperator no
Lib.3.Orat. minata fuerit. Si hiſtriones, dum fictos caſus narrant,fictaſque
perſonas in ſcena imitantur , ſe ſuoſque auditores ad mœrorem
luctumque excitant,cur id Eccleſiaſticus orator,qui vera,qui gra
uia in concione tractat,modo ijs,aliqua parte,ſit munitus præſi-
dijs,quæ ad hoc faciendum ſunt neceſſaria,non faciet ? quæ auté
iſta ſint,mox explicare nitemur.

Secunda,qui affectus ciere vult,ex Euangelio,ſiue ex ſcriptu-
ra quam exponit,aut ex materia quam tractat, id ſumat, quod ſit
magis ad mouendum idoneum;vt ſunt quæ timorem, quæ mœro
rem,quæ lætitiam, quæ ſpem excitare poſſunt:quæ homines,aut
vehementer amant,aut reformidant;quæ temporibus & perſonis
ſunt accommodata. Sunt enim aliqua,quæ ſola ac ſimplici narra
tione,modo cum quadam grauitate ſenſuque recitentur, vim ad
mouendum habent;verbi gratia,hiſtoria Abrahę de imolatione
filij, graues Ioſephi caſus, Iobi patientia, conſtantia & tolle-
rantia Tobiæ , Machabæorum pro religione retinenda fortitu-
do,& denique ſanctorum martyrum atrociſſimi cruciatus.

Tertia ad ſe & alios inflammandos multum conferret,ſi con-
cionator eam adhiberet curam, vt non ſolum quæ dicturus eſt in
telligeret,& memoria contineret, ſed etiam tota mentis cogita-
tione in ea intraret , & internis oculis quaſi præſentia perluſtra-
Quinct.lib. ret,ac peruideret:quod is facilius faceret, qui ea ui polleret, quã
6.c.2. phantaſiam appellant Græci.Quare,ſi quis extremi iudicij horri
ficum ſpectaculum, inferni grauiſſimas pœnas, æternæ felicita-
Act.7. tis ſumma & inexplicabilia gaudia,intueretur, & ſicuti Stepha-
nus cœlos apertos videret, is profecto facillime ſe ſuoſque au-
ditores in affectus traheret . Similiter, ſi quis mentis obtutu cer-
neret quanta in calamitate ſit conſtitutus is qui in peccato iacet,
omnino ad peccatum relinquendum dicendo permoueret,atque
ſuper huiuſmodi defuncto lacrymas abundanter funderet. Ani-
maduerte,obſecro Chriſtiane lector,quid aliquando homo alie-
nigena ſolo naturæ obſcuro lumine iam perpetrata peccata ſpe-
ctando,non ſine graui,vt arbitror,ſui commotione dixerit, Tan-

tum

tum enim mihi dolorem, cruciatumque attulerunt errata ætatis meæ, vt non ſolum animus a factis, ſed aures quoque a commemoratione abhorreant. Qui itaque ſibi rerum dicendarum conſpectum ob oculos proponet, is eas amplificando facile poterit commouere. Dixit Plato, & qui ab eo accepit M. Tulllius, tantã eſſe honeſti atque virtutis pulchritudinem, vt ſi oculis cerneretur, mirabiles ſui amores excitaret, quod tam certum eſt, quam quod certiſſimum. *Cic. lib. 7. epiſt.*

Quarta, non ſatis eſt ad motus incitandos rem animo penitus concepiſſe, niſi accedat quædam feruens & viua pronunciatio & actio, non frigida, non languida, atque exanguis; ſed incenſa, lacertoſa, quæ rebus quaſi vitam tribuat.

Quincta, is, vt omnes dicendi Magiſtri docent, erit ad alios permouẽdos aptiſſimus, qui prius ſe permouerit ipſum. Iudex enim, vt ait Antonius, ad miſericordiam nõ adducetur, niſi ei tu ſigna doloris tui verbis, ſententijs, voce, vultu, collacrymationeque dederis. Vt enim nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quæ, niſi admoto igni, ignem concipere poſſit: ſic nulla mens eſt tam ad comprehendendam vim orationis parata, quæ poſſit incendi, niſi inflammatus ipſe ad eam & ardens acceſſeris Item, Neque enim fieri poteſt vt doleat is qui audit, ut oderit, vt inuideat, vt pertimeſcat aliquid, vt ad fletum miſericordiamque deducatur, niſi omnes ij motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipſo Oratore impreſſi eſſe atq; inuſti videantur. An ille dolebit, ait Fabius, qui audiet me, cum hoc dicam, non dolentem? iraſcetur, ſi nihil ipſe, qui in iram concitat, idque exigit, nihil patietur? ſiccis agenti oculis iudex lacrymas dabit? Fieri nõ poteſt. Nec incendit niſi ignis, nec madeſcimus niſi humore, nec res vlla dat alteri colorem, quem ipſa nõ habet. Primum eſt igitur, vt apud nos valeant ea quæ valere apud Iudicem volumus, afficiamurque antequam afficere conemur. Et vt Flaccus ait, *Lib. 2. orat.*

——Si vis me flere dolendum eſt *In poet.*

Primum ipſi tibi.

Cicero, vt auditores moueret, plangore & lamentatione replebat forum: quem non tam ingenij quam magna animi vis inflammabat, vt ſeipſum non teneret: quod intelligereteum qui audiret, non poſſe incendi, niſi ardens ad eum perueniret oratio. Et Antonius in Norbani cauſſa, vt ſe ad permouendos affectus geſſerit, his verbis expoſuit, Non fuit hæc ſine meis lacrymis, non ſine dolore magno miſeratio, &c. Eo modo grauiſſimam cauſſam agebat *In orat.* *Cic. lib. 2. de orat.*

Ierem.9. bat ille, qui in hęc verba prorupit, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? &c.

Fab.li.6.c.2 Sexta, deſideratur etiam in eo qui velit affectus excitare, rerũ quas dicit illuſtratio, & euidentia quædam, quæ non tam res dicere, quã oculis cernendas proponere videatur. Affectus enim partim rerum magnitudine, partim earundem præſentia oculis ſubiecta commouentur: illud amplificatione, hoc rerum deſcriptione, vt ſupra docuimus, fit; vt in Prophetarum lectione paſſim obſeruare licet. Qui igitur permouere auditores voluerit, is rem amplificet, atque ob oculos conſpiciendam ponat: quod ei erit facile factu, qui prius eam, vt dicebam, animo ſpectauerit.

Septima, eum locum eamve cauſſam quam Concionator præ manibus habet, ita tractet, ac ſi rem ſuam ſibi maxime caram, & neceſſariam tractaret: quoniam quæ noſtra intereſſe putamus, copioſius, ardentiuſque tractare ſolemus; vt patet in aduocato, qui ſuam cauſſam agit: ſuum etenim cuiuſque bonum, vel ipſos infantes, diſertos facit. Huc ẽt pertinet magnũ iuuãdi proximi deſiderium: Et quod maxime commouebit, non tantum auditorum, & ſuam cauſſam ſe agere exiſtimet, ſed & Chriſti, & Dei: in quade eius honore, laude, perpetuaque gloria agitur: quam qui remiſſe, qui leniter, qui oſcitanter ſine ſuo & auditorũ ſenſu agit, is profecto ſuo muneri non facit ſatis; & fictam cauſſam ſuſcepiſſe videtur. Cui fortaſſe dici poſſet, quod cuidam alias non malo oratori dictũ fuit, Tu iſtuc, niſi fingeres, ſic ageres? præſertim,

Cic. in Bru. cum iſta eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime ſoleas, tuum negligeres? vbi dolor? vbi ardor animi? qui etiam ex infantium ingenijs elicere voces, & querelas ſolet. Nulla perturbatio animi, nulla corporis frons non percuſſa, non femur, pedis, quod minimum eſt, ſupploſio nulla. Itaque tantum abfuit, vt inflammares noſtros animos, ſomnum iſto loco vix tenebamus. Vt merito Brutus ad iſta verba adiecerit, Quis enim non fateatur, cum ex omnibus Oratoris laudibus longe iſta ſit maxima, inflammare animos audientium, & quocunque res poſtulet, flectere; qui hac virtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuiſſe?

Octaua, qui vult efficacius commouere, quę ad id faciendũ adhibet, ex ſcripturis diuinis, quantum fieri poteſt, ſumat; aut certè ex ſanctorum patrum monumentis: quæ quantum in ſe erit,

& opus

& opus fuerit, exaggerabit, & amplificabit. Quare, ſi ad ſpem beatæ vitæ commouere vellet, eas ſententias ex diuinis oraculis ſumat, quæ huc faciunt; vt ecce, Torrente voluptatis tuæ potabis eos: Satiabor, cum apparuerit gloria tua: Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui: Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum. Similiter, ſi vellet ad timorem excitare, quę immēſam Dei iuſtitiam, quę atrociſſimas inferni pœnas demonſtrant ſententiæ, eas in medium afferat, & dilatet. Doctrinæ nanque pondus & auctoritas eius vnde ſumitur, vim habet ad commouēdum maximam. Quare, minus apte ad motus faciendos dicunt, qui nihil a diuinis ſcriptoribus, nihil a ſanctis patribus, nihil a ſacris concilijs ſumunt; aut ſi ſumunt, ſuppreſſo auctorum nomine, tanquam fures, pro ſuis venditant: aut ſi auctores citant, ea quæ dicunt, nude & ſicce proponunt, vt magis lectores, quam Oratores videantur. Omitto hic morum ſignificationem, de qua alibi diximus, quæ vim non exiguam ad mouendum habet: cum verum ſit dictatum illud Magis mouent exempla, quam verba: Et experientia ipſa commonſtrat, eos Concionatores magis mouere, cæteris paribus, aut etiam non omnino paribus, qui aſperiorem vitam viuunt, & perfectiorem viuendi rationem profitentur: &, vt Fabius prudenter adnotauit, Qui cum dicit, malus videtur, vtique male dicit.

Iſai. 64. *1. Cor. 2.* *Thom. de Trug lib. 5. c. 15.* *Lib. 1.*

Denique, ne plura conſecter, quæ ſane ſunt multa, is ad affectus incitandos erit paratior, qui ab eo ſpiritu qui hominum corda mouet ac regit, hanc permouendi partem feruenti oratione petiuerit. Hic enim eſt ille ſpiritus, qui aperit os mutorum, & linguas infantium diſertas facit: cuius auxilio, etiam ſine vlla arte & cura, homines interdum mirabiliter & efficaciſſime dicunt.

Sap. 10.

Quod autem attinet ad modum qui in concitandis affectibus ſeruandus eſt, breuiter dixerim, non in omni re maiores perturbationes excitandas eſſe; ſed in grauioribus & maioris momenti cauſſis: nam in alijs ſatis erit, ſi leniores fiant motus; vt in hortationibus & admonitionibus, in quibus moderatio quædam vocis & corporis, & in dicendo ſuauitas multum valet; præſertim ſi cum ingenuis hominibus agatur: qui potius amore, quam timore, & lenitate, quam aſperitate ſe trahi volunt. Neque, vniuerſe loquendo, in omni orationis parte, ſed in Exordio, in Confirmatione, & Peroratione: In exordio quidem, remiſſius, vt etiam in

narratione, ſiqua incidet: in confirmatione vehementius,præſertim in argumentorum grauiorum exaggeratione;& in aliqua ad amplificandum digreſſione: in peroratione vero ardentius ſpiſſius;&,vt vniuerſe dicam,vbicunque ad id faciendum ſeſe commoda offeret occaſio:cum motus,veluti ſanguis,debeat eſſe in toto orationis corpore fuſus: cuius tñ color, in vna parte magis, in
Cic. 2.Ora. alia minus apparet. Vtroq; itaq; dicendi genere,leni nimirum & concitato, temperanda erit oratio, ita vt vnum influat in aliud; & contentionis aſperitas humanitate condiatur; & lenitatis remiſſio contentionis grauitate firmetur. In vtroque tamen genenere principia ſint tarda,exitus ſpiſſi & producti:nam qui breuiter & ſummiſſe dicunt,docere quidem poſſunt, commouere non poſſunt,in quo ſunt omnia.

Qui vero affectus,quando,& quatenus permouendi ſint, ipſa prudentia Oratorem docebit, cum pro locorum, temporum,rerum,perſonarumque varietate varianda ſit oratio ab eo,qui apte dicere voluerit. Ad quod faciendum non erit inutile quædã perſonarum ſtatuumque genera diſtinguere,vt aliqui faciunt:cum alijs motibus homines,alijs fęminas,alijs ſenes,alijs adultos, alijs parentes,alijs filios,alijs Principes, alijs ſubditos concitare oporteat:ſintque harum perſonarum mores & affectus diuerſi, & ad alia atque alia propenſi;quos,qui motus facere vult,cognitos ha-
Lib. 2.orat. bere debet.Sic equidem inquit apud Ciceronem Antonius,cum aggredior ancipitem cauſſam & grauem ad animos iudicum pertractandos,omni mẽte in ea cogitatione curaque verſor, vt odorer quam ſagaciſſime poſſim, quid ſentiant, quid exiſtiment, quid expectent, quid velint, quo duci oratione facile poſſe videantur.

Hæc quæ adnotauimus,qui obſeruauerit, non modo inclinantem erigere,aut ſtantem inclinare; ſed etiam aduerſantem & repugnantem capere,& victum trahere poterit. Vt autem ij qui minus in dicendo ſunt verſati hoc facilius præſtare poſſint,quoſdam locos,qui ad aliquos maiores & communiores affectus inflammandos conferunt,deinceps indicabo.

Loci

Loci ad excitandum amoris affectum in Deum & proximum, etiam inimicum. Cap. VI.

POTVISSET Ariſtoteles vir ſingulari ingenio egregiaque doctrina præditus, cum diſſerendi dicendique in vtramq; partem artes expoſuit, paucos quoſdam locos, vt quidam faciunt, generatim numerare: veruntamen, vt is qui optime intelligebat, non omnes qui in his facultatibus verſantur, illos ad vſum traducere, & ad priuatas res applicare poſſe, tum in Topicis, tum in Rhetoricis, varia pronuntiata, quæ Maximæ vulgo dicuntur, fuſe lateque numerauit, vt vberiores & ampliores fontes ad copioſe differendum aperiret: quod etiam nos, dum Concionatorem inſtituimus, nobis faciendum duximus. Quamuis ergo ex locis communibus ſupra expoſitis omnis argumentatio & amplificandi ratio ad docendum mouendumque depromi queat: tamen, vt faciliorem ampliorumque viam ijs qui minus in arte dicendi ſunt exercitati patefaciamus, quoſdam priuatos locos ad certos affectus commouendos breuiter, ſola enumeratione contenti, attingemus. *Lib. 2.*

Et vt ab amore in Deum, ex quo omnis bonus manat affectus, vt ex amore ſui omnis mala perturbatio profluit, initium capiamus, his locis ad amandum Deum ſuos auditores Concionator excitare poterit. Quia immenſe bonus, ac proinde innumerabiles continet rationes ob quas diligi debet, & nihil vnde non amari poſſit: Quia eſt infinite pulcher, immo ipſa pulchritudo & maieſtas, quæ ad amorem & reuerentiam rapit: ideo de ſeipſo loquendo ait, Et pulchritudo agri mecum eſt, hoc eſt omnium creaturarum dignitas atque venuſtas: Quia nos prius ab omni æternitate dilexit: quare non poterit non diligi, ſi eſt magnes amoris amor: Quia genus ipſius ſumus, cum eo cognationem habemus; fecit enim nos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: & poteſtatem nobis dedit, vt eius filij euadere poſſimus: vt merito diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, diuino amore incenſus, hæc verba pronuntiauerit, Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus: Quia innumeris beneficijs nos ornauit, atque quotidie ornat, dum pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos; & rerum omnium nos dominos fecit, & omnia propter nos creauit, nos conſeruat, nos regit, nos paſcit; & vt omnia vno verbo complectar, Quia ſuum Filium pro nobis dedit, & cum illo omnia *Aug. lib. 1. de Ciuit.* *Pſal. 49.* *Act. 18.* *Ioan. 1.* *Ioan. 3.* *Rom. 8.*

nobis donauit:Quia clementer miſericorditerq; nobiſcum agit,
Pſal.102. dum ſecundum peccata noſtra non facit nobis,neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis,ſed diſſimulat peccata noſtra, & ad penitentiam amantiſſime prouocat:& ita nos a morte reuocat,ab æternis cruciatibus liberat,& ſanguine Filij ſui noſtras ſordes lauat:Quia tanquam ornatiſſimus & amoris igne incenſus ſponſus factus eſt animæ noſtræ,cuius pulchritudinem vehementer concupiſcit; acproinde ei dicit, Audi filia & vide,& inclina
Pſal.44. aurem tuam:& obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum:Et alibi, Ergo ſaltē amodo vo
Ierem.3. ca me,Pater meus,dux virginitatis meæ tu es.Quis igitur Deum non amet, cum tātum ab eo ſe amari & innumeris beneficijs ornari, aut potius tot tantiſque ignibus ad ſuum cor admotis ſe vri ſentiat, & in hoc mundo,quaſi in media fornace poſitum, vndique amoris flammis ſe circundari videat?ab eo,inquam,in quo omnes rationes amandi reperiuntur,quæ in omnib.creaturis,aut ſunt,aut eſſe poſſunt;& quidem infinitis partibus plures, & maiores.Et ut hunc locū concludam, quamuis omnes omnium creaturarum amores, etiā beatarum mentium in vnum conuenirent, adhuc iſte amor non tantum Dei bonitatem amaret, quantum eſt amari digna.

Dum hos locos & alios ſimiles diuino amore incenſus Concionator tractabit, diuinæ ſcripturæ auctoritates & patrum huc pertinentes ſententias,& piorum hominum exempla interſerat, & interſerendo amplificet.

1.Ioan.3.et 4. Et quoniam qui proximum non diligit, Deum diligere non poteſt,ſæpe etiam auditores ad eum amandū excitādi erunt: quē ideo amare debemus,quia eſt eiuſdem naturæ particeps: quia noſtri ſimilis:quia eundem patrem Deum habemus, eundem magiſtrum,diuinum ſpiritum,eandem matrem eccleſiam, ac proinde vere fratres ſumus:eandem profitemur religionem, iiſdem vtimur ſacramentis:quia hoc eſt vnum præcipuum Domini mandatum:quia iuſtum eſt vt eum amemus quem Deus & Chriſtus amant:quia facile,cum nihil ſit amore facilius: quia iucundum: & denique,quia qui in caritate manet,in Deo manet,& Deus eſt
1.Ioan.4. in eo.

Et quoniam quædam priuata difficultas,at etiam ob uitiatam naturam repugnantia in amandis inimicis ſentitur;ideo cū pauci ſint qui ſe inimicos habere non exiſtiment,ſæpenumero amoris affectus ad inimicos diligendos commouendus erit; vt ſimus

filij &

filij & imitatores Dei, qui peccatores ſuos inimicos ita dilexit, vt pro eis ſuum Filium mortem atrocem ſubire voluerit. Dicat itaque bonus Concionator, condonare iniurias, & inimicos diligere eſſe quid diuinum, cum Dei proprium ſit miſereri & parcere: nihil eſſe magis excelſi & inuicti animi, quam nullam ſibi iniuriam factam fuiſſe, aut fieri poſſe exiſtimare; cum nemo lædatur, niſi a ſeipſo: vlciſci iniurias eſſe abiecti animi: nullam eſſe maiorem victoriam, quam ſeipſum uincere: nihil eſſe magnificentius, quam parcere ſubiectis; quam una cum Christo & Stephano pro inimicis exorare: nihil eſſe horribilius inter Chriſtianos quorum uita & totius religionis ſumma in caritate ſita eſt, quam inimici nomen exaudiri: nihil inhumanius, quam Dei imaginem, filium, ſuumque fratrem Chriſti ſanguine redemptum odiſſe: neminem eſſe qui nobis maiores utilitates afferat, cum inimicus ſit veluti noſtræ uitæ ſeuerus cenſor, noſtrorum uulnerum medicus, & perfectionis acquirendæ ſtimulus: ut merito uir grauiſſimus Plutarchus de utilitatibus ab inimicis capiendis librum ſcripſerit. Denique, cum nemo ſit qui nollet ab omnibus etiam inimicis amari, omnes, clara legis naturæ luce, debent amare omnes. Plura qui uolet, noſtrum legat de Pacificatione librum. *Matth. 5.* *Publi.*

Et quoniam ſine neceſſitate nimis longum facerem, ſi ad omnes priuatos amores deſcendere uellem, ſatis erit, ſi quos amores incendere concionator interdum debeat, breuiter indicauero. Pro occaſione igitur data, interdum agat de amore fraterno, de quo nos integrum libellum non pœnitendum ſcripſimus: De amore parentum erga filios, & filiorum erga parẽtes: de mutua cõiugum beneuolentia: de amore erga patriam; & ſpeciatim erga Eccleſiam Romanam, quæ eſt mater noſtra, magiſtra noſtra ubi noſtrum caput reſidet, unde diuina reſponſa, ſanctæ leges, & indulgentiarum theſauri manant: quia tota illa ciuitas martyrũ ſanguine eſt conſecrata: quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid: Rogent itaque omnes, quę ad eius pacem, conſeruationem, & amplificationem faciunt: cuius portas diligit Dominus ſuper omnia tabernacula Iacob, ac proinde nullæ inferni portæ cõtra eam unquam ualebunt. De caritate erga eos, qui ſunt in purgatorio, quia acerbiſſimos cruciatus perpetiũtur, quia noſtra ſuffragia deſiderant & expectant: quia, cum ab illis pę nis expiati fuerint, pro nobis in cœlo orabunt: De amore Principum Prelatorumque erga ſuos ſubditos, & animas ſibi in curam datas, quas non ſecus amare debent, quam ſponſus ſponſam, quã

Chriſtus amauit Eccleſiam,pro qua vitam poſuit. Zelotypia itaq; quadam incenſi omnes vitæ rationes ſuorum diligenter obſeruare,& eis omnibus in rebus prouidere deberent.

Et vt hunc locum de amoris affectu concludamus, tunc diuinus Orator longe melius ſuos auditores ad omnes amoris rationes excitabit,ſi in eis amorem ſui,quo ciuitas Babylonis vſque ad contemptum Dei ædificatur,extinxerit,& ad iuſtum ſuipſius odium concitauerit: quod faciet, ſi hoc amore affectos & infectos non poſſe eſſe Chriſti diſcipulos demonſtrabit: ex eo omnia vitia,omnes animi perturbationes oriri:hunc amorem omnia vtilitate metiri, quo nihil poteſt eſſe in humana uita pernicioſius: omnes alios,immo etiam ſeipſos odiſſe,qui hoc amore flagrant: & nihil eſſe a natura humana abhorrentius,quam in ſuamipſius vtilitatem omnes creaturas, aut potius in ſuam perniciem atque interitum conuertere.

Augu.lib.1. de ciui.

Loci ad comprimendam peccandi cupiditatem & ad excitandum odium in peccatum. *Cap. V I I.*

Ioan Pic.

AD comprimendam libidinem deſideriumve peccãdi,hi loci,qui omnino animaduertendi ſunt, conferre poſſunt:Voluptas breuis : comites faſtidium & pœnitentia:iactura maioris boni : vita ſomnus & vmbra: mors inſtans & improuiſa : ſuſpicio impenitentiæ:æternum præmium, æterna pœna: hominis dignitas & celſitudo:pax bonæ conſcientiæ: Dei beneficia : crux Chriſti : & ſanctorum Martyrum teſtimonium.

Quibus rebus,non ſolum peccandi libido comprimi, ſed etiã odium in peccatum excitari poteſt:ad quod faciendum,hæc quæ ſubijciam capita erunt accommodata.Peccatum infinitam Dei maieſtatem offendit,immo quantum in ſe eſt,deſtruit: Chriſtum iterum vendit,ſpinis coronat,in crucem tollit, eiuſque pretioſiſſimum ſanguinem conculcat: vniuerſam naturam peruertit, efficitque ut omnes creaturæ ſuis abutantur functionibus,dum inimicis Dei & peccatoribus inſeruiunt:Dæmonem perennem hoſtem lætificat,eiuſdem ſeruum facit : peccatum eſt veluti tortor & carnifex qui cor cruciat,& quaſi vermis, qui lignum a quo gignitur exedit:& denique,ne plures conſecter locos, qui ſunt pene infiniti,peccatum tanquam monſtrum horrendum,truculentum,atque teterrimum odio habendum & fugiendum eſt; vt me

rito Sapiens dixerit, Quaſi à facie colubri fuge peccatum. Et vt locum ad hunc affectum excitandum maxime idoneum explicē, is qui peccaturus eſt, fingat ſe, vt alterum Iudam dæmonibus ſtipatum, ad tradendum magiſtrum, factorem, patrem, redemptorē que ſuum accedere, atque eum ſibi occurrere, & hunc in modū alloqui, Amice ad quid veniſti? cur mihi nocere, cur me prodere vis? Quia te ab omni æternitate amaui, & creare volui? quia te ad meam imaginem & ſimilitudinem feci? quia pro te ſummos dolo res & mortem atrociſſimam pertuli? quia te meo ſanguine rede mi? Fili mi, quid feci tibi? aut in quo te contriſtatus ſum? reſponde mihi. At vero dęmon tuus perennis hoſtis, & humani generis perpetuus inimicus, quo cum ad me offendendum fœdus iniuiſti, quid vnquam tibi vtilitatis attulit? qua te iniuria non affecit? qua in re tibi non nocuit? quando de tuo perpetuo interitu non cogitauit? & vt ad æternos cruciatus te trahat, non curauit? *Eccl. 21.* *Gen. 1.*

Cauebit autem diuinus præco ne odij affectum in quempiam excitet, præterquam in peccatum, cum cętera omnia ſint bona, & aliquo amore digna. Similiter, nunquam ad indignationem, quę nihil aliud eſt, quā dolor de bono alterius, qui illo indignus iudicatur, excitabit; cum non ſit noſtrum q'empiam iudicare, aut ſe alijs anteferre. Omne itaque odium in ipſum effundatur peccatum, quod nobis omni contentione deteſtandum atque fugiendum eſt.

Loci ad comprimendum nimium huius vitæ amorem, & ad inflammandum deſiderium alterius vitæ, & iuſtitiæ acquirendæ.

Cap. VIII.

AD huius mundi fugam, huiuſque mortalis uitæ tę dium, & ad æternam vitam deſiderandam ſi ſuos auditores non raro Concionator commouebit, propoſitū ſibi finem melius conſequetūr; ad quod efficiendum his poterit vti locis.

Dicat itaque hunc mundum eſſe in maligno poſitum, eſſe noſtrum inimicum, eſſe beſtiarum ſtabulum, non hominis patriam; miſeriarum receptaculum, lachrymarum vallem, exilij locum, tetrum carcerem, in quo omnia male olent, reorum & inimicorum Dei plenum; ac proinde regium prophetam exclamaſſe, Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt valde: habitaui cum habitantibus Zedar, hoc eſt, cum hominibus iniquis, cum Dęmo- *Pſal. 119.*

nibus,qui in hoc caliginoſo aere diuerſantur; vbi omnes corru-
Pſal. 13. pti ſunt,abominabiles facti ſunt,non eſt qui faciat bonum,non
eſt vſque ad vnum:vbi ignorantię tenebræ,vt in Ægypto,ita ſunt
ſpiſſæ,vt nuſquam lumen rationis appareat:Mundum eſſe falla-
cem adulatorem,qui nobis blanditur:Omnia eius oblectamenta
eſſe nugas,vana dormiētium inſomnia,& ſtercora, etiamſi quis
quidquid eſt auri in mundo,& totum ipſum mūdum poſſideret:
ac proinde vere cum Sapiente dicat,Vanitas vanitatum,ideſt om
Eccl. 1. nia vaniſſima;& cum Hieronymo,Omne quod aliquo fine clau-
ditur vanum puto:Non poſſe quempiam ibi eſſe felicem,& quie-
tum,vbi omnia ſunt vana,omnia fluxa,atque fallacia; Vt merito
Li. 3. de Fin. aliquando dixerit Tullius, Qui cōuenienter naturæ victurus ſit,
ei,& proficiſcendum eſt ab omni mundo,& ab eius procuratio-
ne:Earum quas mundus præbet voluptatum nihil remanere,niſi
Aul. Gel. pudorem & conſcientiæ cruciatum: Voluptas enim uolat, eius
1. Pet. 2. hæret turpe:honeſti labor abit,ipſum manet: In hac vita nos eſ-
ſe tanquam viatores,ac proinde in diuerſorijs immorari non o-
portere,ſed ambulandum eſſe,dum lucem habemus: Vitam no-
ſtram nihil eſſe,niſi inſecabile punctum,& vnicum momentum,
quod vix cogitatione percipitur: Siquidem præteritum tempus
iam eſt elapſum,futurum nondum venit:momentum igitur eſt,
quidquid viuimus:Nos quotidie,& perpetuo,velimus, nolimus
ex hac vita diſcedere, etiā ſi ſtemus,& dormiamus. Quare ſiquis
nos perpetuo quid ageremus interrogaret,ſemper vere reſponde-
remus,Ex hac vita abimus:quæ veluti vmbra quædam,tanto ma-
gis fugit,quo magis eam ſequimur. Omnia ergo quæ in hoc mū
do ſunt,& mundus ipſe, tanquam aqua,velociſſime delabantur.
Quis in hoc mundo ſpem vllam collocet? quis in eo commorari
velit,cum vndique, veluti iam vetuſtate vitiata domus minetur
ruinam?quis inquam hanc vitam, aut potius mortalitatem hanc
non fugiat?& cum quodam ſapiēte viro non exclamet,ὁ βίος, οὐκ
ὁ βίος, ἀλλὰ συμφοραί,ideſt, vita non uita,ſed calamitates.Hic con-
cionator a Deo admonitus clamet, Omnis caro fœnum,& om-
nis gloria eius,quaſi flos agri. Vel cum Auguſtino, O miſera vi-
ta,quoties decepiſti?quoties ſeduxiſti? quæ dum videris, vmbra
es:dum extolleris,fumus es:dulcis es ſtultis,amara ſapientibus.
Vel cum Iobo, hunc in modum hominis in hac ærumnoſa vita
Iob. 14. verſantis ſtatum deſcribat. Homo natus de muliere, breui vi-
uens tempore,repletur multis miſerijs.Qui quaſi flos egreditur,
& conteritur,& fugit velut umbra, & nunquam in eo-
dem

dem ſtatu permanet.

His itaque & alijs ſimilibus locis, ſi animos ad huius mundi, contemptum commouerit, facile erit, ad maiorem futuræ vitæ cupiditatem his alijs locis incendere;ut,a bonorũ cumulo,gene re,magnitudine,perpetuitate,loco, ſocietate, de quibus lege caput nonageſimum ſextum noſtræ Centuriæ de Viro iuſto, & caput uigeſimumſeptimum expoſitionis in Orationem Dominicam.

Ad deſiderium iuſtitiæ acquirendæ,conſeruandæ, atque augẽdæ,quæ commouere poſſint, habes in eadem de Viro iuſto Centuria,ubi centum diuerſis locis ex diuinis literis,& ſanctorum patrum monumentis ſumptis,dignitatem,celſitatem, fœlicitatemque hominis in gratia conſtituti demonſtrare conati ſumus:quã penitus nos non demonſtraſſe libere fatemur; cum id nulla humana eloquentia demonſtrari poſſe pro certo debeamus. Hunc itaque librum Concionator legat, unde ad multas conciones faciendas materiam non inutilem ſumere poterit. Et quoniam multi ſunt,qui rei difficultate perterrentur, eodem libro habes Appendicem,in qua longe facilius eſſe honeſte, quam turpiter viuere oſtendere conati ſumus; quod argumentum a Concionatore interdum tractandum eſſet.

Loci ad commouendum affectum iræ in malos, & ad eundem extinguendum erga eos qui nos contemnunt. Cap. IX.

HVNC affectum commouere fas eſſe, ex illo ſcripturæ diuinæ loco intelligi poteſt,ubi dicitur,Iraſcimini,& nolite peccare: quo affectu aliquando Chriſtus dominus ſe incenſum demonſtrauit,cum facto flagello,uendentes eiecit de templo,& numulariorum effudit æs,& menſas ſubuertit. Hunc itaque motum in ſuis auditoribus excitabit Cõcionator,ob honorem & gloriam Dei, ob zelum religionis aduerſus homines ſceleſtos,religionis euerſores,& diuorum,præſertim Beatiſſimæ Virginis contemptores, ad eos corripiendos,& puniendos. Hæc itaque eſt ira Chriſtiano homine digna,in eum cum dolore concitari,qui Deum & diuos contemnit,pios & innocentes homines iniuria afficit,& qui publice peccat. Ex hoc ſancto zelo, ſic enim iuſtam iram appellare licet,enatæ ſunt hæ uoces; Diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

Pſal.4.
Ioan.2.
Pſal.6.

Pſal. 51. te? Propterea Deus deſtruet te in finem: euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra uiuentium. Videbunt iuſti & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent, Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum. Contere brachiũ peccatoris & impij, & aliæ innumeræ quæ in diuinis oraculis reperiuntur huius generis ſententiæ.

Ad hanc commotionem excitabit, ſi Chriſti, ſi ſanctorum hac in parte exempla ob oculos ponet: ſi quanti Deus gloriam ſuam faciat, quam alteri ſe non daturum aliquando dixit, demonſtrabit: ſi quanta ſit huius ſceleris magnitudo exponet: ſi quantum hoc peccati genus Dæmoni diuinæ gloriæ inuido placeat, aperiet: & denique, ſi ob oculos ponet, qua ira quiſque incenderetur, ſi ſuos caros parentes, & amicos coram ſe varijs contumelijs affici videret. *Iſa. 42.*

Ad eum vero irę motum qui ex contemptu noſtri naſcitur, nõ excitabit, ſed potius quantum poterit, ad lenitatem & manſuetudinem ira incenſum reuocabit. Ad manſuetudinem ergo, quę nihil aliud eſt, quam animi compoſitio, iracundiæ fręnatio, diſcordiæ expultrix, amicitiæ cõciliatrix, pacis alumna, bonæ famę nutrix, & iucundiſſima humanæ vitæ ſocia; his locis poterit commouere. Dicat ergo hominem, ſua natura, eſſe manſuetum animal, ac proinde in hanc lucem venire inermem; ſine vnguibus, ſine cornibus, egentem omnibus: ad conſociationem factum, quę nulla alia re magis deſtruitur, quam ira: Hominem debere eſſe homini Deum, non lupum, non leonem: Eum extra ſe eſſe qui incẽſus ſit ira: Nihil eſſe monſtruoſius homine ira inflammato, & ſex millia plura mala facerẽ hominem iratum, quam beſtiam: Antidotũ vitæ eſſe patientiam: Proprium eſſe Chriſtianorum contumeliã perpeti, & perpetiendo vincere; & hac vna nota eos ab alijs diſcerni: Contẽptum eſſe pharmacũ vnicũ ad ſanãdum grauiſſimũ ſuperbiæ morbum: Mites a Chriſto beatos appellari: eos poſſidere terram; ac proinde aliquando Dominum dixiſſe, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras: neminem magis, & ſæpius, & a pluribus contemni, quam Deum, & maiorem partem conſpicationum, quibus omnes ſimul omnes in hac vita afficiuntur, eſſe minimam earum quibus æternum numen, infinita maieſtas vilipenditur; & tamen clementiſſime nobiſcum agit, & pro contẽptoribus, mortem acerbiſſimam & ignominioſiſſimam Filium ſuum per quem fecit omnia, & ſuſtentat omnia, perpeti voluit. Si Dei veri verus & naturalis filius formam ſerui accepit, ut pro ſeruis,

Lege cap. vltimum lib. de Amore et cõcordia fraterna.

Ariſt.

Matth. 5.

Luc. 21.

Heb. 1.

ſeruis, & ſeruis inimicis, & ſuis tortoribus pateretur, quid ſeruus inutilis omni contemptus & cruciatus genere digniſſimus faciet? non moderate, non leniter, non ſummiſſe ſe geret? Quid ſuperbia ſe efferat, vermis, terra, puluis, vmbra, vanitas, peccatorum ſentina, Dæmonis mancipium, & omnium craturarum fex homo peccator? Dicat Chriſtum, de quo ſcriptum eſt, Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum, hanc vnam doctrinam, tanquam nobis maxime neceſſariam nos docuiſſe, cum dixit, Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde; ad cuius lenitatis & ſummiſſionis, tollerantiæque conſiderationem qui ſe non comprimit, qui ſe non ſummittit, is certe uitio ſuperbiæ omnium teterrimo, omniumq; peccatorum capite eſt infectus. *Iſa. 42.53.* *Matth. 11.*

Loci ad excitandum animos ad res aduerſas perferendas, ad deteſtandum otium, & ad commouendum timoris affectum. Cap. X.

AD audaciæ affectum, ſiue ad fortiter & conſtanter omnes huius vitæ moleſtias perferendas, & ad aduerſos caſus quibus quotidie nemo eſt qui non agitetur tollerandos, in quibus perpetiendis maxima opus eſt conſtantia & animi robore, ac proinde ſæpe auditorum animus erigendus ac ſuſtinendus eſt, hi loci adhiberi poterunt.

Dicat ergo Chriſtianus Orator, oportuiſſe Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam: Regnum cœlorum vim pati, & violentos rapere illud: Non coronari niſi eum qui legitime certauerit: Deum eos prædeſtinaſſe, quos præuidit futuros eſſe conformes imagini filij ſui per tribulationum perpeſſionem: Nihil ſcire, nihil eſſe, qui patitur nihil: & ne innumeros & ſatis apertos locos hac in parte indicem, proponat ſanctorum Martyrum illuſtria fortitudinis & Chriſtianæ audaciæ exempla, Stephani lapides, Laurentij flammas, Sebaſtiani ſagittas, Pontiani prunas, Pantaleonis vngulas, faces, ſartaginem; Catharinæ rotas, Iulianę virgas, Iulitæ flagella; deniq; Venantij, carcerem, fuſtes, lapides, cruces, turres, gladios: Chriſtum dixiſſe, Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me: quam qui nō tollūt, diabolum, grauiore cruce ſumpta, ſequuntur; vt cum eo perpetuo crucientur. Quædam huc pertinentia capita, ſupra cum de genere conſolatorio *Act. 17.* *Mat. 11.* *2. Tim. 2.* *Rom. 8.* *Luc. 9.*

ſolatorio egimus, recenſuimus.

Ad hunc affectum excitandum & confirmandum conferent etiam, quæ contra otium omnium vitiorum parentem & conſeruatorem dici poſſunt: in cuius deteſtationem, cum late pateat, & ſeſe in omne vitæ genus inſinuet, ſæpenumero Eccleſiaſtes aget. Dicat itaque omne vitium ab otio proficiſci, ab eodemque conſeruari: quod cum quidam legislator intelligeret, pro atroci crimine puniendum ſtatuit: & cuique accuſandi otioſos facultatem dedit: Hominem natum eſſe ad laborem, vt auis ad volandum; ad homines tuendos conſeruandoſque: non ſibi ſoli, ſed patriæ, ſed ſuis, vt perexigua pars ſibi relinquatur: Non tanquam tardam aliquam, & languidam pecudem ad paſtum & procreandi voluptatem hoc diuinum animal, ſapientes, ortum eſſe docuerunt: Deũ quaſi magnum quendam, vt ita dixerim, vſurarium, a nobis minimi etiam temporis vſuram requiſiturum: quod qui perdit, quid aliud, quam vitam perdit? nihil turpius eſſe, quam militiæ Chriſtianæ eſſe adſcriptum, & manus conſerere nolle, aut etiam hoſtis aſpectum fugere: Nihil magis abſonum, quam omnibus creaturis agentibus otioſum eſſe, & omnium creaturarum laborib. vti velle. A qua quæ non fluit, marceſcit: enſis cuius nullus eſt vſus, rubigine exeditur: Dementis eſſe dicat, hoſtibus vndique aggredientibus dormire: denique, otium & corpori & animæ obeſſe multum.

Iob 5.

Cicer. lib. 3. de fin.

Cic. in part. Et quoniam homines, vt plurimum, timoris affectu in officio continentur, & potius rerum malarum, quam honeſtarum ſpecie permouentur; ideo bonus Concionator quoſdam locos paratos habeat, quibus hoc affectu ſuos auditores commouere queat. Dicet itaque primum timendam eſſe potentiam infinitam, & iuſtitiam immenſam potentiſſimi & iuſtiſſimi Regis & iudicis; qui nullum peccatum etiam leuiſſimum non ſeueriſſime punit: qui honorem ſuum nemini eſt daturus: qui rationẽ repoſcet, etiam de vno verbo otioſo: qui ob vnum peccatum maximã Angelorum vim ad æternos cruciatus condemnauit: qui ob unum primi parentis lapſum totam eius poſteritatem in maximas ærumnas & moleſtias coniecit: qui eſt ita iuſtus, vt aliorum peccata in proprio Filio qui pro nobis, vt ait ſcriptura, peccatum fecit, ſeueriſſime puniuit. Timendus itaque eſt iudex ille, qui Deus exercituum vocatur, hoc eſt dominus creaturarum omnium, quę ſunt veluti eius milites & ſatellites, quibus ad ſuos aduerſarios torquendos vtitur: qui ventis, pluuia, nebulis, aere, aqua, igne, vel

2. Cor. 5.

vno

vno temporis momento, nocere nobis poteſt: terræ fructus auferre, corpora inficere, & morte repentina a medio tollere: Ille, inquam, in cuius manu eſt vita noſtra, a cuius nutu omnia ita pendent, vt, ſi ſuam faciem a creaturis auerteret, omnia in nihilum abirent; quem tamen quotidie offendimus, & ad iram atque furorem incitamus. Quis igitur non timeat iudicem illũ cui omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum? Ad augendum hunc timorem paratos habeat communes locos ex diuinis literis potiſſimũ collectos: ad horribilem extremi iudicij diem deſcribendum, & ob oculos ponendum: diem inquam illam tenebrarum, caliginis, calamitatis, & miſeriæ, diem magnam & amaram valde: Quando homines areſcent præ timore & expectatione, quæ ſuperueniet vniuerſo orbi: quando dicent montibus, cadite ſuper nos: quando quærent mortem & non inuenient: quando diuina ſapientia de noſtro ridebit interitu, & nobis ſubſannabit: quando horrenda & nefanda peccata ob omnium Dæmonũ, hominum, & Angelorum oculos nudabit: quando Deus armabit creaturam ad vltionem inimicorum: quando induet pro thorace iuſtitiam, & aſſumet pro galea iudicium certum: quando ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem: quando acuet diram irã in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarũ contra inſenſatos: quando ibunt directe emiſſiones fulgurum, & tanquã a bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locũ inſilient: quando a petroſa ira plenæ mittentur grãdines; quando excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter: quãdo denique ſeueriſſimus iudex illam horribilem & irreuocabilẽ ſententiam pronuntiabit, Diſcedite a me maledicti in ignẽ æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Congreget itaque diuinus præco diuinæ ſcripturæ huc pertinentes ſententias, eaſque amplificet, & timorem aliquem facile incutiet. Adhibere etiam poterit ad eundem motum ciendũ pœnarũ inferni magnitudinem: quas qui dicendo oculis ſubijcere poterit, is auditorum animos perterrefaciet: qui, nouiſſimorũ memores, in æternũ non peccabunt. Nam, ſi quendam hominem magnitudo pretij eius peccati, quod emere volebat a peccando deterruit, ita vt dixerit, Non tanti emerem vnum pœnitere; quanto magis tantarum pœnarum, quæ impios manent, cumulus perterrere poterit? Enumerentur ergo pœnarũ genera, atque amplificentur ſingula: quid animo, quid corpore, quid omnibus ſenſibus patientur damnati: qui, & vbi ſit futurus locus: qui ſocij, qui tortores: & denique, ob ſcurus

Pſal. 103. *Phil. 2.* *Luc. 21.* *Prou. 1.* *Sap. 5.* *Matth. 25.* *Demoſth.* *In Centu. de Viro iuſto. c. 34. & 35.*

ſcurus carcer,ſine vlla alia pœna,modo ſit futurus æternus,quanto timore & horrore cuiuſuis animum replere deberet? Plura, qui vollet,Carthuſianum de quattuor nouiſſimis, M.Marulum libro ſexto,& quoſdam patrũ ſermones,præſertim beati Ephrem conſulat.Et ne in hoc imperfecto timore auditor perſiſtat,eũ per alios locos,quos ex noſtra Centuria Concionator repetere poterit,ad timorem perfectum,quem filialem vocant, traducere conabitur.

M Mar. Carthuſ. Ephr.

Loci ad excitandum dolorem de commiſſo ,pecato deque lacrymarum vi. Cap. X I.

QVONIAM vero ad dictũ timorem nemo peruenire poteſt,niſi maximum de ſuis peccatis habuerit dolorem , ad quem ſæpiſſime bonus Declamator ſuos excitabit auditores; propterea quoſdam hic adnotabo locos, qui ad id efficiendum erunt accõmodati.

Dolor nihil aliud eſt, quã triſtitia præſentis mali: & quia vna potiſſimum culpa, ſiue peccatum,mali nomen meretur, cũ omnia alia ſint bona,de quibus nõ eſt dolor,ſed lætitia;ſequitur neceſſario ſolum de peccato eſſe dolendum: quod ea virtute fit,quę penitentia nominatur:ſine qua ſaluari poteſt nemo:a qua lex euãgelica initium ſumpſit,cum Ioannes,qui parauit viam Domino, hunc in modum concionari cœperit,Pœnitentiam agite.

Mat.4.

Pœnitentia igitur quę nihil aliud eſt,quam dolor voluntarius de peccato, vt eſt offenſa Dei, cum propoſito non peccandi amplius,diuina auxiliante gratia,peccatum remittit,paradiſum aperit,hominem infirmum ſanat,triſtem exhilarat,mortuum in vitam reuocat,in priſtinum ſtatum reſtituit,honorem inſtaurat,fiduciam,vires,& gratiam tribuit:hæc eſt miſericordiæ mater, virtutũ magiſtra;cuius tanta eſt vis,vt reos liberet,delinquentes reficiat,lapſos erigat,& deſperatos recreet:tu,o pœnitentia,auaritiã reſpuis,luxuriam horres,linguam cohibes,mores componis,& omnia vitia profligas:inferni portam claudis,& paradiſi ianuam aperis;illũ ſpolias,hunc reples ; illũ triſtitia,hunc lætitia cõples. Hi itaq; & alij ſingulares huius virtutis effectus ad eã amplectẽdam nos commouere poſſunt.

Magnitudo vero doloris ſine quo pœnitentia eſſe non poteſt, tanta eſſe debet , quantus nullius alterius rei , etiam maximæ: ad quem augendũ & excitandum ſequentes loci adhiberi poterunt.

Tan-

Tantum itaque dolere debet, qui per pœnitentiæ vim ſua debet delere peccata, quantum deberet is, qui ſe in manus ſuorum inimicorum veniſſe ſentiret, atque abiectiſſimorum hominum vile mancipium ſe factum fuiſſe videret: quos ſibi inſultantes, ſeque irridentes conſpiceret: quantum is doleret, qui a planta pedis vſque ad verticem capitis varijs plagis, & fœtidiſſimis vlceribus ſe ſcatere cerneret: quantum is, qui a carnifice ligatis manibus, lignorum faſce humeris impoſito, ſe ad ſupplicium cremãdũ duci animaduerteret. Carnifex eſt diabolus, ligna ſunt perpetrata peccata, ſupplicij locus eſt infernus, ignis flamma quæ nunquam extinguetur. Quantum is, qui ab vno vel a magna dæmonum caterua eſſet obſeſſus; a quibus dies noctesque varijs modis torqueretur, ita vt nec ſomnum nec cibum ei ſumere permitterent: & nunc in aquam, nunc in ignem eum conijcerent: quantum is, qui comitiali morbo ſæpenumero corriperetur, ita vt nec moueri, nec videre, nec audire, nec quicquam poſſet ſentire: quantum is, qui omni morborum genere affectus, in cœno, in ſordibus, in tetro & fœdiſſimo carcere iaceret: quantum is, qui amicum, fratrẽ, parentes, tum ſpirituales, tum carnales, a quibus genitus, altus, inſtitutus, conſeruatuſque fuiſſet, ſe ſcienter varijs modis offendiſſe, patriamque prodidiſſe intelligeret: quantũdenique, qui Chriſti ſanguinem ſe conculcaſſe, maieſtatis æternæ læſæ multa criminã ſe commiſiſſe, templum Dei, ſacrarium Spiritusſancti ſe fœdaſſe, profanaſſe, Deum animæ ſuæ ſponſum reliquiſſe, & cum dæmone adulterium feciſſe cognoſceret. Tantus itaque debet eſſe iſte dolor, quantus eſſet in eo, qui omnia ſua bona præſentia & futura amiſiſſet, & in omnia mala perpetuo duratura incidiſſet: Vt ſicut nulllum maius malum eſt quam culpa, ita nullus debeat eſſe maior dolor, quam qui ex hoc malo proficiſcitur. Hic itaque calamitoſiſſimus peccatoris ſtatus, hæ grauiſſimę offenſiones eũ ad maximum dolorem excitare deberent: quem quidem excitarent, ſi ipſe animaduerteret, nihil eſſe miſerius, quam ſuijpſius non misereri; quam ſuum calamitoſiſſimum ſtatum non agnoſcere: cum plus ob vnum perpetratum peccatum vnus homo dolere debeat, quam omnes homines ob omnia alia mala.

Hic nonnulla dici poterunt de lacrymarum vi, de qua lib. de Interiore homine nonnihil ſcripſimus. Sumendus itaque in pœnitentia luctus, qui ſordes peccatorum lauat, concupiſcentiæ flãmas comprimit, inferni ignem extinguit, & animam lætificat. Flendum eſt cum Magdalena, cum Petro, cum Chriſto, qui pro

nostris

noſtris peccatis fleuit,tantumque dolorẽ ſumpſit, vt ex ſola eius cogitatione ſanguine ſudauerit:& denique cum Dauide,vt cum eo dicere poſſimus, Lauaui per ſingulas noctes lectum meum. Faciamus itaque per iuſtam pœnitentiam iuſtum de nobis iudicium antequam ad iudicem veniamus:Feramus in nos ipſos a nobis ipſis ſententiam, antequam iudex ſeueriſſimus eam in nos ferat:lugeamus peccatum,non pœnam.

Pſal. 6.

Loci ad commouendum luctum ob aliorum miſerias, & commiſeratio nis affectum erga afflictos & pauperes. Cap. XII.

NON ſolum dum in hac lacrymarum valle verſamur, pro noſtris peccatis & ærumnis,ſed etiam pro alienis culpis, & miſerijs, pro afflicto reip. Chriſtianæ ſtatu,& pro animarum interitu perpetuo plorandũ eſt:cum perpetuę & innumeræ ad lugendum nobis vndique occurrant cauſſæ.

Maximam itaque lugendi occaſionem haberet,& in maximos luctus prorumperet,qui oculis mẽtis videret omnes homines qui hanc vitam viuunt,Dei imagines,proximos ſuos,ſuos fratres, ad eandem beatitudinem factos,non modo in varijs peccatis eſſe immerſos,ſed etiam aduerſus veritatem,religionem, diuinamque gratiã pugnare:vt ſunt Idololatræ,Turci,Hebræi,Hæretici,Schiſmatici,mali homines & in peccato obſtinati peccatores. Qui videret quotidie innumeras animas,vel ex ſtatu gratiæ in ſtatũ peccati,quaſi ex cęlo in abyſſum delabi,vel ex hac vita ad inferos perpetuo cruciandas migrare; atque ſtragem illam animarum, quã, lethalibus inflictis plagis,quotidie dæmon facit: Qui animaduerteret reipu.Chriſtianæ afflictum atque pene proſtratum ſtatum: dum ſummi Paſtoris dignitas contemnitur, auctoritas diminuitur,eccleſiaſtici ordines vili pendũtur,ſacramenta deſpiciuntur, cum ſacrilegio adminiſtrantur,& ſumuntur;templa deijciuntur, eccleſiaſtica bona diripiuntur: dũ Eccleſia maxime ob eorũ corruptã viuendi rõne, qui eã ſuſtẽtare deberent,perſequutionẽ patitur; qua nulla alia eſt fortaſſe maior,aut diuturnior: dũ Chriſti regnum,non modo ab externis, ſed etiam ab ipſis Chriſtianis ob regnandi cupiditatem minuitur. Qui videret, quid patiantur apud Turcos captiui,a malis Principibus ſubditi,ab iniuſtis iudicibus pupilli & viduæ, ab iniquis diuitibus pauperes,& a ſuperbis dominis ſerui. Qui inſpiceret innumeros homines grauibus

morbi

morbis affectos, varijs curis exaggitatos, ærumnis oppreſſos, fame ſitique enectos, & omni auxilio, atque conſilio deſtitutos: qui tamen quotidie videntur, & quidem ſiccis oculis, & ſine vllo humano ſenſu. Qui denique omnes offenſiones & iniurias quibus vno die, vno temporis momento, non dicam in toto terrarum orbe, non in vna prouincia, ſed in vna ciuitate, & oppido, ne in vna dicam domo, Deus ab vno etiam homine afficitur: quæ ſane conſideratio maximum luctũ ex oculis illius, qui Deum aliquo pacto diligeret, deducere, & ad prorumpendum in has voces cogere deberet, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos meos? vel in has, Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me: Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerũt me laquei mortis aut certe in iſtas, Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion: vel deniq; in has, Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea: effuſum eſt in terram iecur meum. *Hier. 9.* *Pſal. 17.* *Pſal. 136.* *Thren. 2.*

Ad affectum commiſerationis & miſericoricordiæ ſuos auditores tunc commouebit Eccleſiaſtes, cum ſanctorum Martyrum cruciatus, cum Domini paſſionem, cum beatæ Virginis dolores, cum alicuius fidelis, aut etiam ciuitatis, & populi extremos caſus exponet: ad quod faciendum ijs poterit vti locis, quibus Oratores in cauſſis iudicialibus vtuntur; quos apud Ciceronem leget, aut in noſtro de Diſpoſitione oratoria libro: nos ſolum quædam capita attingemus, quibus excitari poſſit affectus erga pauperes, ad dandam eleemoſynam.

Dicat itaque concionator ad hunc affectum inflammandum, pauperes eſſe noſtros fratres, cum quibus dicimus, Pater noſter, qui es in cœlis: & turpiſſimũ atque immaniſſimũ eſſe ſinere ſuos fratres fame frigoreque interire: eſſe Chriſti gazophylaciũ, eiuſdem amicos, & filios Dei: at Dei filium deſerere, & ad te auxilij gratia venientem reijcere, aut negligere, ſine maxima impietate fieri non poſſe, quis non videat? Nos panẽ quotidianum pro omnibus petere, & quod Deus in cõmunem vſum tribuit, non poſſe abſque nefario ſcelere fieri priuatum: & ab eius rei participatione quempiam excludere, quæ omnibus a munificentiſſimo parente ſit tributa: vt merito Ariſtoteles dixerit, poſito rerum priuato dominio, Per liberalitatis virtutem earum vſum debere fieri communem: eos, qui ſua bona cũm indigentibus non communicant, pauperibus occaſionem præbere conquerendi de procu- *Matth. 6.* *Lib. 2. Poli.* *Baſil. orat. contra diui.*

ratione diuina, cum Deus ſua ordinaria prouidentia hominibus
Mat.5. per homines prouideat: Pauperum eſſe regnum cœlorum, ab eis
emendum eſſe: per eorum manus theſaurizandum eſſe in cœlis:
Hominem miſericordem proxime ad diuinã naturam accedere:
benigne facere, eſſe qd diuinũ, & vni virtuti beneficẽtiæ potiſſi-
Ariſt.lib.1. mum honorem tribui: & beatius eſſe magis dare, quam accipere;
Rhet. atque ex nulla fortaſſe re tantã conſolationem homines capere,
Act.20. quanta ex operibus miſericordiæ capitur: Hac vna uia uiros alias
non ſatis bonos ad maximos ſanctitatis gradus perueniſſe: Suſci-
piendas eſſe perſonas pauperum, & illis ea eſſe ſubminiſtranda,
quæ quiſque, ſi ipſe pauper eſſet, ſibi ſubminiſtrari expeteret: Ea,
Can. paſce. quæ ſuperfluunt non eſſe noſtra, ſed pauperum: ita vt Ambroſius
d.86. dicere non dubitauerit, eum qui eſurientem non paſcit, eundem
occidere: abſurdum eſſe, & ab omni ingenuitate atque humani-
tate alienum, eum quem Deus ob noſtram vtilitatem ad nos pa-
nem petiturum mittit, ad eundem, & ſæpe verbis non ſatis hone-
ſtis remittere: quod qui faciunt, & pauperem & Deum tentant:
quaſi Deus per miraculũ quotidie debeat pauperibus panem tri-
buere: Deum per ſe & per ſuas creaturas nõ minus in tuis agris
laboraſſe, quam tui agricolæ, aut tu laboraueris, atque proinde
pauperibus Dei perſonam gerentibus aliquid dandum eſſe: terra
ſemina excipit & fouet, ſol ſuo calore fruges procreat, & matu-
rat, pluuiæ agros fecundant. Felicem eſſe eum qui miſeretur &
Pſal.140. cõmodat, qui diſpergit & dat pauperibus: beatum inquam, eum
eſſe, qui intelligit ſuper egenum & pauperem; quem Deus in
die mala liberabit, conſeruabit, viuificabit, & beabit: cui Deus o-
pem feret: cuius vniuerſum ſtratum in eius infirmitate verſabit:
Dicat, miſericordiam peccata extinguere; de hac vna re ſeueriſſi-
Matth 23. mum iudicem in die iudicij priuatim rationem repetiturum:
Iac.2. Iudicium ſine miſericordia faciendum eſſe contra eos qui nõ fue-
rint miſericordes: Eum qui habuerit ſubſtantiam huius mundi,
& viderit fratrẽ ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua a b
eo, in Dei caritate non manere: in qua qui non manet, mortuus
1.Ioan 3. eſt, nihil eſt. Vt igitur viuamus & aliquid ſimus, miſericordiam
in miſeros exerceamus. Ad quod faciendum innumera ſanctorũ
Cap.29.31. poſſunt cõcitare exempla; vt Iobi, qui de ſe dicebat, Oculus fui cę-
co, & pes claudo: Pater eram pauperum. Si comedi bucellam ſo-
lus, & non comedit pupillus ex ea? Quia ab infantia mea creuit
mecum miſeratio: & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum: Cũ
Cap.5. Iacobo Apoſtolo exclamet, Agite nunc diuites, plorate, vlulantes
in mi-

in miſerijs veſtris,quæ aduenient uobis. Diuitiæ ueſtræ putrefactę ſunt:& veſtimenta veſtra a tineis comeſta ſunt, &c. Plura qui volet,eos legat qui de bono eleemoſynæ ſcripſerunt. *Iac.5.*

Loci ad conſolandos aflictos ad patientiam amplexandam,atque ad ſpem de diuino auxilio æternaque vita habendam.

Cap. XIII.

QVONIAM vero hæc noſtra vita eſt calamitatum plena, quas non omnes æquo animo ferunt; idcirco quædã adnotabo capita,quæ ad aflictos conſolandos,atque ſuſtentandos valent, qua de re nonnihil etiam ſupra diximus.

Dicat itaque Concionator,neceſſario, uelimus, nolimus aliquid perpetiendum eſſe in hac uita:neminem eſſe cui ſua crux ferenda non ſit,& eſſe quoddam conſolationis genus in miſerijs ſocium habere: Leuius fieri patientia,quod uitari non poteſt;qua quod eſt in pœnam conuertitur in pręmium,& ex plumbo fit aurum:ſpectandos eſſe eos qui maioribus,pluribus,& frequentioribus ærumnis premuntur; quod qui faceret, ſemper haberet cur æquo animo ſuas miſerias ferret: tribulationem eſſe uitæ magiſtram,quæ humilitatem,patientiam,prudentiamque nos docet; quia,vt ſcriptum eſt,Dat intellectum: ideo Propheta aiebat, Bonum mihi quia humiliaſti me,ut diſcam iuſtificationes tuas.Dicat,tribulationem eſſe antidotum, quod a morbo præſeruat, potionem quæ purgat,medicamentum quod conſolidat, ignis qui ſcorias purgat:Multo melius eſſe tentari & probari,quam nõ tẽtari & reprobari:Deũ caſtigare & corrigere eos, quos amat: nos ſæpe peccaſſe,& eſſe caſtigatione dignos,& idieſſe ferendũ mali, quod nos accerſiuimus vltro: Tribulationes eſſe ſingulares Dei fauores,quibus ſuos caros amicos, ſuum Filium unigenitum affecit: Qui quoniã de torrente in via bibit,hoc eſt ſummas & maximas calamitates perpeſſus eſt,propterea exaltauit caput; hoc eſt, ad dexteram Dei Patris euectus fuit: Vnde iure optimo Apoſtoli ibant gaudentes a conſpectu concilij quoniã digni habiti eſſent pro nomine Ieſu cõtumeliam pati:Tribulationes eſſe lapillos de cœlo miſſos, coronas in cœlis fabricatas,prædeſtinationis certa ſigna,cum beati nocentur qui perſequutiones patiũtur propter iuſtitiam:Maiori cum gaudio ſuſcipiẽdas eſſe tribulationes, quã ſuſciperetur crux illa in qua Chriſtus paſſus eſt:Tãtã eſſe tribula *Pſal. 109.* *Act. 5.* *Mat. 5.*

tionum pro gloria Dei,& ad imitationem Chriſti latarum digni tatem,vt illis aduenientibus dicere quiſque poſſit,Domine non ſum dignus,ut hac gratia,hoc fauore,his officijs me afficias, qui bus tuos amicos,& filios ornare ſoles? Nullum eſſe maius ſignũ reprobationis & diuini odij,vt quidam ſcripſerunt, quam ſi om nia fœliciter ſuccedant,ſi nullus nos aduerſus vrgeat caſus: & vt rem de qua latiſſime ſcribi poſſet breuiter concludam ,cum Iacobo dicat,Omne gaudium,id eſt perfectam & abſolutam læti tiam,exiſtimate fratres,cum in tentationes varias incideritis:ſciẽ tes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur:Patientia au tem opus perfectum habet,vt ſitis perfecti & integri in nullo de ficientes.

Greg.
Bernardin.
Cap.1.

Sed hoc loco valde deplorandum eſt,quod ſicut eodem igne aurum rutilat,& palea fumat;ita eadem tribulatione vnus perfi citur & lætificatur; alius vero quia eius vim non percipit, Dei que in ſe curam non animaduertit,dolore conficitur,& in dete riorem ſtatum labitur.

Et,ne quis minus libenter aduenientem tribulationem eo ex cipiat,quod ſe eam ferre non poſſe timeat,ad ſpem qui aliquo ad uerſo caſu premitur excitandus erit. Dicendum itaque eſt,Deum miſericordiarum parentem & totius conſolationis auctorem,nõ ſinere nos tentari ſupra id quod ferre poſſumus: Chriſtum no ſtrum Imperatorem nos prçire,atque clamare, Confidite,ego vi ci mundum:Noſtros inimicos non poſſe vincere niſi volentẽ vin ci:Huius mundi principem eiectum eſſe foras: Nobis adeſſe An gelos,omnes viros iuſtos & vniuerſam eccleſiam pro nobis ora re:Diuinum auxilium præſto eſſe,ac propterea Deum dicere, Cũ ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum : quo auxilio qui nituntur,dicere poſſunt,In Deo meo tráſgrediar mu rum,Non timebo millia populi circundantis me: omnia poſſum in eo qui me confortat.Dicat itaque Deo is, quem maior calami tas aggreditur,cum inuictiſſimo illo duce, Pone me iuxta te,& cuiuſuis manus pugnet contra me.Hi itaque & alij ſimiles loci ad ſpem victoriæ is,qui in ſpirituali agone verſatur, excitandus erit.

2.Cor.1.
Ioan.16.
Pſal.90.
Pſal.3.
Iob.17.

Et vt huic diſputationi de mouendis affectibus finem imponamus;quoniam ſæpe vtile erit ad conſolandos afflictos, & ad erigendos peccatores aliquid de ſpe conſequendæ miſericordiæ, & beatæ vitæ dicere, ideo quoſdam adijciam locos ad hunc affectũ commouendum idoneos.Dicet ergo ad ſpem excitandam deſpe

ratio-

rationemque remouendam, infinitam eſſe Dei bonitatem, & miſericordiam, quam nulla peccatorum vis, nullus culparum cumulus vincere poteſt. Dei proprium eſſe miſereri & parcere: magis eum ſua vti miſericordia, quam exercere iuſtitiam; ac proinde miſericordiã ſuperexultare iudicio, id eſt magis gloriari, quod magis exerceri, in hac præſertim vita, quam iuſtitia ſoleat: Deũ non feciſſe hominem vane, ſed vt eum beet, non vt perdat: non feciſſe mortem: velle omnes homines ſaluos fieri, & ad hoc efficiẽdum præſtare omnia, nihil omittere; vt vere dicere cuique poſſit, Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meę, & non feci ei? Perditio tua ex te Iſrael: Dilexiſſe nos dũ adhuc inimici eſſemus: Filiũ ſuum dediſſe pro nobis, & cum eo omnia: Veniſſe in hunc mundum propter peccatores, ac proinde facile eſſe, modo quis ſe peccatorem agnoſceret, remiſſionem conſequi peccatorũ, & ad beatam uitam peruenire; cum iugum Chriſti ſit ſuaue, & onus leue. Si ergo Filius Dei venit ad peccatores ſaluandos, quiſque vna cũ Paulo, ſeſe Chriſto offerat, dicatq;, Ego ſum primus. Proponãtur eorum exempla qui cum grauiſſime peccauiſſent; tamen peccatorum remiſſionem, & beatam vitam, diuina auxiliante gratia, ſunt adepti; Vt, Dauid, Magdalena, bonus latro, Petrus, & eccleſiæ perſequutor Paulus Et vt concludam, dicat nihil eſſe ſtultius, nihil abſurdius, quam ſub infinita Dei miſericordia perire, & beatitudinem ad quã facti, inſtituti, & mille modis adiuti ſumus, non peruenire: quam Deus ob ſuam immenſam miſericordiam omnibus concedat.

Pſal. 102. et 135. *Iac. 2.* *Pſal. 88.* *Iſai. 5.* *1. Tim. 1.*

De auditorum varietate, deque eorum moribus cognoſcendis. *Cap. XIIII.*

QVONIAM vero planum eſt, hominum mores varios eſſe, pro varijs eorum ſtudijs, artibuſq;, & etatibus, eoſque ad affectus commouendos cognoſcere neceſſarium eſſe, vt ſupra docuimus: ideo nullo modo erit inutile, ſi omnem auditorum varietatẽ ad quædam genera reuocabimus, & quomodo eorum affectus excitandi ſint, vniuerſe docebimus, id quod hoc capite nobis faciendum proponimus.

Cum ergo, vt Paulus ait, Eccleſia ſit tanquam Chriſti corpus, in quo varia ſunt membra, certis locis collocata, ad certa munera obeunda; ex quorum ordinata multitudinẽ vnum quid perfe- *1. Cor. 12.*

ctum conficitur; profecto Concionator, qui hoc vniuerſum corpus dicendo mouere ac regere debet, omnium partium vim, atque naturam, functioneſque cognitas habere debebit: ac proinde rerum humanarum non debet eſſe ignarus; vt omnes ad ſuos fines dirigere, & idonee inſtituere queat, in ijs quæ pertinent ad religionem, quæ eſt veluti huius corporis anima. Huius itaque corporis membra, ad noſtrum propoſitum accommadate, primum diuidi poſſunt ratione ſexus, in mares & fœminas: illorum eſt regere & docere, harum regi & doceri. Rurſus, ratione ætatum; cum alij ſint adoleſcentes & iuuenes, alij iam adulti & in ætate confirmati, alij denique ſenes: neque enim hoc loco plures ætates diſtinguere eſt neceſſe. Denique, ratione ſtatuum, artiumque, & ſtudiorum: quorum ſtatuum, alij ſimpliciter conſiderantur, vt ſtatus viduarum, virginum; alij comparate, vt cõiugatorum, principum, dominorum, & horum ſimiles. Et vt vniuerſe dicamus, capita ſiue genera auditorum hæc ſunt, Mares, fœminæ, Prælati, maiores, animarum curatores, ſacerdotes, Principes, ſiue magiſtratus, ſubditi, parẽtes, filij, magiſtri, diſcipuli, duces, milites, domini ſiue patres familias, ſerui, mariti, vxores, viduæ, virgines, ſacerdotes, monachi, nobiles, diuites, ignobiles, pauperes, agricolę, & mercatores. Hæc igitur, etſi quæ ſunt alia auditorum genera, quæ vel artibus, vel ex ſtudijs diſtingui poſſunt, qui diſtinxerit, & cognouerit, is apte & cum decoro dicere, quod in arte dicendi eſt quid præcipuum, ac etiam auditorum animos multo facilius commouere poterit.

1. Ioan. 2. Quod autem dicendo ſingulorum ſtatuum habenda ſit ratio, tum eſt per ſe manifeſtum, tum etiam hic illuſtris docet diui Ioãnis locus, ſcribo vobis filioli, quoniam remituntur vobis peccata propter nomẽ eius: ſcribo vobis patres, quoniam cognouiſtis eũ qui ab initio eſt: ſcribo vobis adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum: ſcribo vobis infantes, quoniam cognouiſtis patrem: ſcribo vobis iuuenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum. Nolumus tñ hoc loco priuatos locos indicare, cum vel mediocriter eruditis eos inuenire liceat; præſertim ſi ea teneãtur, quæ hactenus de locis inueniendis docuimus. Verum ad hoc facilius præſtandum, minus eruditis & in arte dicendi verſatis, quaſdam ſubijciendo admonitiones, viam demonſtrabo.

Prima, qui harum perſonarum affectus permouere vult, habeat perſpectam ſingulorum ſtatuum vim atq; naturam, officia,

fun-

functiones, & errores, qui in ſingulis cõtingere conſueuere: hoc eſt, quibus in rebus coniuges, mercatores, magiſtri, iudiceſq; pec care ſoleant.

Secunda, quæ ſint ſingulorum ſtatuum commoda & incommoda, vt quod eſt in illis difficultatis lenire, aut augere poſſit: & quod eſt vtilitatis amplificare hortãdo, aut conſolando queat.

Tertia, quæ ſit eorum dignitas, neceſſitas, atque in communi vita vtilitas; vt quæ ſit mercaturæ neceſſitudo, quæ agriculturæ dignitas, & ſic de alijs.

Quarta, quæ virtutes in quouis ſtatu præcipue commendentur & deſiderentur; vt in animarum curatore & epiſcopo vigilãtia, in magiſtratibus iuſtitia; in mercatore fides, in muliere pudicitia, & denique in Principe munificentia.

Quincta, ſi ſtatus ſit relatus, ſiue affectus, vt mariti & vxoris, parentum & filiorum, quid cuiuſque ſit, doceat, & comparate de vtroque relato agat, & ad mutua officia præſtanda hortetur.

Sexta, ſingularum ætatum mores numeratos habeat; vt ſciat qui iuuenum, qui adultorum, qui ſenum mores boni, vel mali: de quibus nos libro ſecundo de Inuentione ſcripſimus.

Septima, cum ad homines in certa ætate conſtitutos, vt ad iuuenes, vel ad ſenes eſt dicturus, videat quid in eorum moribus ſit reprehendendum; vt in iuuenibus, quod ſint faciles ad contemnẽdum: in ſenibus, quod ſint auari, & ſic de alijs: ſimiliter quid ſit laudandum, vt in ſenibus prudentia, in iuuenibus liberalitas; illa vituperet, hæc commendet; modo cũ ratione ſinguli mores, pro penſioneſve bonæ ad vſum traducantur. *Ariſt. lib. 2. Rhet.*

Octaua, illud poſtremo admonuerim, hortandos eſſe auditores, vt quiſque in ea vocatione maneat ad quam vocatus eſt: nemini ſuum ſtatum inuidendum eſſe: multa oriri incommoda ex ſtatus mutatione, ni quis ad perfectionem acquirendam contendat, æmulando chariſmata meliora; ſed id aliorum conſilio fiat, non ſuo ſpiritu; ne quis a Dæmone qui ſe in angelum lucis mutat, decipiatur: & denique longe melius, tutius, & deſiderabilius eſſe in inferiori gradu manere, quam in ſuperiori, & regi, quam regere. *1. Cor. 7.* *1. Cor. 12.*

Is qui allatas admonitiones tenebit, facile ad omnes auditores commouendos idoneos locos inueniet, apteque & cum decoro dicet.

Si quis autem magis in promptu eos habere vellet, legendis diuinis literis, quid de ſingulis ſtatibus dicatur, notet; Quid de paſtoribus, quid de principibus, quid de coniugatis, quid de vir-

ginibus,de parentibus,de filijs,& de alijs ſimiliter, Eos legat,qui de ſtatibus ſcripſere,Antoninum,Carthuſianum,diuum Thomã, & alios:nobis ad ea quæ reſtant ire properantibus , fontes ipſos indicaſſe ſufficiat.His igitur omiſſis,ad alia pergamus,atque adhuc planius ea quæ ad mouendum faciunt explicemus.

Quod doctrinæ genus & dicendi ratio ad animos permouendos multum conferant. Cap. X V.

TRIA eſſe Oratoris munera omnes rectę dicendi magiſtri docent:quam doctrinam etiam Boethius,Auguſtinus,ſanctus Thomas,& alij approbant.Docet autem Orator,doctrina,ſiue rebus inuentis & ordine diſpoſitis:mouet eaſdem res amplificando:genere vero modoque dicendi apto delectat : quamuis delectatio duo priora munera,quę ſunt magis pręcipua,ſi recte ſint adhibita,neceſſario ſequatur: cũ non poſſit non delectare,quod intelligentiã voluntatemque afficit.

Cum ergo ſupra de amplificatione quæ docendo mouet,deque motu ipſo ſcripſerim;nunc alia quædam , quæ ad mouendũ conferunt,priuatim explicare conabor:cum hoc munus ſit aliorum ſcopus, & finis, in quo ſita eſt victoria & laborum fructus ; & alia omnia fruſtra adhibeantur,ni motus fiat:ne eo deficiente, & Concionator,& auditor dicere cogantur,Per totam noctem laborauimus,& nihil cepimus. (*Luc.5.*) Et ſane hac in re omnis deſudare deberet Concionatoris labor: cum videatur genus quoddam diuini flagelli, ſi ſine vllo fructu hoc opus exerceatur : cum ex Deo non eſſe dicantur,qui Dei verba non audiunt,hoc eſt,qui audiendo non permouētur:quibus dictum eſt, Auferetur a vobis regnũ cœlorum,& dabitur genti facienti fructus eius:& ficulneæ non fructiferę,maledictum fuiſſe legimus:& denique Phariſęis nullos pœnitentiæ fructus facientibus , optimus Concionator Ioannes dixit,Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur,& in ignem mittetur. (*Ioann.8. Matth.21. Mar.11. Luca 3.*) Patet igitur quam ſit neceſſarius motus . Mouere autem , non ſolum eſt ad audiendum excitare , vt auditor quod docetur intelligat,ſed voluntatem trahere,& quo velis impellere ; vt qui audit,ex malo bonus,ex bono melior fiat,& in bono perſeueret.

Tunc autem Concionator erit ad mouendum idoneus ; cum quattuor potiſſimum rebus fuerit inſtructus,doctrina, eloquentia,ſpi-

tia,ſpiritu,& prudentia:duæ priores ſunt veluti materia,poſteriores tanquam forma. Doctrina ſuppeditat res dicendas: eloquentia eſt veluti inſtrumentum, quo res in animo latentes in lucem proferuntur. Nam, vt colores ſine lumine apparere nō poſſunt, ita quæ in animo latent, ſine eloquentia in lucē venire nequeũt: quæ per ſpiritum & prudentiam efficaciter & apte explicari & enuntiari debent,vt uires habeant.

Quod autem doctrina conferat ad mouendum, ex eo patet, quod nihil appetimus,aut refugimus, ni prius quale ſit cognouerimus,& rationibus perceperimus, id quod per doctrinam fit. Vt omittam,quod non poteſt non delectare,ac proinde aliquo pacto non mouere id quod diſcitur,& ratione percipitur:non ſecus ac cibus qui ore ſumitur. Apte itaque docere adeo potens eſt,vt alia ſecum munera quodāmodo neceſſario trahat. Quare,ſi quis ornate,ſed non erudite diceret,non ſecus faceret,ac is qui conuiuium lautiſſime & elegantiſſime pararet, & nihil edendum apponeret. Contra vero, qui doceret, & non eleganter diceret, aliquid præſtaret,vnde alia ſequi poſſent. Vt ſi pomum bonum haberet ſuccum,colorem autem & figuram non bonam: vnde dici ſolet, Turpe,bonum. Eſto itaque uerum, ſapientiam,qua veluti quodam ſale omnia condiuntur,ſine eloquentia parum prodeſſe,eloquentiam ſine ſapientia obeſſe multum. Vt patet in nouis magiſtris, qui cum ſolam ſermonis eloquentiam ſectentur,& veram ſapientiam,hoc eſt veram & catholicam doctrinam a maioribus acceptam ignorent,peſſime dicunt. Quocirca,ſapienter Sapiens aiebat, Multitudo autem ſapientium, ſanitas eſt orbis terrarum:non dixit eloquentium. Et quis non videat melius eſſe pharmacum amarum quod ſanat, quam ſuauis potio quæ nihil iuuat?

Cic.lib.1.de inuen.

Sap.6.

Sed quęnam eſt doctrina illa quæ permouendi efficacitatem habet? Illa nimirum,quam nobis Deus dedit, & dictauit:quę nō poteſt non mouere,ſi ut quiſque eſt,talia & eius uerba. Quare,cū Pater ſit omnipotens,Filius ſapiens,& ipſamet ſapientia,& Spiritusſanctus ipſa caritas & amor, diuina doctrina mouebit, illuminabit,afficiet. Hæc eſt illa cella uinaria quæ nos inebriat: vxor quæ nos fouet,& theſaurus qui nos ditat:ſpōſa inquam illa, quæ omnia bona utilia,delectabilia,pulchra,atque honeſta ſecum affert. Hæc eſt ſapientia illa in qua eſt ſpiritus intelligentiæ, quia mentem illuſtrat:ſanctus, quia confirmat & ſtabilit: unicus,quia pacem affert, & animos iungit: multiplex, quia omnia continet:

Cant.2.

Sap. 7. 8.9

ſubtilis,

ſubtilis,quia omnia penetrat & ſcrutatur:diſertus, quia eloquen tes facit:mobilis,quia quem docet excitat,commouet, rapit:inco inquinatus,quia nullas habet ſordes,& corda mundat, ac purificat,vt mundi corde Deum uideamus:certus,quia omnia promiſ-
1.Tim.4. ſa facit : ſuauis, quia recreat, & reficit,& ſupra mel eſt guſtantiũ
Pro. 15. Pſa.18.33. faucibus dulcis:amans bonum,quia omnia uitia damnat:acutus, quia tardos excitat,& peccantium corda compungit: nihil uetat benefacere,quia omnes uirtutes approbat:humanus,quia a feri-
Matth. 24. tate reuocat & ad humanitatem informat:benignus ; quia rebelles manſuetos reddit:ſtabilis,certus,& ſecurus,quia deficere non poteſt,omnia enim alia tranſibunt,hic uero permanebit:& deni que,omnem habet uirtutem,uim nimirum & efficacitatem ſanã di perficiendi intus foriſque,& omnes ſpiritus capit,omnia uide licet,quæ in alijs ſcripturis utiliter continentur.Merito igitur bo
1. Tim.4. num Concionatorem inſtruens aiebat Paulus , Hæc proponens fratribus , bonus eris miniſter Chriſti Ieſu, enutritus uerbis fidei & bonæ doctrinæ,quam aſſequutus es.Pręcipe hæc & doce.Formam habe ſacrorum uerborum,quæ a me audiſti in fide,& in di lectione Chriſti Ieſu. Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu,& ſanctis Angelis,ut hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando.

Cum itaq; omnis ſcriptura diuinitus iuſpirata utilis ſit ad do-
2.Tim.3. cendum ,ad arguendum,ad corrigendum,ad erudiendum in iuſtitia,ut perfectus ſit homo Dei,ad omne opus inſtructus, come-
Iſa.3. dat Concionator uolumen iſtud,ut Propheta ait; & ſuos ſermones,ut ſancti Patres fecere,potiſſimum ex ſententijs uerbiſque diuinæ ſcripturæ conficiat: ſed quam male diuina ſcriptura tra-
Epiſt. 38. ctetur ab ijs qui eam tractant,Hieronymus dicat:ſine qua tamen omnis humana in Concionatore eloquentia, tanquam inculta terra,tribulos,ſpinas,& lappas effert. Cur autem diuinus Præco hanc potiſſimum doctrinã docere debeat, ut efficacius moueat, hæ ſunt cauſſæ.

Prima, quia pane cœleſti paſcere oportet eos , qui uitam uiuere debent cœleſtem:quod ſane non faciunt qui ſuas conciones humana replent doctrina, quæ appetentiam non excitat, non ſatiat.

Secunda,quia cum nihil ſit ueritate fortius,& nihil ſacra do-
Pſal. 67. ctrina uerius,diuina uerba non poterunt non mouere. Huc pertinet illa Dauidica prædictio, Deus dabit uerbum euangelizanti bus in uirtute multa.Hęc igitur ſola doctrina quæ ui ſua totum

mundum

mundum uicit, & omnes errorum & ignorantiæ tenebras fugauit, audientiũ mentes cogere, & illuminare, ac etiam affectũ caritate inflammare poterit, ne tepidus relinquatur: id quod omnino fugiendum eſt: cum tepiditas, vt eadem ſcriptura docet, ſit frgiditate pernicioſior.

Tertia, ne auditores eo priuentur fructu, qui ex verbi diuini auſcultatione naſcitur: cum omnino credendum ſit, eos priuatim Deum iuuare, ac permouere, qui eius verba audiunt; cum eos aliquando Chriſtus beatos appellauerit: at, qui verba Ariſtotelis, qui Platonis doctrinã audiunt, eos nemo, credo, beatos vocitaret. Caueat igitur Concionator ne iniuſte ſuos auditores hoc cœleſti pane defraudet, & ne pro pulchra Rachele Liam minus venuſtam & gratam eis ſupponat. *Apoc. 3.* *Luc. 11.* *Gen. 29.*

Quarta, vt ſit fidelis diſpenſator, & nuntius Dei, ea dicendo, quæ ab eo, a quo miſſus eſt accepit, aut accepiſſe debuit, & vt ſibi datas literas non occultet: Loquere, inquit Deus, verba mea ad eos. Hinc illud toties in ſacro codice repetitum, Ait Dominus. In his literis uidenda eſt Dei voluntas, quid Deo placeat, quid diſpliceat, quid faciendum nobis ſit, vt vitam æternam cõſequamur. Quare, non ſecus male faciunt qui humanam prorſus doctrinam loco diuinæ ponunt, ac pharmacopola, qui pro optima medicina a Medico inſtituta, aliam non bonam, aut minus efficacem bibẽdã daret: In diuina aũt ſcriptura, vt antiqui Patres docent, pro omnibus morbis optima ſunt medicamina. Vel, non ſecus erraret, ac is qui pro nitido & claro ſpeculo, ſordidum & obſcurum proponeret; aut pro veritate vmbram, & pro argẽto ſcorias. Ideo quidam maximus concionator dixit, Nihil ſine ſcriptura dicendum eſſe: ex cuius ſuauiſſimis ſententijs, apum more, ſuauiſſimus doctrinæ fauus conficiendus eſſet: Cum diuina ſcriptura ſit omnium perfectionum & exemplorum idea; obedientiæ, caſtitatis, paupertatis, patientiæ, fortitudinis, & abſtinentiæ: in Noe, in Ioſepho, in Elia, in Iobo, in Samſone, & in Ioanne. Hic iudicis in Moſe, principis in Dauide, diuitis in Abrahamo, militis in Centurione, & aliorum ſtatuum viuendi optimæ rationes ob oculos ponũtur. Qui igitur Concionator docendo mouere uult, is optime diuinam legem ſciat: at legem ſcire, vt Iuriſconſultus ait, non eſt eius verba tenere, ſed ſenſum penetrare; quem non penetrabit, qui ſolum de facie eam noſcit: cum non perfecte cognoſcatur is, qui ſolus de facie eſt notus; ſed diu cum eo verſandum eſt, vt eius cor penetres, & videas. *Athan. Chryſ. hom. 29. in Gen.* *Greg. 1 Moral. c. 1.* *Chryſoſt. in Pſal. 95.* *Aug. lib. 4 de doct. 3. 4. & 5.* *Celſus l. ſcire, ff. de leg.*

Huc pertinent epitheta illa, quæ diuus Auguſtinus Conciona-
Matth.13. toribus tribuit,quæ ſunt iſta,Tractator ſcripturæ qui negotiatio-
nis libros cognitos habere debet, vt bonas inueniat margaritas,
id eſt bonas ſententias,bonas virtutes, & bonas animas:Doctor
legis,qui cathedram in qua Chriſtus docuit debet aſcendere: De
fenſor fidei,quam defendet nemo, qui varijs armis non fuerit mu
nitus,vt contra ignorantiam,contra malitiam ſtare,& in ſana do
Tit.1. ctrina hortari,& eos qui contra dicunt arguere queat: Denique
errorum Debellator,quos proſternere nõ poterit,niſi ex ſcriptu-
ræ panoplia arma ſumpſerit.

Rationibus itaque bonis optimiſque ſententijs ex verbo diui-
no ſumptis,bonus Cõcionator mouebit,ſi etiam eam dicendi ar-
tem adhibuerit,quam vna cum bonis ſententijs, diuinas ſcriptu
ras legendo,poterit obſeruare: ad quod faciendum etiam arte
vtetur humana,quam diuini ſcriptores non ſunt aſpernati,vt pa-
tet ex ijs quæ hactenus de inuentione,diſpoſitione,& amplificã-
di ratione docuimus, & ex ijs quæ de Eloquutione ſcribemus ad
huc multo manifeſtius fiet.Cum itaque diuini ſcriptores,vt alibi
diximus,eloquenter docuerint,ad facilius mouendum,ipſa adhi
beatur eloquentia,ne quid impure,obſcure,incompte, diſſipate,
& inepte dicatur.Quare,qui apte ad mouendum docere ac dice-
re uoluerit,is dicendi arte utatur,qua bonas res inueniat, & ſeli-
gat:ſelectas prudenter diſponat:diſpoſitas honeſte ornet:quas tã
dem cum dignitate memoriter pronuntiet. Per eloquentiam er-
go Orationis inſtrumentum bene elaboratum, non rude, non
incomptum,ne aures illud reſpuant,ſed libenter, & ſuauiter exci
piant,ad mouendum perſuadendumque adhibeatur.

Quantum concio cum ſpiritu facta ad animos permouendos valeat.
Cap. X V I.

ETsi ex ijs quæ libro primo de Concionatoris ſpiri
tu agẽdo diximus,ſatis aperte cognoſci poteſt,quã-
ta ſit ad auditorum animos permouendos ſpiritus
neceſſitas,quantumque ſpiritus in dicendo valeat:
tamen,vt quædam alia, quæ ibi ſilentio præteriui-
mus,adijciamus,& quod propoſuimus priuatim explicemus,de
eodem ſpiritu hoc etiam loco paucis agemus.

Quod autem cum doctrina coniungendus ſit ſpiritus, tan-
quam anima cum corpore,vt fiat quid viuum atque perfectum,
ea ni-

ea nimirum oratio,quam Græci empsycon appellarent, hoc eſt, ex animo expreſſam,vel ex eo patet, quod in omnibus fere diuinæ ſcripturę locis in quibus fit mentio de doctrina, etiam de ſpiritu aliquid dicitur;vt in iſtis,Et adimplebit illum ſpiritu ſapientiæ & intellectus:Et venit in me ſpiritus ſapientię:Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini,ſpiritus ſapientiæ & intellectus: Dedi ſpiritum meum ſuper eum,iudicium gentibus proferet:Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis,ſed in oſtenſione ſpiritus & veritatis. Quale ergo erat corpus Adami ex terra formati antequam Deus in illud ſpiraret ſpiraculum vitæ, talis eſt Concionatoris doctrina antequā hoc ſit informata ſpiritu. *Eccl.15. Sap.7. Iſai.11.42. 1.Cor.2.*

Quid autem nomine ſpiritus intelligendum ſit, varie exponi ſolet,vt alio loco diximus. Et certe,hic ſpiritus non eſt contenta vox,non validi clamores, non efficacia quædam in motibus corporis;cum iſta omnia etiam in homine phanatico eſſe poſſint: neque etiam gemitus,& ardor,indignatioque in ore expreſſa;cū in ſermone lęto,ſuaui,paccato,remiſſo, atque leni maxima eſſe poſſit ſpiritus vis:Immo vocis & corporis cōtentiones, & luctus parum prudenter interdum adhibentur:& poſt iſtos clamores & ardores,adhuc auditores in ſua frigiditate permanent: cæterum hæc omnia ſuis locis adhibita,ſpiritum iuuare queunt.

Quid autem ſit, non eſt explicatu facile,quoniam iſta vox ſpiritus,varias omnino habet in ſacro codice ſignificationes, cum modo ventum,modo rem corporis expertem,modo inferiores animę vires,modo animam ipſam,modo mentem & pręcipuam animi partem,modo vim auxiliumque diuinum, modo caritatem caritatiſque feruorem,& Dei dilectionem ſignificet. Atque hoc loco aliqui per ſpiritum caritatis intelligunt ardorem, cuius ui, prauis cupiditatibus compreſſis,ratio in animis noſtris dominatur,noſque ſpirituales efficit,hoc eſt,caritate informata uiuos: ita ut in ſpiritu & veritate Deum adoremus. Dilectio itaque Dei mentem afficit,atque inflammat,ſpirituſque nomine cohoneſtat: quo fit,vt ſpiritus abſolute dicatur:quo ſpiritu,homo vnus cum Deo efficitur.Huius ſpiritus notę,ſunt eius fructus, caritas,gaudium,pax,patientia,benignitas,bonitas,longanimitas,manſuetudo,fides,modeſtia,continentia,caſtitas. Qui hoc ſpiritu eſt ornatus,dicitur Spiritualis homo; quia non ſapit ea quę ſunt carnis: nouus homo,quia ex aqua & ſpiritu renatus eſt, & doctrinam profitetur nouam,uitamque nouam uiuit, veteri exuto homine: *2.Tim.1. Rom.8. Galat.5. Ioan.3. Ephes.4. Coloſ.3.*

Lux

Lege Ebl. ar Inter. hom. Lux, filius lucis & diei: quia doctrina & bonis operibus alijs prælucet: Filius Dei, quia ſecundum Deum creatus eſt, & renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius qui creauit illum: Homo interior, quia totus eſt in rerum interiorũ cura: vnde, &

1.Pet.3. cordis homo nominatur, quia corde uigilat, corde Deum exquirit, & amat.

Atqui alij hunc ſpiritum, quo Eccleſiaſtes uim habet ad permouendum, non tam in caritate, quam in quodam eius feruore, zeloque, & in quodam ardenti animarum deſiderio poſitum eſſe dicunt: cum, re vera, aliquis poſſit eſſe in gratia conſtitutus, in quo tamen non elucefcat ſpiritus ille, quem ad alios iuuandos & permouendos in oratore Chriſtiano neceſſarius eſſe putatur. Et ſane, nihil eſt quod animos audientium acrius commouere, & dicentem vehementius ad omnem ſui officij partem quam accuratiſſime obeundam excitare poſſit, quam ſi illud unum habeat propoſitum, vt ſuos auditores bonos faciat, & dicendo hoc deſi-

1.Cor.9.4. derium exprimat: vt faciebat ille qui, Omnibus omnia ſe factum eſſe dixit, ut omnes ſaluos faceret: & ſe ſuos auditores tanquam filios genuiſſe, & tanquam nutricem fouere: cupereque non ſolũ

1.Theſſ.2. euangeliũ docere, ſed etiam ſuam vitam pro eis tradere. Sed nullibi hoc ardens deſiderium planius atque luculentius explana-

Rom.9. uit, quam cum dixit, Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea, in Spirituſancto, quoniam mihi triſtitia magna eſt, & continuus dolor cordi meo.

Rom 1. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis. Et alio loco fratribus longiſſime remotis ſcribendo dixit, Deſidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis.

2.Cor.7. Et denique, quid hac flamma ardentius & voracius? Prædixi qđ in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum & conuiuendum. Ex hoc ſpiritu illud efficitur, vt diuinus Præco ſuos auditores, nõ ſolum ad quoddam genus vitæ honeſtum traducere velit, ſed etiã ad omnem vitæ ſpiritualis perfectionem: vt is qui optime intelligit periculoſum ac ſtultũ eſſe in certo aliquo ſtatu in hac vita vel

Coloſſ. 1. *1.Cor.12.* *Phil. 1.* le conſiſtere, & eum qui non pergit, in peius ruere. Ideo Apoſtolus hoc ſpiritu repletus volebat ſuos æmulari charifmata meliora, abundare in omni ſcientia & ſenſu, habereque caritatem quę eſt vinculum perfectionis, vt eſſent perfecti & pleni in omni voluntate Dei, & ſinceri, ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu

Coloſ.1. iuſtitiæ per Chriſtum in gloriam & laudem Dei: Idem aliquando dicebat, ſe docere omnem hominem in omni ſapientia, Vt

exhi-

exhibeamus,inquit,omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu:in quo & laboro & certando,ſecũdum operationem eius, quã operatur in me in virtute. Et ad Epheſios ſcribendo Deum rogat,vt poſſint comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas,& profundum;ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ caritatem Chriſti, vt impleantur in omnem plenitudinem Dei.Illud etiam hic ſpiritus efficit,vnde eum agnoſcere licet,vt cum ſimplicitate & ſynceritate, non in ſapientia carnali,ſed in gratia Dei,eius verbum concionator enunciet; vt fecit is,qui aiebat, Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei,ſed ex ſynceritate,ſed ſicut ex Deo,coram Deo in Chriſto loquimur:& alio loco,Non ambulantes in aſtutia,nec adulterantes verbum Dei, in manifeſtatione veritatis, commendantes noſmetipſos, ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. Sicut probati ſumus a Deo,vt crederetur nobis euangelium,ita loquimur,non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra:neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis,ſicut ſcitis:neque auaritiæ,Deus teſtis eſt:neque quærentes ab hominibus gloriam,neque a vobis,neq; ab alijs,& quæ apud Paulum in hanc ſententiam diſſeruntur.Ideo Theſſalonicenſibus dicere potuit,Vos teſtis eſtis & Deus, quam ſancte,& iuſte, & ſine querela vobis qui crediditis fuimus,ſicut ſcitis:Qualiter vnumquemque veſtrum,ſicut pater filios ſuos deprecantes vos,& conſolantes,teſtificati ſumus,vt ambularetis digne Deo,qui vocauit vos in ſuum regnum & gloriam. Denique,ad idem faciendum, his verbis Timotheum hortabatur, Solicite cura teipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem recte tractantem verbum veritatis.

Cap. 3.

2.Cor.2.

2.Cor.2.

2.Cor.4.

At vero alij hunc ſpiritum alio modo exponunt, ad quem explicandum & intelligendum obſeruare oportet, quid per ſpiritum,& ſpirare in rebus naturalibus intelligi ſoleat.Spiritus ergo deſignat quiddam viuum,&,vt ita dicam,quandam in rebus viuacitatem,qua res in ſua natura ſplendent,& quaſi vitam ſpirãt; vt in imagine ad viuum picta,apparet:de qua dicere ſolemus,eã loqui,ſeſe mouere,anhelare:iuxta illud Maronis,

Excudent alij ſpirantia mollius æra: Æn.lib.6.

Credo equidem viuos ducent de marmore vultus.

Vnde,& in florib. dicimus, viuus color, & in ſermone,viua vox. Illa itaque in dicendo energia, & vt ſic loquar,viuacitas,dicetur ſpiritus,qui efficacitatem,robur, & quaſi vitam dictioni præſtat;

ideo

ideo legimus Samſonis fortitudinem fuiſſe in ſpiritu ei dato. Cæterum, ſpiritus, & vita inter ſe differunt, vt ex eo ſcripturæ loco colligere licet, vbi dicitur, Verba quæ ego loquutus ſum vobis ſpiritus, & vita ſunt: vita in ſe, ſpiritus in efficacia & energia operationis. Et ſicuti rerum pretium in viuo earum ſpiritu conſiſtit, vt patet in roſa, in odore, in vino, in equo; ita concionis ſiue dictionis æſtimatio in eius viua efficacitate conſiſtet. Quocirca, Concionatoris ſpiritus erit viuum quid, quod in eius doctrina & dicendi ratione includitur, quo audientium animos commouet, in quo tota concionis vis ſita atque collocata eſt: quod genere vocis & actionis iuuari poteſt. Hæc in dicendo energia & efficacitas quæ ſpiritus nominatur, aliquando oritur ex natura, quaſi quoddam naturale donum a Deo datum. Et hinc eſt quod etiam profani ſcriptores huius ſpiritus in dicendo aliquando mentioné fecere, eumque habuere; vt Demoſthenes, Tullius, & Antonius, qui efficacitate maxima dicendo vſi ſunt: & quidam Concionatores, alias non admodum ſpirituales eundem habent: ob quã cauſſam interdum facilius animos permouebunt, quam qui maiore ſunt pietate & caritate ornati. Aliquando ex priuato Dei munere, vel ob caritatis feruorem, qui veluti ignis flamma foras erumpit, vel ob priuatum auxilium quo Deus dicentem iuuat. Atque hic ſane ſpiritus pręcipue in Chriſtiano oratore deſideratur: qué, ſpiritus ille a natura tributus, iuuare poteſt: quo etiam ſępe Deus ad peccatores conuertendos vtitur; quamuis in homine ſit peccatore: non ſecus ac Balaam voce, ad benedicendum vſus fuit. In eo hi duo ſpiritus differunt, vt multa alia diſcrimina omittam, quod naturalis in dicentis eſt poteſtate, licet non ſemper; hic vero in manu Dei eſt ſitus; quem Deus pro ſua voluntate, præſertim iis qui eum ſummiſſe petunt, impertit. Quare, qui conſequi voluerint, ad orationem confugiant, oſque ſuum aperiant, vt illum attrahant; ut cum Sapiente dicere poſſint, Optaui, & datus eſt mihi ſenſus: inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.

Num. 22. *Eccl. 15.* *Iſa. 42.* *Pſal. 118.* *Sap. 7.*

Atque ex his colligere licet, quibuſnam modis ſpiritus vniuerſe ſumptus acquiratur, tribus nimirum; vi naturæ, oratione & contemplatione, ac genere vitæ, bonis videlicet operibus, quaſi merendo. Eſt itaque hic ſpiritus in Præcone cœleſti neceſſarius, vt in concionem veniens, ſuos auditores quaſi mortuos in vitã reuocet, vt vitam habeant, & abundantius habeãt: quæ ſine diuino ſpiritu non habetur. Ac proinde diuini verbi miniſtris dictum legimus, Non eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loqui-

Iſa. 70. *Ezec. 37.*

loquitur in vobis. Vt itaque oſſa mortua in vitam reuocentur, colligenda, neruis liganda, carne veſtienda ſunt, & carni cutis ſit peraddenda, vt tandem ſpiritus introducatur, & viuant.

Sed, cum hic ſpiritus interdum in Concionatore ſopitus, & quaſi extinctus ſit, quanam ratione excitari poterit? Interdum, vt in diuinis literis legimus, aliqua re extrinſeca, veluti melodia, in quibuſdam excitatus fuit: &, vt verum fatear, organorum ſono me valde commoueri ſentio. Vt itaque equi ſenſus tubæ ſono excitatur, ita etiam hominis ſpiritus aliqua re externa excitari poteſt. Sed priuatim doceamus, quonam pacto Concionator ex ſe excitare queat. *4. Reg. 3. 1. Par. 25. Iud. 14.*

Primo, excitabit per orationem, per quam etiam acquiritur; quo modo in Moſe per Aaronis orationem excitatus fuit; & in Paulo per raptum ad tertium cœlum. Aperiat itaque Concionator per orationem os ſuum, & attrahat ſpiritum. Et, ſi patres carnales, etiamſi mali ſint, bona data dant filijs ſuis; quanto magis celeſtis Pater, qui bonus eſt, de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? *Luc. 11.*

Secũdo, per bonam rerum verarum electionem, diſtinctionẽ, doctrinæque commentationem. Etenim ex doctrinæ copia & certitudine oritur fiducia quædam, vnde animus viget & roboratur, ac proinde maiori cum ardore dicitur. Vnde Prophetæ & ſancti viri a Deo edocti, aut magno ſtudio nixi, vim maximam in dicendo habebãt: & Auguſtinus, Hieronymus, & horum ſimiles docti & eloquentes magiſtri audacter cum aduerſarijs pugnabant: quod facere non poſſunt, qui parum ſunt a doctrina, ſtudioque inſtructi; qui frigide & languide dicunt; vt molendini rota, quæ lente currit, ni abundet aqua. Vt itaque mulier natura & arte, varijſque lapillis ornata audacter ſe videndam prebet; ita Concionator qui varia optimaque doctrina fuerit ornatus, cũ fiducia in publicum ad dicendum venit.

Tertio, excitabitur ſpiritus ex peccatorum populi conſideratione, & ex zelo gloriæ Dei, qui a peccatoribus paſſim grauiter offenditur; non ſecus ac ſi ſeruus ſuum dominum ab improbis in fimæq; notæ hominib. male tractari videret. Hac ratione excitatus fuit in Elia, cum dixit, Zelo zelatus ſum pro domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael, &c. & in Chriſto, cum Dei templum violari vidit: & cum Iudæos redarguendo, eos diaboli filios vocauit: & cum videns ciuitatem fleuit ſuper illam, dicens, Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac *4 Reg. 19. Matth. 23. Luc. 19.*

die tua, quæ ad pacem tibi, &c.

Quarto, ex conſideratione fructus, qui colligitur ex doctrina & ex laboribus in concionando ſumptis: non ſecus atque agricola ad colendam terram vires ſumit, cum maximos ex ea fructus percipit: ideo Chriſtus excitatus a fructu ex concione ad Samaritanam habita percepto, conuerſus ad Apoſtolos dixit, Leuate oculos veſtros, & uideté regiones, quia iam albæ ſunt ad meſſem. Qua ratione excitantur illi qui nunc apud Indianos Euangeliũ promulgãt, ac proinde ſæpe a ſuis operarios petunt. Idem Dominus, cum vidiſſet ſuos Apoſtolos diuina gratia refertos, totus lætitia perfuſus, in hæc verba prorupit, Cõfiteor tibi Pater, domine cęli & terræ, quod abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.

Ioan. 4.

Luc. 10.

Huc referres populi frequentiam, a qua ſpe fructus faciẽdi mirum in modum qui dicunt excitari ſolent, qua de re, hæc ſcripſit Fabius, His adijcio, præceptores ipſos non idem mentis ac ſpiritus in dicendo poſſe concipere, ſingulis tantũ præſentibus, quod in illa celebritate audientium inſtinctos. Maxima enim pars eloquentiæ conſtat animo: hunc affici, hunc concipere imagines rerum & trãſformari quodammodo ad naturam eorum de quibus loquimur, neceſſe eſt. Is porro quo generoſior celſiorque eſt, hoc maioribus velut organis commouetur; ideoque & laude creſcit, & impetu augetur, & aliquid magnum agere gaudet. Eſt tacita quædam indignatio vim dicendi tantis comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere: pudet ſupra modum ſermonis attolli: vbi tandem concludens, ait, Non eſſet in rebus humanis eloquentia, ſi tantum cum ſingulis loqueremur.

Lib. 1. c. 2.

Sed peteret hoc loco quiſpiam, an ſpiritus ille qui a naturã habetur, ſit ſatis ad ſuadendas res diuinas iuſtitiamque Chriſtianã? cui hunc in modum reſponderem. Primum, hic ſpiritus confert ad perſuadendas res humanas; vt patet in M. Tullio & Demoſthene, quorum ſpiritus etiam in ipſis ſcriptis uiget. Habet autẽ hic ſpiritus fundamentum in natura habituque corporis, vnde uarij oriuntur ſpiritus, remiſſus, clemens, acer, vt in Hieronymo. Deinde, ſi diuinus ſuperueniat, naturalis maiores habebit vires, quas etiam naturalis auget, cum ad diuinum accedit. Poſtremo, ſolus naturalis non ſufficit ad res diuinas ſuadendas, & ad remouendos homines a peccato: quia hoc eſt ſolius Dei opus. Ideo aliquando Chriſtus ſummus Concionator dixit, Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.

Ioan. 6.

Verum,

Verum, vt diligenter, cum opus fuerit, ſpiritus excitandus eſt; ita, & quidem multo magis, cauere oportet, ne qua re corrumpatur, aut deprauetur. Ea autem quæ ſpiritui proxime aduerſantur, vt ex Paulo diſcimus, hæc ſunt: Carnis laſciuientis contumacia, pecuniæ cupiditas, inanis gloriæ atque honoris ambitio. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: & animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; cum carnis uitium mentis cæcitatem, & animi ſoporem afferat. Ac proinde cęleſtis ſapientiæ cultores caſtimoniam ſanctiſſime coluiſſe legimus; vt ille, qui de ſe loquẽdo dixit, Bonum eſt illis (de innuptis & uiduis loquebatur) ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. *Gal. 5. Rom 8. 1. Cor 7.*

Quod ſi nemo mammonæ & Deo ſimul ſeruire poteſt, quomodo is Dei ſpiritum in ſe conſeruabit, qui omnium malorum radicẽ, habendi cupiditatem, ex ſuo animo radicitus non extirpauerit? Hinc eſt quod Concionatorũ antiſtes Paulus, huius uitij ſuſpicionem diligentiſſime deuitauit, vt ex uarijs eius ſermonibus colligere licet. Qui, etſi ex euãgelio uiuere potuiſſet; tamen, hac poteſtate non utebatur, ſed manibus ſibi uictum comparabat: ideo aliquando ſcripſit, Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione, nocte, & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus. Non quaſi non haberemus poteſtatem: ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Et cum aliquando eleemoſynæ comparandæ cura ei demandata fuiſſet, eam ſolus ſuſcipere noluit. Deuitantes, inquit, hoc, ne quis nos uituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur a nobis. Et cum Timotheo quantum malum ſit cupiditas dixiſſet, hęc ſubiecit, Tu homo Dei, hæc fuge, &c. Et hinc eſt, quod Chriſtus ſuis diſcipulis eos inſtruendo dicebat, Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: cum non bene opum affluentia cum verbo Dei conueniat. Et ſi difficile eſt diuitem in regnum cœlorum ingredi, quomodo opibus onuſtus, aut ad opes animo propenſus alios introducere poterit? aut, aliquid altum, magnificum, ac diuinum ſuſcipere, aut cogitare, qui ſuas omnes cogitationes in rem tam humilem, tamque contemptam abiecerit? *1 Cor. 9. Act. 20. 2. Theſ. 3. 2. Cor. 8. 1. Tim. 6.*

Quod vero ad inanis gloriæ fugam attinet, cum vanus rumor eas potiſſimum actiones conſequatur, quæ in hominum conſpectu verſantur, & oculis auribuſque percipiuntur, cauendum omnino eſt, ne quis auræ popularis ſe mancipium præbeat, & a vulgi applauſu atque acclamatione pendeat: cum nihil ſit; quod tam

facile concionandi officium deprauet atque peruertat, quam inanis gloriolæ grata aucupatio: quam gloriam qui quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, quærunt: & ea conſectantur, quæ ad multitudinem, vel iucunditate perfundendam, uel admiratione defigendam, vel quacunque alia ratione conciliandam & retinendam valent: & quod neceſſario ſequitur, doctrinæ bonitatem, animarum ſalutem, diuinique nominis gloriam negligunt. Non ſecus ac vanæ ſtultæque mulieres faciunt, quæ vt venuſtæ videantur, nullam ualetudinis, nullam bonæ æſtimationis rationem habent. Non ſic ille qui aiebat, Habeo gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum: Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri: Non noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtũ dominum noſtrum. Meminerint iſti, qui magis ſuam, quam Dei gloriam quærunt, exemplum horribile Herodis, Quem, cum ei ornatiſſime concionanti populus acclamaſſet, Dei voces, & nõ hominis, Angelus Domini percuſſit, quod non dediſſet honorem Deo: & cõſumptus a vermibus expirauit.

Rom. 15. *2. Cor. 1.* *2. Cor. 4.* *Act. 12.*

In ſumma, vt hunc locum concludamus, quæ optimus huius præſtantiſſimæ artis magiſter de ſpiritu nobis ſcripta reliquit, ea adſcribere placet. Quæ Dei ſunt, nemo cognouit niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis, quę & loquimur: non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrinæ ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparãtes: Ac ſi, his poſtremis verbis dixiſſet, apud homines Chriſtianos, qui vitam ſpiritualem profitentur, res ſpirituales, ſpiritualiter tractandas eſſe. Hæc itaque efficaciſſima erit concionandi ratio, ſi Concionator non modo res ſpirituales afferet, ſed etiam eas cum ſpiritu efferet; & cœleſtem doctrinam non humana ſed diuina quadam ratione, apta ad auditores ſpirituales efficiendos, tradet: &, vt Petrus ait, Si quis loquitur, tanquam ſermones Dei: ita vt in ſacra & cœleſti doctrina, nihil profanum, nihil cernatur terrenum: nihil impurum, nihil carnale ſpectetur: ſed omnia ſint puritatis & ſpiritus plena. Neque enim is qui audit inflammabitur, niſi ardens ſpiritu & caritate ad eum peruenerit oratio. Hanc concionatoriam vim cum diuus Lucas, de Apolline Alexandrino loquẽdo, explicare vellet, dixit, Feruens ſpiritu loquebatur.

1. Cor. 2. *1. Pet. 4.* *Act. 24.*

Vitæ integritatem & peccatorum correctionem ad mouendum vim habere. *Cap. XVII.*

QVAE de neceſſitate morum ad bonum Concionatorem conſtituendum libro primo ſcripſimus; quod in præſentia demonſtrandum ſuſcepimus, id plane demonſtrant: Sed ut rem magni momēti adhuc magis vrgeamus, de eadem re aliquid etiam hoc loco dicemus; vt quantum honeſtæ uitæ exemplum ad permouendos auditorum animos poſſit, ob oculos planius ponamus.

Cum ergo, vt ſupra docuimus, ſine cœleſti doctrina & ſpiritu animos permouere Concionator non queat, ad hanc doctrinā ſpiritumque diuinitus accipiendum, neceſſaria erit Dei amicitia, quæ omnem refugit culpam. Siquidem amicis res manifeſtantur ſecretæ; ac proinde Chriſtus diſcipulis ſuis dixit, Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dico uos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui a Patre meo, nota feci uobis. Et Dominus ad Abraham amicum ſuum, Nunquid celare potero Abraham quæ geſturus ſum? Idem Dominus loquebatur ad Moſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicū ſuū. Cum ergo deprauatæ uitæ ratio Dei amicitiam tollat, etiam doctrinæ diuinæ reuelationem impediet. Quare, malus Concionator peccatorum velamine impeditus, Dei faciem videre non poteſt. Ideo aliquando recte Gregorius inter malum & bonum prędicatorem hoc diſcrimen poſuit, quod ille corticem literæ tenet, hic medullam: ac proinde per religioſam uitam ad ſcripturæ intelligentiam tranſeundum eſt: ſine qua Concionatores non admittuntur ad conſortium Dei, & ad ſenſus ſcripturarum reconditos percipiendos; ſicuti nec beati ad clare Deum uidendum ſine lumine gloriæ. Concludere itaque cum Dionyſio licet, Diuina non capere, qui mandata Dei non ſeruat.

Ioan. 15. *Gen. 18.* *Exo. 33.* *2. Cor. 3.* *Lib. 4. Mor. c. 3.*

Sed hoc loco peteret quiſpiam, cur non ſat eſt bona doctrina cum recta intentione, quæ duo eſſe poſſunt in Concionatore in peccato exiſtente? Facilis eſt reſponſio, quia uirtutis notitia ad vſum redacta, & virtutis habitus vſu contractus, mentem illuſtrat, & ipſa experientia multa cognoſcuntur, quæ ſola cogitatione attingi non queunt; guſtumque ac ſenſum præbet: quo carent, qui virtute carent. Quare, ut longe melius de mellis natura diſputaret, qui ipſum aliquando guſtaſſet, quam is qui ſolum per do-

ctrinam eius naturam cognoſceret; ita longe melius de virtute dicet,eamque efficacius ſuadebit,qui vſu eam nouit,quam qui ſola doctrina tenet:& melius homo alias rudis,quod ad praxim attinet,de virtute diſputabit,quam vir eruditus virtutis expers.Multo igitur efficacior eſt experientia,quam eruditio:& virtutem guſtare,eſt quaſi eam videre. Ideo Propheta aiebat,Guſtate,& videte,hoc eſt,intelligite:Et primis parentib. ob pomi eſum aperti ſunt oculi:ex ipſo enim peccato cognoſcitur peccatum.Ideo peccatores,vt eſt apud Sapientem,in hęc verba prorumpunt,Ergo errauimus a via veritatis,& iuſtitiæ lumen,& quæ ibi ornatiſſime & ſplendidiſſime ſequuntur.In ſumma,quod voluntas abhorret,non poteſt intellectus non refugere. Et quod de bona doctrina diximus,idem de concionatorio ſpiritu dicas,quem ad perſuadendum neceſſarium eſſe,& ſine vitæ integritate haberi non poſſe docuimus.

Pſal.33. *Sap. 5.*

Deinde,ideo neceſſaria eſt inculpata vita, quia Concionator eſt veluti publicum ſpeculum,& quaſi myſtici corporis nerui,vnde omnes ſpirituales motus oriuntur.Ideo Paulus Titum his verbis inſtruebat,In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum,in doctrina,in integritate, in grauitate,verbum ſanum irreprehenſibile: vt is qui ex aduerſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Et cum Timotheo dixiſſet,Nemo adoleſcentiam tuam contemnat;qua ratione id aſſequi poſſet, his verbis expoſuit,Exemplum eſto fidelium in verbo,in conuerſatione, in caritate,in fide,in caſtitate.Et quod non ſolum Paulus bene alios docuerit, ſed etiam ipſe fecerit,ex his locis cognoſcere licet.Deo gratias,qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu:& odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus. Item, Abdicamus occulta dedecoris,hoc eſt etiam dedecora reijcimus;quæ quidem hominum quibuſcum verſamur oculos latent. Propterea aliquando Corinthios aperte rogat,vt ipſum imitentur,Imitatores mei eſtote, ſicuti & ego Chriſti.

Cap. 2. *1.Tim 4.* *2.Cor.2.* *2.Cor 4.* *1. Corin.11* *Philip.3.*

Prӕterea corrupta viuendi ratio,ipſam doctrinam corrumpit, & Euangelio nocet:dum quod verbo publice docetur, opere improbatur.Hoc Concionatorum genus his grauiſſimis verbis aliquando redarguit Paulus,Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negāt,cum ſint abominati,& incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.A quam puram ex diuinæ ſcripturæ fontib. hauriunt,quam poſtea pedibus conculcant,& ouibus turbatam & in lu-

Tit.1. *Eccl. 15.* *Ezech.34.*

in lutum conuerſam bibendam præbent. Ideo recte monebat Sapiens, Confirma verbum, & fidenter age cum illo. Et Chriſtus dominus, non prius ſe contulit ad prædicandum, quam teſtimonium a Patre in baptiſmo acceperit, Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui. Sciebat enim illud, Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: quia non eſt a Domino miſſus. Ita ergo Concionator viuat, vt cum Paulo dicere poſſit, Sic pugno non quaſi aeré verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Aerem igitur verberat, qui dum docet, male viuit; ni fortaſſe Deum doceat, quomodo ipſum caſtigare debeat: & cum caritatem non habeat, eſt nihil. O bellum atque egregium Concionatorem, qui nihil eſt. Poſtea, qui diuinum verbum impure viuendo tractat, exponit ſe periculo incidendi in hæreſes. Quoniam vitium, vitium, & peccatum peccatum trahit. Ideo Paulus Timotheum ad fidem & bonam conſcientiam habendam hortabatur, quā quidā repellētes circa fidem naufragauerunt. Neque id mirum videri debet, ſi verum eſt illud, Veritatem odium parere: quia cum diuinus cō dex, vt vetus & incorruptus amicus, quotidie mali Concionatoris vitia damnet, facile ſibi odium conflat. Lucem odit, qui lucem ſuſtinere non valet: canis in ſe proiectum lapidem mordet: & animal, in aculeum a quo pungitur, recalcitrat. Huc pertinet exēplum illud, quamuis non ſit eiuſdem generis, quod in Eccleſiaſticis hiſtorijs me aliquādo legiſſe memini, de quodam viro pio, qui cum omnia ſua bona in pauperes diſtribuiſſet, & ſolum ſibi ſacrum codicem reliquiſſet, cum in eo ſæpe legeret, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, tandem etiam ipſum pauperibus dedit.

Ecci. 29. *Mat. 3.* *Ecci. 15.* *1. Cor. 9.* *1. Cor. 13.* *1. Tim. 1.* *Teren.* *Mat 19.*

Ad hæc, ſuſcepti officij ratio bene viuendi neceſſitatem quādam imponit, ne ſuam artem corrumpere, & officium peruertere, & quiddam monſtruoſum efficere videatur. Quę enim maior poteſt eſſe deformitas, in omni arte, quam ſi artifex contra eam artem agat, quam docet? vt, ſi Orator inepte dicat, Iuriſperitus inique agat, Medicus medicinam non aptam ad ſanādum propinet, & deniq; ſi legiſlator latas leges frangat. Quid pōt fieri mōſtruoſius, quam ſi lupus ieiunium ſuadeat, Leo manſuetudinem, ſus mundiciem, & rapax miluius liberalitatem? Quid inquam turpius videri, quam ſi quis in publicum audacter ueniat, facie nigerrimus, oculis luſcus, collo intorto, aſpectu truculento, lingua prælonga, manibus breuibus, aut nullis, cum multa dicat, &

Greg. 2. par. paſt. c. 3.

parum, aut nihil faciat.

Omitto hic horrificas in malos Concionatores quæ in ſacra pagina leguntur comminationes. Sunt itaque mali Concionatores, oſſa arida ſine ſpiritu: ſepulchra foris dealbata, intus oſſibus plena: virgines ſtultæ cum lampadibus ſine oleo: ficus pampanis onerata, ſed fructibus ſpoliata: cymbala tinnientia, quæ inani ſono aerem replent: cæci qui cæcis ducatum præſtant: ſal ſine ſapore, dignus qui ab omnibus conculcetur. Hi ſunt qui dicunt & non faciunt, qui onera grauia alijs imponunt, & ipſi digito non attingunt: qui cęlum alijs claudunt, & ſibi viam patentem faciūt, vel potius, qui nec ipſi intrant, nec alios intrare ſinunt: qui culicem abijciunt, & camelum deglutiunt: qui omnia faciunt vt hominibus appareant, dilatant phylaterias, fimbrias oſtentant, primos accubitus ambiunt, ſalutationes expetunt, qui denique feſtucam in alieno oculo vident, trabem in ſuo non vident.

Omitto hic præclariſſimos titulos qui Concionatoribus a diuinis literis tribuuntur, quib. mali ſe indignos reddunt; quod Reges, gens ſancta, præceptores publici, eccleſiarum angeli, Cherubini, nubes, portæ Sion, & cœli nominentur: quibus melius eſſet, ſi nati non fuiſſent.

Quod ſi dicant, ſe non eſſe Angelos, non Chriſtos, non Deos; animaduertant quæſo, ſe Angelorum, Chriſti, & Dei vicem gerere: Quare, ſi Angel. ſi Chriſti, ſi Dei eſſe nolunt, horum officium non vſurpent: atq; illud diligenter cogitet, fore aliquando, ni quę dicunt fecerint, vt in die iudicij apud eos, & ab eis, quos ad bene agendum excitarunt, maxima cum ignominia damnentur: vbi Deus iuſtus iudex commutatis manibus, minori benedicet.

Gen. 4 8. Lib. 2. c. 41. 42. li. 4 c. 1. Cap. 12. 13 Lib. 23. Moral. c. 4. Li. 30. c. 21. Lib. 6. c. 25. Hom. 27. in Mat. 3. p. q. 41. art. 3, ad 1.

Hoc loco, ſi nimius in re manifeſta eſſe vellem, multas eaſque grauiſſimas ſanctorum Patrum afferrem ſententias, quas ex Auguſtino in libris de doctrina Chriſtiana, quos libros diurna atq; nocturna manu deberent Concionatores terere, ex diuo Ambroſio in lib. ſecundo de Officijs, ex Gregorio, & deniq; ex Chryſoſtomo, vt Dionyſium, diuum Thomam, & alios omittam, ſumerem. Et quamuis ex dictis plane intelligi liceat, quantum bonę vitæ exemplum ad mouendum ualeat; tamen, cum hoc præcipue in præſentia demonſtrandum ſuſceperim, id paullo accuratius demonſtrabo.

Quod igitur mores vim præcipuam ad permouendum habeant, ex eo primum planum eſt: quia qui verbo & exemplo docet, non ſolum viam digito a longe errāti oſtendit, ſed etiā, quaſi

manu

manu prehenſa, præit & ducit. Deinde, verba a bono Præcone prolata, ſunt veluti Dei verba, & magis Deo propinqua, ac proin de efficaciora; quaſi ex illis maior quædam vis ad ſanandum effluat: Etenim qui Deo per caritatem hæret, vnus ſpiritus efficitur cum eo. Prçterea, quia doctrina morum ex bono Concionatore, tanquam aqua ex proprio fonte, vehementius emanat. Bibe, inquit Sapiens, aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui: deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Bonus præco doctrinā in ſuccum ſanguinemq; ſuum cōuertit, librum nimirum illum quem Deus Ezechieli edēdum præbuit, & robuſtior ac neruoſior ad dicendum euadit: malus vero ſolum a longe odorat; & quia non nutritur, eſt viribus imbecillis: & veluti remiſſa baliſta, infirmas emittit ſagittas: & quamuis oſſa habeat, cum carne & neruis, qui ſunt motus organa, careat, nec ſe, nec alios mouet. Denique, Recuperator noſter aliquādo totam ſuæ doctrinæ vim ad ipſa opera reuocauit; cum illis, qui veritati quam docebat, nō acquieſcebant, dixit, Et ſi mihi non vultis credere, operibus credite: & bonus ille Patriarcha Iacob, magis manibus piloſis quas tetigerat, quam voci quæ audiuerat, fidem habuit. Sed de bonitate hactenus: nunc pauca de peccatorum correctione.

1.Cor.6.

Cap.5.

Ioan.10.

Id poſtremo aliqui ſcriptores ad animos permouendos cōferre docent, & ipſa experientia confirmat, ſi quis in peccatis corrigendis diligens & frequens fuerit. Nam, etſi correctio nō multū placere ſoleat: tamen, quia quiſque ſe ſuo proximo meliorem putat, publicam & vniuerſam correctionem, qua omnes æque redarguuntur, homines alias mali, non grauate audiunt; dum alijs, aliorum auditis erroribus, ſe minus erraſſe, & meliores eſſe arbitrantur; & dum aliorum errata damnari vident, ſuorum etiam facile recordantur, eaque agnoſcunt. Adde etiam, quod dum dicentis ſtudium de ſua ſalute peccator videt, non poteſt non libenter audire, ac etiam, non permoueri, ſuique erroris non pœnitere: & tunc, vt Publicanus ille euangelicus a longe ſtando, ſuum percutit pectus: nec amplius, vt Phariſæus faciebat, aliorum peccata notat: ſed cum Dauide dicit, Ego ſum qui peccaui. Atque hic ea adhibenda eſt prudentia, de qua ſupra ſcripſimus; quam Concionatorij officij quartam partem fecimus, vt ſeruetur in corrigendo modus; ne ſi immoderate corrigat, fiat odioſus, & quaſi vindex ac tyrannus. Nanque corrigere, non eſt ſui ſtomachi bilē fundere, ſed ex amore errantem in viam reuocare. Is autem moderate corriget, qui ſe peccatorē agnouerit: qua conſideratione Chriſtus

2.Reg.24. *Lib.1.*

ctus Iudæorum furorem in adulturam mitigauit, cum eis dixit, Qui ſine peccato eſt veſtrum primus in illam lapidem mittat, Et ideo duos ſuæ Eccleſiæ principes conſtituit, quorum alter eum negaverat, alter proſequutus fuerat, vt ipſi peccatorum ſciret miſereri. Ideo alter de correctionis forma agendo dixit, Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Et alio loco, Argue, obſecra, increpa in omni patientia: argue rationibus firmis, obſecra dulcibus verbis, reprehende acribus, ſed cum omni patientia. Hinc eſt quod in ſacris eloquijs, vbi acrior legitur increpatio, vbi maiores afferuntur comminationes, ſemper aliqua admiſcetur lenitas, & cum amaro pœnarũ medicamento, aliqua miſericordiæ adhibetur dulcedo: Non ſecus ac prudens medicus facere conſueuit, qui cum amara potione aliquid dulce guſtandum, & cũ menſura, pro perſonæ & temporis ratione, medicinam accommodatam præbet; in quo potiſſimum extare debet Concionatoris prudentia: cum alij, & alij, vt alias diximus, alio & alio ſint corrigendi modo: ſicuti non eadem ratione qui bonam harmoniam facere vult, omnes cytharæ cordas percutit.

Rom. 8. — Gal. 6. — 1. Tim. 4. — Gre. 2. past. — Iſa. 1.

Quod ſi hæc omnia, quæ ad permouendos auditorum animos conferre diximus, bonus Concionator adhibuerit, & tamen nihil ſe feciſſe viderit; non conficiatur mœrore, cum cor hominis non in hominis, ſed in Dei manu ſit: nec etiam Chriſtus ipſe, audientium uitio, ſemper omnes commouerit. Quare contingere poteſt, vt qui non omnia adhibuit, fructum ſuæ concionis referat, uero qui omnem in partem optime ſe geſſit, non item.

An Concionator delectare debeat, & quæ ad delectandum conferant: Cap. XVIII.

QVO artis dicendi officia, docere nimirum ac permouere, Oratori diuino præſtanda eſſe, nemo inficiatus eſt vnquam: de tertio vero, quod eſt delectare, non omnes cõſentire videtur: qua de re aliquid hoc loco mihi ſcribendum putaui; cum ſupra de docendi mouendique muneribus late ſcripſerim. Primum itaque oſtẽdam quatenus Concionatori delectare liceat: deinde, quę ad delectandum conferant breuiter indicabo.

Quod igitur ad primum attinet, aliqui delectãdi munus Oratori

tori

tori diuino negant,& a diuina Rhetorica penitus reijciunt, &
delectationis nomen exhorreſcunt: Alij vero ex profeſſo delecta
tionem,etiam data opera,adhibendam eſſe defendunt;& quę cō
tra dici poſſunt & dicuntur,ea refellunt: Alii denique admitten
dam eſſe volunt, pro ut, duo priora munera cum ratione adhibi-
ta, neceſſario ſequitur; &, vt ad animos retinendos, & leui-
ter tractandos confert. Nos de hoc munere ita ſtatuendum cen-
ſemus.

Primum itaque dicimus,ſi quis ita delectationem a Conciona
tore quærendam eſſe exiſtimaret, vt olim a Sophiſtis quæreba-
tur,in hac una re præcipuam curam ponendo,ut compta atque
uenuſta,& ad ſolas aures leniendas apta fieret oratio, ut etiam
hoc tempore a quibuſdam dicendo & ſcribendo inepte,ne dicam
parum pie,& contra omnem artem fieri ſolet, is ſane ineptiret,
& longe a uera concionandi ratione abeſſet.Hoc enim eſſet euā
gelizare in ſapientia uerbi, in perſuaſibilibus & doctis humanæ
ſapientiæ uerbis,in ſublimitate ſermonis, quod Paulus damnat;
non in ſpiritu & uirtute,quod idem probat. Vnde prudenter Ci *In orat.*
cero ſe eum oratorem eſſe aiebat,qui nō ex Rhetorum officinis, *Lib.3. orat*
ſed ex Academiæ ſpatijs extitiſſet:atque Iſocratem minus proba-
bat,quod ad inanem ſermonis elegantiam ſe tranſtuliſſet: ut illi
faciunt,quorum magis ex uerborum nitore, quam ex rerum co-
gnitione effloreſcit oratio,& ad ſolā uoluptatē dicūt: qui potius
placere,quam mouere,& lenire, quam trahere uolunt; dum po-
tius flores,quam fructus,& fucum,quam natiuum colorem,&
inanem loquelam,quam eloquentiam quærunt: quo dicendi ge-
nere eneruant, delumbantque orationem: quos merito Cicero
ab oratorum numero ablegauit.

Deinde, neque probamus eos qui ita delectationem fugiunt,
vt nelint potius ieiune,ſicce,& ſpinoſe,atque ruſtice dicere,quā
cum quadam copia,elegantia,& aptitudine, unde neceſſario de-
lectatio ſequitur.Nam,ut alibi apertiſſime demonſtrauimus,& *Lib.1.c.2.3*
veteres,& noui diuinæ legis ſcriptores & Concionatores, non
obſcure,non perturbate,non incompte,dixerunt, ſed aptiſſime
ad docendum,mouendum,& quod ſequitur, ad auditorem reti-
nendum. Et,cum genus doctrinæ bonaque dicendi ratio ſecum
delectationem afferat, profecto docendo delectabant.Ego,ut ue-
rum fatear,cum diuinos ſcriptores lego, ob genus dicendi & ele
gantiam,aptumque ornatum,tantam delectationem capio,quan
tam in ullo alio ſcriptore nunquam: quam qui non percipit, is,

quid

quid ſit ornate & apte dicere, prorſus ignorat. Quare, licet, dum ſcriberent, non haberent ſolā delectationem propoſitam: tamen, aptiſſime docendo, & efficaciter mouendo, non poterant nō delectare; cum hoc, illa, vt Auguſtinus ſapienter docet, neceſſario ſequatur; ſicuti ad ſolis præſentiam lucis effuſio, qua hominum oculi oblectantur. Cum itaque apta oratio auribus, & congrua actio oculis percipiatur, hi ſenſus non poſſunt non delectari; cum ſint rationi maxime propinqui, vel cum ratione coniuncti. Et hinc eſt quod alicuius ſubtilitatis & induſtriæ artes, ut pictura, ſculptura, muſica, & harum ſimiles, oculos & aures oblectāt; & voluptate, velimus, nolimus nos explent: quam uoluptatem in omnibus operibus naturam quæſiuiſſe nemo eſt qui non videat.

Cic.l.3.ora. Cum ergo Concionatori non ineleganter ſit dicendum, neque inurbane agendum ac pronuntiandum, delectatio non erit fugiēda; ni, vt eam fugias, inepte tibi dicendum eſſe exiſtimaueris: ſicuti nec ſtudioſe eſt quærenda. Vt ergo natura noſtris operationibus voluptatem quaſi eſcam adiecit, vt ad eas exercendas nos alliceret; ita prudens Concionator aliquid delectationis dicendo aſſumet, vt auditores & doceat & moueat facilius.

Satisfaciat, per me ei liceat, oculis & auribus, ſenſibus omniū delicatiſſimis & faſtidioſiſſimis; ita tamen, vt modum rationemque retineat: & ſi in alteram partem peccandum eſt; illud potius cauendum, Ne quid nimis. Quod quidem valet in omni parte dicendi: in delectu verborum, ne ſit putidus; in ſententijs, ne calamiſtratus; in voce, ne effuſus; in geſtu, ne ſcenicus; in rerum pertractatione, ne minute diligens, in laudando, ne ſuperlatus; in reprehendendo, ne acerbus; in hominum uitijs deſcribendis, ne immoderatus. Quoniam igitur diuini verbi miniſter nō ad bruta animalia, quæ eorum quæ oculis & auribus percipiuntur conuenientiam non ſentiunt, ſed ad homines ratione præditos, qua omnium rerum congruentia & venuſtas cernitur, orationem habet, prudenter grauiterque delectabit.

Quod vero ad id quod ſecundo loco explicandum propoſuimus attinet, breuiter indicabo indicabo nonnulla ad delectandum conferunt. Primum, facile Concionator delectabit, ſi doctrinam facilem, perſpicuam, ad popularem ſenſum accommodatam, & vtilem afferet: cum non poſſit non delectari is, qui intelligenter audit: ſiquidem, quidquid diſcitur, ut nouum, maxime delectat. Ad perſpicue dicendum, quæ eſt prima, maxima, & vbique retinenda orationis virtus, valent verba quotidiana, non recondita,

dita, apte quidem, ſed non ſtudioſe compoſita, vſitatæ in communi ſermone metaphoræ, ſimilia, atque exempla: & præſertim illa, quæ ab ijs rebus ſumuntur, quibus, qui audiunt delectantur, & quas norunt. Vt ſi quis apud mercatores diceret, & ab hac arte mutuaretur ſimilia: ſi apud ruſticos, a re ruſtica, & ſic de alijs. Et quoniam nullum eſt ſcripturæ genus in quo plures & aptiores ſimilitudines reperiuntur, quam diuinum, illud ſtudioſo Concionatori conſilium darem, vt legendis diuinis, diuinas colligeret metaphoras, & ſimilia; quorum multa non inerudite, quidam auctor nuper expoſuit: Neque deſunt ſimilium collectorum integri libri. Si quis autem ſacras ſimilitudines legere vellet, eas ad cōmunes locos poſſet reuocare: Vt, ad vitæ humanæ breuitatem, ad alicuius rei euerſionem & vaſtitatē, ad hominis ſtatum & conditionem, ad ſtatus amiſſi inſtaurationem, ad deſiderium, ad mœrorem, iram, & ad id genus alia. In quibus afferendis veteris teſtamenti ſcriptores frequentiores fuere, præſertim Iobus, Dauid, Salomon, & Prophetæ. Lemn.

Deinde, is delectabit, qui non incompte, ſed eleganter, & pro rerum, & temporum, perſonarumque conditione dicet: quod, is ſine culpa, & ſine affectatæ orationis ſuſpicione faciet, qui prius artem docendi cognouerit, & in vmbra ad uſum diligēter redegerit. Nam eam utilitatem, præter alias, uſus affert, ut nō tam ex arte, quam ex natura dicamus: ex qua qui dicit, fucati artificij nullam ſpeciem præbet. Adhibeatur igitur in priuatis & domeſticis exercitationibus aliquid ad elegāter dicēdum ſtudij, vt quandam quaſi natiuam dignitatem, cum in publicum venerit, noſtra habeat oratio: talem nimirum, qualem diuinas cōciones legendo obſeruare quiſque poterit.

Denique, ne plura hac de re pręcipiam, pronunciatio rebus perſoniſque accommodata, ſuauis, & affecti animi index, delectat, & actio motuſque corporis, non incompoſitus, ſed grauis, & virilis; cum, ut ſupra diximus, per duos ſenſus maxime capiantur homines; qui potius quæ ſub ſenſum, quam quæ ſub intelligentiam cadunt, percipiunt. Quibus ſenſus ſi Concionator, aliqua parte, inſeruiet, vt auditores detinendo, facilius docere ac permouere poſſit, nihil peccabit. In ſumma, ſi diuinus Præco dicendi genus ſimplex, proprium, perſpicuum, actuoſum tamen, & uiuum, apte ad docendum, quod eſt neceſſarium, ad delectandum, quod eſt honorarium, & ad monendum, quod eſt uictoriæ

aſſu-

aſſumet;ſine dubio intelligenter,delectabiliter,& efficaciter dicet,& ſatis ſuo officio, mea quidem ſententia,faciet. Et quoniam hactenus duas priores eloquentiæ partes,inuentionem nimirum & diſpoſitionem, ac etiam ſimul tria Concionatoris munera expoſuimus, ad tertiæ partis explicationem ſtylum conuertamus.

Libri quarti finis.

DE RHE-

DE RHETORICA DIVINA

Liber Quinctus:

IN QVO DE ELOQVVTIONE, & decoro, aptóve dicendi genere agitur.

Quid & quotuplex ſit Eloquutio, & quæ eius partes.

CAPVT PRIMVM.

QVI de Rhetorica humana præcepta tradũt, in vna Elequutione explicanda plurimum ſtudij collocare, deque ea copioſius, diligentiuſq; ſcribere conſueuere. Atque idem nobis de Eloquutione diuina acturis faciendum eſſet, faceremuſque, ni aliquæ eſſent rationes, quæ nos commonerent, vt breuius, & rudius, de hac parte præciperemus.

Primum quidem, quoniam quæ iam quattuor libris de Eloquutione oratoria docuimus, magna parte, ad elequutionem diuinam accommodari poſſunt. Quare, ne omnia quæ ibi ſcripſimus, ſine neceſſitate repetamus; hic breuiores erimus, & Lectorem ad citatos libros ſæpe remittemus. Deinde, quoniam Chriſtianus Orator, vt plurimum materno vtitur ſermone: ac proinde nihil eſt, vt multa de eloquutione dicamus, vt ij faciunt qui Oratorem inſtituunt Latinum. Denique, quoniam noſtro Oratori ſine culpa licet eſſe minus ornato: cum magis ſobrius, & pudicus in medium venire debeat. Dicam itaque primũ

aliquid

aliquid de eloquutione vniuerſe: poſtea ſingulas eius partes perſequar.

Quod igitur ad primum attinet, cum Concionatoris finis ſit, docendo, delectando, ac mouendo id de quo dicitur perſuadere, idque efficere nequeat, niſi oratione varia, varijſque virtutibus ornata vtatur: ideo in arte dicendi opus fuit quadam parte, quæ in poliendo & coloranda oratione eſſet occupata; quam eloquutionem nominarunt.

Eſt autem Eloquutio nihil aliud, quam exornandæ orationis ratio: vel hoc modo, Eloquutio eſt facultas, qua verbis ſelectis, boniſque ſententijs aliqua ſubiecta res, ornate, concinne, copioſeque explicatur: Vel, vt alijs placet, Eſt idoneorum verborum & ſententiarum ad res de quibus dicimus accommodatio, quę efficit vt latine, vt plane, & dilucide, vt ornate, & vt apte dicamus. Ex quibus deſcriptionibus colligere licet, quæ ſint eloquutionis partes, & quæ virtutes.

Omnis ergo Eloquutio, vel in ſingulis verbis, vel in coniunctis, vel in tota oratione ſpectatur. Singulorum, alia ſunt propria, alia tranſlata, in quibus quidam apparet ornatus. Qui duplex eſt, alter ſimplex ſingulorum verborum: alter compoſitus, qui non niſi in pluribus verbis cernitur: & hic, vel eſt in verbis tantum, vel in ſententia. In coniunctis itaque verbis duplex erit ornatus, quorum primus verborum, alter ſententiarum dicitur. In tota oratione ſpectatur verborum & ſententiarum conſequutio, vnde cōcinnitas, & numerus exoritur, ac etiam forma, character, genuſve dicendi, & quædam orationis virtutes.

Dicendi genera ſunt tria, ad tria Oratoris officia præſtanda accommodata, tenue, ſiue ſummiſſum, quo docemus: temperatū, quo delectamus: & ſublime, quo mouemus: quib. aliqui addunt aptum dicendi genus; quod tamen nihil aliud eſſe videtur, quam bonus rectuſque trium generum vſus.

Virtutes vero numerantur quattuor, Latinitas, perſpicuitas, ornatus, & aptitudo, ſiue decorum. Atque ex his colligere licet, quæ nobis in hoc de eloquutione libro explicanda ſint.

Primum, agemus de duplici eloquutionis parte vniuerſe, quarū altera in verbis altera in rebus cernit᷑: deinde de eloquutionis virtutibus: poſtea de verbis ſingulis, tum proprijs tum tranſlatis: ad hæc, de ornatu verborum coniunctorum & ſententiarum: præterea, de orationis concinnitate, numero, & aptitudine, ſiue decoro.

Cum

Cum itaque Eloquutio vt dicebamus, ſit aptus orationis ornatus,qui partim in verbis, partim in rebus ſententijſve ſpectatur, vt non vno in loco optimus dicendi artifex docuit M. Tullius,bono Concionatori pluris faciendus eſt ſententiarum,quam verborum cultus:tum quia hic ex illo naſcitur;tum etiam quod maiorem vim ad perſuadendum habet. Quid enim eſt tam furioſum, quam verborum,vel optimorum , atque ornatiſſimorum ſonitus inanis,nulla ſubiecta ſententia atque ſcientia? Quare,ſi alterum optandum ſit,malim equidem indiſertam prudentiam,quã ſtultitiam loquacem. Ex rerum itaque cognitione efflorefcat & redundet oratio:quæ niſi ſubeſt res ab Oratore percepta & cognita,inanem quandam habet cognitionem & pene puerilem. Sit igitur bonus Concionator magis diligens in rerum,quam in verborum ornatu perquirendo; cum facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta ſine duce,natura ipſa, ſi modo eſt exercitata,labatur. Ideo prudenter Horatius ſcripſit;

Cic. in 1. orat.

Lib. 1. orat.

Cic. lib. 3. orat.

In Poet.

Scribendi recte, ſapere, eſt & principium & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ:
Verbaque prouiſam rem non inuita ſequentur.

Videant igitur quantum a vera & ſolida eloqnentia diſtent , qui ſolum floſculos quoſdam vulgaris ſermonis dicendo conſectantur:qui ſola verborum profluentia delectantur:quos non eloquẽtes,ſed loquaces,non Concionatores , ſed clamatores & rabulas nõ male appellares. Sed fortaſſe Deus in auditorum pœnam has ranas in medium proſilire permittit. Amplectantur hi optimum Fabij hunc in modum ſcribentis conſilium, Curam ergo verborum,rerum volo eſſe ſolicitudinem: nam plerunq; optima rebus cohærent,& cernuntur ſuo lumine. Et infra, Maiore animo aggredienda eloquentia eſt:quæ,ſi toto corpore valet,vngues polire,& capillum reponere non exiſtimabit ad curam ſuam pertinere. Item,cum enim latina verba ſignificantia,cum apte ſint collocata,quid amplius laboramus? Sit igitur cura eloquutionis quã maxima,dum ſciamus nihil verborum cauſſa eſſe faciendũ,cum verba ipſa rerum gratia ſint reperta:quorum ea ſunt maxime probabilia,quæ ſenſum animi noſtri optime promunt, atque in animis auditorum quod volumus,efficiunt. Sed iam de eloquutionis virtutibus aliquid dicamus.

Exod. 8.

De Eloquutionis virtutibus. *Cap. 11.*

ELOQVVTIONI quattuor præcipuas virtutes dicendi artifices tribuere ſolent, Latinitatem, perſpicuitatem, ornatum, atque conuenientiam, ſiue aptitudinem, quam Græci dinoteta vocant.

Latinitatis nomine intelligunt orationem emẽdatam, congruam, nullo barbariſmi, hoc eſt vocis peregrinæ, aut corruptæ vitio, aut ſolæciſmi, hoc eſt coniuncti ſermonis corruptela deprauatam. Caſtus enim debet eſſe ſermo, non externis aut vitiatis verbis infectus, malaque compoſitione deprauatus. Concionator ergo qui materno ſermone vtitur, corruptam eloquutionem vitet, & emendata, quantum ſat eſt, vtatur. Satis autẽ erit emendata, ſi ita loquetur, vt eius ſermo non omnino diſpliceat: ſi nec verba, nec phraſim a populari conſuetudine habebit alienam. Quare nũquam probarem eos, qui vt in materno ſermone excellant, plurimum operæ collocant, & minuras quaſdam vocularum & ſyllabarum regulas ſibi omnino tenendas putant.

Cic. Cum in dicendo ſit vitium vel maximum a vulgari genere orationis, atque a conſuetudine communi abhorrere. Et, vt Fabius

Fab. ait, Miſer, & vt ſic dicam, pauper orator eſt, qui nullum verbum æquo animo perdere poteſt. Caueat igitur prudens Cõcionator, ne dum nimiam latinitatem, hoc eſt materni & patrij ſermonis elegantiam quærit, miſer & pauper, ac etiam ridiculus euadat: vt quidam faciunt, qui quandam inutilem & minus neceſſariam ſermonis emendationem ſtudioſe ſectantur; ac proinde obſcuriores fiunt, & præcipuam orationis uirtutem funditus euertunt. Malo, inquit Auguſtinus, vt me reprehendant Grammatici, quã non intelligant populi, eligens magis barbariſmis, damnantibus Grammaticis, intelligi, quam in mera diſſeritudine auditores deſerere. Det itaque operam aliquam is qui ad populum dicit, vt in ea in qua natus eſt lingua emendate loquatur: moleſtas quaſdam voces mutet, & phraſes corrigat: ſed tamen nunquam ſuæ linguę ita ſit inimicus, vt alia quadam lingua loquatur: quo uitio ij laborant, qui omnino hetruſce loqui volunt. Neque ij hanc virtutem dicendo retinent, qui dum diuina oracula tractant, & uulgari ſermone exponunt, voces latinas, græcas, & hebraicas intermiſcent. Sed de prima virtute hactenus.

Perſpicuitas efficit ut oratio facile percipiatur: quæ tum in uerbis ſingulis, tum in coniunctis, & in toto orationis complexu

ſpectatur. Hanc uirtutem retinebit, ſi de ea loquamur quæ in uerbis ſimplicibus cōſiſtit, qui uerbis utetur proprijs, uſitatis, ſignificantibus: ſi de ea quæ in coniunctis, ſi rectam adhibebit eorum conſtructionem: ſi omnem remouebit ambiguitatem: ſi non nimis in longum protrahet ſermonem: ſi longis non utetur interpoſitionibus: ſi denique ita dicet, ut in eius loquutione nihil redūdet, aut deficiat: quod non faciunt, qui fucata quadam eloquutionis ſpecie decepti, omnia circumloquuntur, & in omnibus copioſa loquacitate utūtur, & ultra quam par eſt orationem extendūt; aut contra, nimia breuitate omnia decurtant, delumbantque ſententias, & tenebris inuoluunt. De ea uero quæ in rebus cernitur perſpicuitate, alibi diximus, cum de narratione egimus.

Quo loco illud in memoriam reuocauerim, quod alibi non ſemel monui, vt Concionator ab ijs rebus tractandis abſtineat, quę neque in ipſis ſcholis clare & perſpicue dici poſſunt. Sunt quędā, inquit Auguſtinus, quæ ſua vi non intelliguntur, aut vix intelliguntur, quantumuis dicētis verſentur eloquio: quæ in populi audientiam, vel raro, ſi aliquid vrget, uel nunquam omnino mittenda ſunt. Sed quid vrget, vt apud rudem & indoctam multitudinē de prædeſtinatione, de præſcientia, de Trinitate, de Euchariſtiæ arcanis, & de alijs ſimilibus dicatur? niſi fortaſſe ſui ingenij & doctrinæ, aut potius ſtultitiæ oſtentatio? Perſpicuitatem itaque præcipuam orationis & docentis virtutem bonus Eccleſiaſtes amet, quam mirum in modum in ſuis concionibus ad populum retinuit Chriſtus Concionator optimus. De qua virtute Auguſtinū hunc in modum loquentem audiamus, Quid enim prodeſt loquutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis? cum loquendi omnino nulla ſit cauſſa, ſi quod loquimur non intelligunt propter quos vt intelligant loquimur. Qui ergo docet, vitabit omnia verba quæ non docēt. Et ſi pro eis alia integra quæ intelligantur poteſt dicere, id magis eligat: ſi autem non poteſt, ſiue quia non ſunt, ſiue quia in præſentia non occurrunt, utetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipſa doceatur, atque diſcatur integre. Item, Bonorumque ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? Aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quādo nihil quærimus, niſi patere quod clauſum eſt? Meminerit ergo prudens Concionator illius prouerbij græci, Quantumuis rudius dicito, modo clarius. Sed quoniam, vt idem Auguſtinus ait, inter ſe habent nonnullam ſimilitudinem

Lib 4. de doctr. Chr. c. 9

Eod li. c. 10.

Iac. Peres. c. 19.

Cap. 11.

dinem veſcentes atque diſcentes, propter faſtidia plurimorum etiam ipſa, ſine quibus viui non poteſt, alimenta condienda ſunt.

Sequitur ornatus, qui in eo conſiſtit, vt oratio ſit compta, perpolita, verborum & ſententiarum luminibus illuſtrata; ita vt a cõmuni & trita loquendi ratione nonnihil ſit diuerſa, adhibito tamen, vt Ariſtoteles ait, modo. Remouendus itaque eſt omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum, ne calamiſtri quidem adhibebuntur. Fucati vero medicamenta candoris & ruboris omnia repellantur. Qui ergo nimium ſectantur ornatum, delectant quidem, ſed delectando ſatietate explent: omnibus enim in rebus, voluptatibus maximis, faſtidiũ finitimum eſt. Quare, quaſi vmbris & receſſibus, certis in locis contrahendus erit ornatus, quo magis id, quod erit illuminatum extare atque eminere videatur. Sit itaque, vt Fabius ait, hic ornatus, virilis, fortis, & ſanctus, nec effœminatam leuitatem, nec fuco eminentem colorem amet, ſanguine & viribus niteat: ſit non leuis, ſed grauis: non redundans, ſed moderatus: non extrinſecus adſcitus, ſed innatus: non nimio ſtudio quæſitus, ſed quaſi ſua ſponte veniat uocatus: ita ut oratio nõ veniat in publicum quaſi impudica fœmina calamiſtris inuſta, & fuco immodice picta, ſed tãquã caſta virgo natiuo colore & virginali venuſtate ornata: vt non cognoſcat artẽ qui audit, quæ tunc eſſe deſinit, quando apparet, ut præclare ait Fabius.

Cic. in orat.

Poſtrema eloquutionis virtus, eſt apte dicere; hoc eſt ita orationem inſtituere, vt & dicenti, & audienti, & rebus ipſis ſit quam maxime accõmodata: de qua virtute, cũ priuatim inferius ſcripturi ſimus, nihil aliud in præſentia dicemus.

Eloquutio itaque, vt hoc caput concludamus, tota in ornanda oratione verſatur: ornatus autem omnis partim in verbis proprijs, partim in tranſlatis, partim in ſchematum conformatione, partim in verborum conſequutione aptaque ſtructura, & numero, partim denique in characteribus formiſque dicendi, quibus de rebus deinceps ſcripturi ſimus, conſiſtit.

De varijs verborum generibus ad ornandam orationem cognitu neceſſarijs. *Cap. III.*

ELOQVENDI vim verborum ſelectionem requirere, prudens negaret nemo. Vt autem ſeligi poſſint, ad quædam genera reuocanda ſunt; vt his generibus cognitis, quæ reijcienda, quæ probanda, & quando & vbi adhibenda ſint, intelligere liceat.

Simplicium itaque verborum, alia ſunt propria & quaſi cum rebus ipſis nata; alia tranſlata, hoc eſt, ex propria ſede in alienum locum ducta. Propriorum, alia ſunt ab oratione penitus reijcienda, alia ſine errore adhiberi poſſunt; quorum variæ ſunt formæ, vt inferius dicetur. Reijcienda ſunt turpia, obſcœna, & priſca ſiue inuſitata, & nouata. Turpia dicuntur, quæ rem veneream, & quæ ad eam ſpectant ſignificant; quæ omnino a concione eliminanda ſunt. Quod ſi quid tale neceſſario exprimendum eſſet, id verborum circumloquutione & aliqua loquendi forma, ut diuinæ faciunt literæ, fieri deberet. Ad turpia cum honeſtate dicenda hę figuratæ loquutiones inſeruiunt, Metaphora, allegoria, catachreſis, periphraſis, & apoſiopeſis, ſiue eclipſis. Sordida, quæ & immunda dicuntur, ſunt ea quibus res fœdæ, vt corporis excrementa nominantur. *Lib. 1. de eloq. diſp. 3.* E ſordidis, alia alijs minus aures offendũt, & apud quaſdam nationes quædam ſordent, & non apud alias: idem diceres de turpibus: immo in quibuſdam rebus exponẽdis, ſi quis ſordidis utatur, orationem non fœdabit. Res ſordidas iiſdem modis honeſte efferri poterunt, quibus res turpes, ut paullo ante diximus. Inuſitata ſiue obſoleta verba ea dicuntur, quæ olim erant in vſu, quorum nunc, quia in diſſuetudinem abierunt, nullus eſt vſus; quibus ſi quis vteretur, obſcuram redderet orationem. Huc reuocares ea, quæ licet in vna regione ſint vſitata; tamen alio in loco nullum habent vſum, ac proinde pro obſcuris habentur. Quare, nullo modo probandi ſunt, qui vt videantur hetruſce loqui, quibuſdam vocibus recõditis & alijs populis omnino incognitis vtuntur. Et ſane, ſi quis prorſus hetruſce apud Apulos, vel Calabros, vel Pedemontanos loquatur, ab imperita multitudine, bona parte, non intelligetur. Caueant igitur iſti, ne dum linguis loquuntur, ſine fructu loquantur. *1. Cor. 14.* Etenim, vt Paulus ait, ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? Ita & vos per linguã, niſi manifeſtum ſermonem dederitis; quomodo ſcietur id, quod dicitur? eritis.n. in aera loquentes. Atque idẽ diceres de quibuſ-

Lege diſp. 4. li. 1. de eloc. dam verbis nouis,ſiue nouatis,quæ quotidie ab ijs qui vulgarem linguam limare contendunt,introducuntur:a quibus etiam abſtinendum erit,ne orationem obſcuram reddant, & affectatæ eloquutionis ſuſpicionem gignant.Idem etiam affirmares,de duris, hoc eſt,de parũ apte tranſlatis,raris,& peregrinis;vt ſunt latina,ſi quis Italice loquatur,græca,& hebraica,vel ab alijs populis accepta;quibus interdum vulgares poetæ vtuntur. Diſp. 5. eod. lib.

Atqui iam de illis dicamus,quæ ſine errore,ſed non ſine delectu ſuis locis adhiberi in oratione poſſunt: vt ſunt propria,nullo vitio notata,ſublimia,grauia,ſonantia,grandia,volubilia, aſpera,integra,& his contraria.

Propria verba ſunt certa quaſi vocabula rerum, cum rebus ipſis pene nata:certa dicuntur,quia ad certam rem deſignandam inſtituta ſunt:nata cum rebus,quod ad eas ſignificandas ſint omnino accommodata,& longo iam vſu recepta: quibus abundare debet,qui perſpicue,qui dilucide, qui vſitate loqui voluerit; ne pluribus verbis dicere cogatur, quod vno paucisve poteſt,& ne communibus vtatur,cum proprijs utendum eſt: nec tamen ita proprietas eſt amanda,vt tranſlatis uti non liceat, maxime ſi deſint propria,vel hæc minus ſignificent. Diſp. 6. eod. lib.

Sublimia ea dicuntur,quæ dignitate & amplitudine ſplendeſcunt,quæ res ſublimes deſignant;vt nomina diuina,rerum ſacrarum,virorum illuſtrium,gentium,regnorum,montium, urbium, fluuiorum,de inſignibus loquor, & denique omnia quæ aliquid re,aut opinione præclarum deſignant, a nobis alibi fuſius enumerata.His contraria ſunt humilia,quæ nullam habent dignitatis auctoritatem , quæ res humiles,& ad infimam conditionem redactas perſonas ſignificant.Sunt etiam quædam inter ſublimia & humilia interiecta: quibus omnibus ſuis locis utendum erit. Res ſublimes uerbis ſublimibus , tenues & humiles humilibus exponendæ ſunt.

Grauia ea dicuntur,quæ ſignificatione robuſtiora & uehementiora ſunt;ita ut Graue,acre,urgens,inſtans, & pondere accumulatum ſignificet;ut parricidium,ſcelus,cruci affigere,& id genus alia.Grauior eſt,caritas,quàm amor:procella, quam uentus:deuorare,quam comedere.In epithetis quædam cernitur grauitas,ut Chriſtus recuperator, Virgo uirginum, Paulus Apoſtolus:& in tranſlatis;ut,euolare,pro abire:incendere,pro excitare. Vtimur uerbis grauibus cum amplificamus & augemus: quandoquidem grauia uerba Emphaſim quandam habent. Atque ex his patet,

quæ

quæ ſint uerba lenia grauibus contraria;ea nimirum, quæ minimum neruorum habent. *Lege diſp. cit.*

Sonantia ſiue ſonantiora uerba dicuntur ea,quæ pulchrū quẽdam auribus concentum exhibent; ut ecce, magis ſonat Monarcha,quam princeps,& moderator,quam rector: his cōtraria ſunt uerba exilia,quæ in re tenui & gracili locum habent,ut illa in rebus magnis & amplis. *Diſp. 7. li. c*

Tarda ſunt uerba procera,polyſyllaba,& quæ conſtant ſyllabis longis;ut,durate,conuertemus : quibus contraria ſunt uerba uolubilia;ut ſunt curta,& quæ ſyllabis breuibus conſtant; ut,legere,refugit.

Aſpera ſunt ea in quibus plures & aſperiores conſonantes reperiuntur:ut,aſperrima,exhorreſcere : quibus contraria ſunt ſuauia,ut illa quæ uocalibus ſine aſpero concurſu abundant,& molle quiddam habent;ut eximius,nitidus,lepidus.

Denique,integra ſunt ea,quibus nihil demitur:quibus contraria ſunt uerba decurtata ; ut uincla , amaſſe , & id genus alia. Quibus omnibus ſuis locis ad ornate & apte dicendum utendum erit.

Sed de proprijs hactenus:de quibus qui plura cognoſcere cupit, noſtros legat de Oratoria eloquutione libros. Horum autem uerborum quæ explicui exempla ex materno ſermone afferre potuiſſem,quod non feci, cum ea cuiq; poſſint eſſe in promptu: ut omittam,quod diuinus Concionator hac in parte eam curam ponere non debet,quā Latinus & ciuilis orator poneret. Ad uerba igitur tranſlata & figurata explicanda, & ad orationis ſchemata exponenda tranſitum faciamus: in quorum tractatione præcipue eloquutionis conſiſtit doctrina.

Quam ſit utilis & neceſſaria figurarum notitia. Cap. IIII.

QVONIAM rhetoricę pars quæ in figurarum & ſchematum expoſitione uerſatur, non modo ad ſacras conciones expoliendas,ſed etiam ad diuinos libros recte interpretandos, ut præter alios docuit Auguſtinus, mirum in modum confert; propterea,ob eius maximam utilitatem neceſſitatemq;,fuſius ac diligentius pertractanda eſt.

Ex figurarum itaque notitia utilitatem maximam cum uoluptate non parua haurire licet. Nam quod ad utilitatem attinet,

cum diuina oracula ſint omnium figurarum genere refertiſſima, nemo eorum ſenſus in locis pene infinitis poterit plane percipere, qui figurarum numerum, naturam, ac uim, non habebit perſpectam. Quippe, ſi quis neſciat, quid Metaphora, quid Allegoria, quid Hyperbole, quid Ironia, quid Metonymia, quid denique aliæ omnes figuræ ualeant, & quid in oratione efficiant, quonam modo eas intelliget ſententias, quæ his ſchematibus fuerint conformatæ? immo, nec unius quidem uocis uim percipiet, ut in ſubiecto patet exemplo: Anima, aliquando per ſynedochen totũ hominem, aliquando per Metonymiam, uitam; aliquando per Antonomaſiam præcipuam hominis partem ſignificat. Qui figuras ignorant, in legendo errant, in interpretando peccant, & quæ dicunt ruditer & inornate dicunt, & in ſumma in graues errores labuntur. Cum itaque totus & ubique diuinus ſermo ſit figuratus, profecto ad eum interpretandum is non erit idoneus, qui eſt figurarum ignarus. Sed quid in re manifeſtiſſima probanda pluribus eſt opus?

Quod uero ad voluptatem attinet, maxima ſane voluptate perfunderetur is, qui diuina legés, frequentiſſima, tum verborum tũ ſententiarum lumina clare intueretur; quæ quaſi ſtellæ quædam ubique ſplendent. Legebam olim ſine vlla fere delectatione diuinas literas, & ſpeciatim Pſalmos, quæ ſane lectio ſemper multum me recreauit: verum, ubi ornamenta & colores animaduertere cœpi, tanta ſuauitate & admiratione afficior, vt interdum geſtiã, interdum ſtupore defixus hæream. Et ut quod ſentio planius explicem, fingamus eſſe duos, quorum alter acute videat, alter uero ſit cœcus, aut certe ita oculis affectus, vt vix quæ ſunt ante pedes cernat: & ambo in aliquo prato floribus picto, diuerſiſque coloribus variato deambulent: ille ob loci amœnitatem & delitias quantum delectationis caperet? hic vero quanta priuaretur voluptate? Quid? ſi ille non ſolum varios flores cerneret, ſed etiam eorum vim varietatemque optime cognoſceret? Vnde profecto alia emanaret ex figurarum notitia non parui facienda vtilitas: Quoniam qui cum iſta voluptate ſacros codices legeret, tali lectione alliceretur, retineretur, caperetur, ac proinde diuinos libros nunquam e manu poneret. Quare, cum hæc figurarum tractatio & ad conciones exornandas, & ad diuinos codices recte intelligendos pernecesſaria ſit, nullo modo a noſtro inſtituto cenſenda eſt aliena; nec etiam friuola, & quæ a nobis tractetur indigna: Cum viri grauiſſimi diuinorum oraculorum ſchemata obſer

uaue-

nauerint;vt Auguſtinus,Hieronymus, & multi alij: & nōnulli de hac etiam ipſa re ſcribere non dubitauerint;vt venerabilis Beda, vir grauiſſimus Caſſiodorus, & noſtris temporibus non infimæ notæ homines ea notarunt,dum grammaticos ſenſus diligentius quęſiuerunt,& expoſuerunt.Quare,pius beneque interpretandi, atque dicendi cupidus Concionator, nobis fortaſſe gratias non immeritas habebit, quod hanc de diuinis ſchematibus partem multo accuratius, quam alius quiſpiam hactenus fecerit, non ſine magno & longo labore,maximaque commentatione tractauerimus:plures figuras quam alij fecerint numerādo, & ad certum ordinem methodumque reuocando,atque ſuis exemplis ſingulas illuſtrando.

Præfat. in Pſal. ca. 11. In Pſal. 83. Sanctes. Lindan. Claud. Gul. Bened. Arie.

Tria enim potiſſimum hac in parte facienda curauimus: primum,vt figuras multas ab alijs non obſeruatas adnotaremus: alterum,vt rem perplexam atque confuſam cū ordine traderemus: tertium,vt ad concionandi vſum accommodaremus: quæ omnia pręſtitiſſe,ſi tamen præſtitimus, non facile fuit, ut ij fatebuntur, qui quæ ab alijs de figuris ſcripta ſunt,aliquando legerunt. Quādoquidem quotquot hactenus in hac materia verſati ſunt,nec,in figurarum numero,nec in ordine,nec in definitione,nec in nominibus conueniunt.Atque his præmiſſis, ad rem ipſam aggrediamur:de qua ideo breuius agemus, quod alibi fuſius de ſubiecta materia ſcripſerimus:plura qui volet, priorem de Eloquutione oratoria librum leget.

Quid & quotuplex ſit figura, & quid Tropus. Cap. V.

CVM ergo omnis orationis dignitas atque ornatus a figurarum venuſtate ac ſplendore ſumatur:antequam ad ſingulas figuras explicandas accedo, quid & quotuplex ſit figura priore loco exponam.

Figura ergo vniuerſe ſumpta, eſt conformatio quædam orationis a communi & vulgari conſuetudine loquendi remota.Quare,cum ea utimur oratione,quæ præter communem loquendi vſum aliquid habet;vt ſi cum Dauide diceremus,Virga directionis,virga regni tui,id eſt tua recta adminiſtratio, ſiue regimen tuum iuſtiſſimum,figurate,hoc eſt ornate,loqueremur. *Pſal. 44.*

Quod nos figuram vocamus,Gręci ſchema dicunt,latine,ut ait Beda,habitus,forma,& geſtus:quamuis inter figuram,& ſchema aliquid ſit diſcriminis,ut poſtea dicetur.

Figura, uniuerſe pro quacunque conformatione ſumpta, diuiditur in Tropos, & Schemata, quæ proprie figuræ uocantur; vel, vt alij uolunt, in figuram dictionis, & orationis. Tropus, vel dictionis figura, in vna tantum voce conſiſtit, vel, ut quibuſdam placet, etiam in pluribus a ſua ſede in alienam tranſlatis: Schema vero, partim in uerbis, partim uero in ſententia cernitur; ita ut alia ſint uerborum, alia ſententiarum ſchemata: quæ poſtea ſuis in locis planius ſubdiuidentur. Rurſus, figurarum aliæ ſunt Grammaticę, quæ ad latinitatem cognoſcendam, & ad orationis conſequutionem pertinent; aliæ Rhetoricæ, quæ ad ornatũ referuntur, quarum multæ ſunt cum arte poetica cõmunes: alię poeticæ, ut ſunt illæ quæ in carmine probantur, & a ſoluta oratione reijciuntur; vt omnes fere Metaplaſmi, id eſt quædam dictionum transformationes. Denique, ut alias diuiſiones nunc omittamus, figurarum, aliæ conferunt ad docendum, aliæ ad delectandum, aliæ ad mouẽdum, alię plura ſimul munera præſtant. Quibus nos ſubijciemus nonnullas quæ ad diſpoſitionem, vel ad ordinem facilitatéq; orationis referuntur. His ita prænotatis diſtinctionibus, ad Troporũ explicationem accedamus: tum quia ſunt figuræ ſimpliciores: tũ etiam quod per alias figuras vagantur.

Tropus, vt a uocis notatione auſpicemur, eſt uox greca, qua tanquam ſua utuntur Latini, ducta a verbo τρέπω, quod mutare, conuertere, & inflectere ſignificat; Latine, Modus, mos, ſententia, uoluntas, ratio, mutatio, & conuerſio. Quo fit, ut aliqui hoc in loco idem ſignificare velint, quod, Mos; ſed potius conuerſionẽ, ſeu immutationem, & tranſmigrationem, vel, ut aliqui loquuntur, modificationem ſignificare dicendum eſt: cum in Tropis ſemper adſit aliqua verbi mutatio, & ab uno loco in alium migratio. Hinc, tropicos, id eſt figuratus, & tropice, hoc eſt figurate, & allegorice; & tropologia, id eſt figurata loquutio, maxime cũ ad mores refertur. Solet autem hunc in modum deſcribi.

Tropus eſt dictio tranſlata a propria ſignificatione ad impropriam, ornatus & neceſſitatis cauſſa: vel, Tropus eſt verbi, uel ſermonis a propria ſignificatione in aliam, cum uirtute, (hoc eſt, cũ ſplendore) mutatio; vel deniq; cum Auguſtino diceres, Eſſe modum loquutionis aliud ex alio ſignificantis. Conſiſtit itaque tropus in quadam tranſmutatione, & tranſmigratione, ſeu inflexione proprię ſignificationis unius uocis, ad ſignificandam rem aliã, vel ſimilem, vel affinem, proximamve. Exẽpli gratia, Agnus proprie dicitur de ouis filio, per tropum; ſeu migrationem, qua iſta

vox

vox a ſuo domicilio in aliam ſedem transfertur, ob ſimilitudinẽ dicitur de Chriſto: Piſcari, proprie eſt piſces capere: transfertur per tropum ad hominum conuerſionem, qui quaſi diuini verbi hamo capiuntur: Moſes, proprie ſignificat hominem illum, quẽ Deus ſui populi ducem iudicemque conſtituit, per tropum transfertur ad ſignificandam legem, quam docuit: calix, proprie vas deſignat, tropice ponitur pro liquore qui eſt in vaſe; ut cum dicitur, Hic eſt calix ſanguinis, pro, hic ſanguis qui eſt in calice. *Luc. 22.*

Cauſſę autem cur in omni lingua huiuſmodi uocum migrationes introductę fuerint, hę numerãtur: Neceſſitas, cum aliqua voce caremus, quam per tropum a uicina, vel ſimili uoce mutuamur: Vtilitas, ut linguę locupletarentur, creſcente uerborum copia: Ornatus & delectatio, cum tranſlatę uoces multum delectationis ſoleant afferre, pręſertim cum a ſimili ſumũtur: Maior quędam uis & ſignificatio, cum tranſlata uerba uim maiorem, quam pria ſoleant habere: denique, Honeſtas, ut aliquid honeſte, & recte dicatur; ut patebit in exemplis, quę mox de ſingulis agendo afferemus.

De Metaphora, & Metonymia. *Cap. VI.*

TROPORVM omniũ princeps ob multas cauſſas merito ille cenſetur, qui grece Metaphora, latine Trãſlatio dicitur: quę nihil aliud eſt, quam unius vocabuli a propria ſignificatione ad impropriam ob ſimilitudinem migratio: Vel; eſt breuis ſimilitudo; *Pſal. 62.*
quę uno uerbo explicatur; ut, ſitire, pro uehementer expetere: draco, leo, ſerpens, & coluber, pro dęmone. In eo itaque eſt Metaphorę uis ſita, vt in ea fiat migratio ab uno ad aliud ob eam quam inter ſe habent ſimilitudinem. Quo fit, ut Metaphora in omnibus rebus quę inter ſe aliquam analogiam habent, eſſe poſſit: cuius tamen capita quędam ex quibus fluere ſolet, a ſcriptoribus aſſignantur.

Primum, a re animata ad animatam; ut, Quare fremuerunt gẽtes: ab equis ad homines. Deinde, ab inanimato ad inanimatũ; *Pſal. 2.*
ut, Aperi Libane portas tuas, a ciuitate, ad montẽ: Verbũ Dei gladius anceps: lex Dei lucerna: Præterea, ab animato ad inanimatũ; *Zach. 11.*
vt, excitatus eſt uertex Charmeli, ab homine de quo proprie dicitur vertex, ad montem. Huc referes eas metaphoricas loquutiones, quibus rei inanimatę tribuimus corpus animatũ; vt, Flumi- *Amos 1.* *Pſal 97.*

na

na plaudent manu,ſimul montes exultabunt: iuſtitia & pax oſcu latæ ſunt. Poſtea, ab inanimato ad animatum; vt, homo fœnum, puluis,& cinis: Denique, a corpore ad animum; vt, Dele iniquitatem meam, ab ijs qui nomina in codices relata delent: Laua me ab iniquitate mea, ab ijs qui ueſtes eluunt: quo modo peccata dicuntur ſordes, peſtes,& vulnera. Huc referres Metaphoras in quibus nomina rerum corporatarum transferuntur ad res corpore carentes; vt, Deus ignis, petra, clypeus: & contra; ut cum homo dicitur Deus,& Angelus. Quamuis ergo quædam aſſignentur Metaphoræ capita: tamen ab omnibus rebus ſumi poteſt, quæ inter ſe aliquam habent ſimilitudinem. Cæterum quædam ſunt res, vn de illuſtriores & frequentiores dicuntur metaphoræ; vt, a nauigatione, ab agricultura, a venatione, a re medica, equeſtri,& militari: ab incendio, alluuione,& denique ab omni arte.

Pſal. 50.

Quarum aliæ ſunt proximæ, ut quæ a corporis partibus & a ſenſibus ad animum transferuntur: aliæ remotæ, cum res a qua fit migratio longe diſtat ab ea in quam migratur. Rurſus, alię reciprocæ, quæ inter ſe commeant, quas Græci acoluthas uocant: vt gubernator,& auriga; quæ verba inter ſe commutantur: nam aurigam gubernatorem dicimus,& gubernatorem aurigam: alię non reciprocæ, græce, anacolutha; ut vertex, pro cacumine, non contra. Item, aliæ dicuntur non bonæ, non aptæ, cum non congrua fit tranſlatio: aliæ bonæ & aptæ, cum ea ſeruantur quæ ad aptam tranſlationem ſunt neceſſaria: ſunt autem iſta.

Primum, cauendum eſt ne ſit nimis dura & deformis: propterea quæ durior videbitur lenienda erit. Deinde, ne nimis longe petatur: debet enim eſſe verecunda tranſlatio; ita ut magis uocata veniſſe, quam irrupiſſe uideatur: Poſtea, ne maior aut minor ſit, quam res poſtulat. Præterea, ne verbum tranſlatum ſit magis anguſtum, quam proprium,& ne minus ſignificet. Ad hæc, non ſit ſordida, aut obſcœna,& auribus ingrata, ut eſſet, ſi diceres, Patrē fuiſſe carnificem filii: Ob literas & ſyllabas non ſit inſuauis & aſpera: Et denique, ne ſit diſſimilis, cum in ſimilitudine fundetur. Quare, qui metaphoricam loquutionem percipere voluerit, ipsā ſimilitudinem perpendere debebit; id quod facere is non poterit, qui rerum unde ducuntur proprietates ignorabit.

Differt autem Metaphora a ſimilitudine, quod illa non continet particulam comparatiuam, ut hæc. Quare, hæ ſunt ſimilitudines, ſiue imagines, Tanquam leo contriuit omnia oſſa mea: gemam ut columba; non autem Metaphorę. In omni autem tranſla

tione eſt breuis ſimilitudo;in qua res ipſa,& accommodatio ſpe ctatur;vt, Chriſtus eſt vitis,ideſt ſimilis viti. Vt enim vitis gignit palmites,eiſque vitam tribuit,ita Chriſtus Chriſtianos gignit, eiſque vitam donat.Chriſtianus vero eſt palmes,id eſt ſimilis palmiti,qui ex vite propagatur. Metaphorarum vſus ideo vehementer placet,quia ingenij acumen oſtendit:quia mens humana ſimilibus delectatur:quia tranſlatio agitationem quandam mentis habet,dum eam ab vna re ad aliam apte traducit,efficitq; ut aliquid quodammodo de nouo cognoſcat:denique,quia orationem exornat,quia docet,atque etiam mouet. *Iſa.38.*

Frequentiſſimis & illuſtribus, & omnino obſeruatione & admiratione dignis metaphoris diuinæ utuntur literę:quarum nulla eſt damnanda, nulla reprehendenda;& ideo,ſi quæ nobis minus videtur apta, noſtram accuſemus ignorantiam:vel quia linguarum prhaſim,aut rerum naturas neſcimus: vel quia diuini ſpiritus earum auctoris ſenſum non percipimus. Sacri itaque ſcriptores aptiſſimas metaphoras, ſimilitudines, comparationeſque ab intimis naturę arcanis,ab animalibus,ab herbis,ab arboribus, ab elementis,a fluminibus,ab ijs quæ, tum in medio aere, tum in viſceribus terræ gignuntur,& denique ab omnibus artibus & artium inſtrumentis ſumunt;vt doceant,vt delectent,vt commoueant,& conciones exornent,& amplificent;vt cum dicunt,Torrente voluptatis tuæ potabis eos:fiet in eo fons aquæ viuæ:genimina viperarum. Vtuntur autem diuini ſcriptores ſępe metaphoris in rebus magnis,obſcuris, & a ſenſibus remotis explicandis: cum res atroces tractant,cum acrius reprehendunt,cum grauiores pœnas denuntiant,& maiora præmia pollicentur:quæ omnia melius verbis tranſlatis,quam proprijs explicantur. Opportunus itaque ac modicus earum uſus illuſtrat orationem, frequens obſcurat,& tædio complet, affectationiſque indicium manifeſtum præbet. Minor licentia in metaphoris faciendis & in earum vſu tribuitur Oratori, quam poetæ: poterit tamẽ Orator in grauiore dicendi genere plures & maiores adhibere;modo loquenti perſonæ congruentes tribuat: quæ vero videbitur durior,aliquo pacto mollienda erit.Ex quibus colligeres,quanta debeat eſſe in eo notitia,qui apte diuinæ legis figuras & ſchemata ſit explicaturus, & diuinas ſententias recte intellecturus.Sed de Metaphora hæc ſatis:plura videre poteris in primo de Eloquutione libro. *Leuin.* *Lem. c.1. de ſimil.*

Metonymia,Latine denominatio, Tranſnominatio,qua una res per aliam vicinam intelligitur: Rhetores Hypallagem vocant,

Inundatio,ſiue copia camelorum, id eſt populus trans Arabiam, qui camelis abundat.

Metonymia adiuncti,cum ex adiunctis res ſubiecta intelligitur;quo modo nomina virtutum & vitiorum ponūtur pro ijs qui ſunt illis affecti:& cum abſtractum ponitur pro cōcreto,qui modus eſt Hebræis frequens;vt beatitudines,pro beato:abominatio, pro Antichriſto:mons ſanctitatis,pro ſancto.Huc referres eam, qua per antecedens deſignatur conſequens, & contra; vt intrauit ad mulierem,pro eam cognouit:intrare & exire,pro familiarem eſſe.Non me latet eſſe quoſdam,qui varios Metonymiæ modos numerant,ſed omnes ad iam dictos reuocare licet.

Hic tropus hāc affert utilitatem,ut verborum copiam gignat: in cuius vſu hæc animaduertenda ſunt; Ne nimis longe petatur, ne in Acyrologiam , id eſt in impropriam loquutionem incidamus:ne ita libere eo vtatur Orator,vt Poeta facit:& denique,denominatiuis pro re denominata frequentius ad exaggerandum vti licebit,cum magnam vim ad augendum habeant;ut cum dicimus,ſcelus pro ſcelerato,& peſtem,pro peſtilenti.

De Synecdoche,Catachreſi,et Metalepſi. *Cap. V I I.*

EST alia tropi ſpecies in diuins literis frequentiſſima, quæ græce Synecdoche,id eſt,comprehenſio,Latini etiam Intellectionem uocant, quod per eam aliquid aliud,aut maius aut minus intelligatur.

Eſt itaque Synecdoche tropus , quo ex parte totum,contrâve cum energia ſignificatur . Habet enim hic tropus hoc quaſi proprium vt cum quadam emphaſi ſignificet; vt in exēplis afferendis patebit. Quare,vnicum eſt Intellectionis genus , quo reuocares plures modos,quos quidā numerant, cum ex parte totum,vel ex toto pars ſignificatur: ſiue totum ſit quantitatis; vt domus,ſiue genus quoddam,& aliquid commune.Intelliguntur igitur aliquando ex vno plures;ut,miſit muſcam,ideſt plures muſcas:peccator uidebit,& iraſcetur,pro peccatores:Filiæ Tyri, id eſt omnes gentes . Ex pluribus vnus , Aſtiterunt Reges terræ, hoc eſt,Herodes:Latrones blaſphemabant, id eſt unus ex latronibus:ſecus decurſus,ſiue riuulos aquarum, ideſt iuxta aliquem riuulum. Ex parte totū; vt, da mihi animas,id eſt redde mihi meos: ad te omnis caro veniet,id eſt omnis homo:Verbum caro factum eſt,ideſt homo:ieiuno bis in ſabbatho,id eſt in hebdomade:Deus

Exod. 8. *Pſ. 111.44.* *Pſal. 2.* *Pſal. 8.*

Abra-

Abraham, id eſt omnium fidelium. Ex toto partes; vt tulerunt Dominum meũ, hoc eſt corpus Domini mei: quomodo intelligitur illud, Chriſtum tertia die reſurrexiſſe; cum non fuerint tres integri dies. Ex genere ſpecies, Et erit tanquam lignum, hoc eſt, velut i arbor fructifera: vel contra, ex ſpecie genus, ut cum Græci pro omnibus gentibus ponuntur; & Auſter pro vento. Per Synecdochen etiam dictum eſt, Fides tua te ſaluam fecit, non ſola fides, vt miſer exponit hęreticus; cum fides ſine operibus mortua ſit. Valet ſynecdoche ad verborum copiam augendam, ad euidentiam, & emphaſim exprimẽdam: cuius vſus maior eſt apud Poetas, quã apud Oratores: qui non dicerent, Pinum, pro naui, nec lignum, pro arbore fructifera: nec ita facile ex ſpecie deſignarent genus: & cum ſit in diuinis oraculis frequentiſſima, diligenter obſeruanda eſt.

Catachreſis, Latine Abuſio, ſiue immoderatus vſus, liberior nimirum in transferendo licentia, duriorve tranſlatio. Eſt itaq; Catachreſis durior, ſeu licentior uerbi tranſlatio, uel alieni nominis abuſio, ſeu duritia quædam cuiuſcunque Tropi, durusve Tropus; vt in ſequentibus patet exemplis: Piſcina ſumitur pro loco, vbi non ſunt piſces: Lacus, pro fouea, & torculari: in quo uuæ calcantur: via praua, pro tortuoſa & indirecta: conſilium pro cœtu: populus durę ceruicis: ſic alia pene innumera poſſent afferri exempla.

Ioan. 5. *2. Pet. 2.* *Luc. 3.*

Vtuntur diuinę literę hac figura, non ſolum cum deeſt uocabulum proprium, ſed etiam cum adeſt; vt cum dicunt, Cornua iuſti, pro viribus & potentia. Eſt hic tropus admodum frequens in ſacra pagina, quem qui diligenter non obſeruabit, a uera ſentẽtia ſæpe aberrabit. Cum itaque nomina deerunt, ſine culpa catachreſis adhiberi poterit, cum inopię cauſſa fuerit inuẽta: qua liberius Poeta, quam Orator vtitur: & ne ſit omnino dura, a re propinqua ſumatur. Non eſt autem execrãda catachreſis ex piorum & catholicorum hominum interpretatione, in hoc verbo, Facite, poſitum in hac ſententia, Hoc facite in meam commemorationem, cũ exponitur pro ſacrificare: cum Miſſa uerum ſit ſacrificium, & non ſola commeſtio, eodemque modo alibi iſta uox ſumatur, atque a bonis ſcriptoribus Latinis in eadem ſignificatione uſurpetur; vt a Virgilio cum dixit,

Eclog. 3.

Cum faciam vitulam pro frugibus ipſe venito.

Huc pertinet Acyrologia, ideſt impropria loquutio, quę non raro in ſacris ſcriptoribus occurrit: ut cum dicitur, Expugnare,

pro op-

pro oppugnare,& ſuper,pro propter , & pro ad. Sunt etiam qui huc reuocent Antiphraſin,de qua nos infra,cũ de Ironia agetur, dicemus,cum ſit ei perſimilis.

Metalepſis,latine Tranſumptio, tranſpoſitio, quæ ad aliquid intelligendum gradatim ducit;ut a partibus ad totum, & ab effe ctis ad cauſſam,vel a cauſſa remota ad effectum: Silet a facie eius omnis terra,hoc eſt expaueſcit ob eius aſpectum vel præſentiam omnis homo:vbi per ſilere,quietem,& per quietem pauorem diuinus ſcriptor deſignat: Egreſſi erant excelſa manu,id eſt alacres & læti,bene ſperantes. Eleua manum tuam, ideſt potentiam exer ce:ſed hic eſt Metonymia; quia manus eſt ſignum percuſſionis: vnde hæ duæ figuræ ſæpe permiſcentur. Dæmonium erat mutũ, id eſt faciebat eum quem inuaſerat mutum. Sic concupiſcentia dicitur peccatum per Metalepſin,quia ad peccatũ inclinat. Huc pertinet hoc carmen, *Abac. 2.* *Exod. 14.*

Me quater vndenos ſciat impleuiſſe decembres.

Hoc eſt,annos quadragintaquattuor: vbi ex mẽſibus hyemes, & ex his anni intelliguntur. Hic tropus rarioris eſt vſus apud Latinos ſcriptores:verum in ſacro codice multis in locis eſt obſeruãdus:quem aliqui partim ad ſynecdochen, partim ad Metonymiã reuocant. Fit itaque hæc figura, cum non proxime,ſed quaſi per gradus ab uno ad aliud tranſitur.Quod ad uſum attinet, ob eam obſcuritatem quam ſecum affert,rariſſime vſurpetur.

De Allegoria, Aenigmate, & Paræmia. Cap. VIII.

NVLLVM eſt ſcripturę genus,in quo frequentius vſurpetur tropus ille,qui græce Allegoria, latine Inuerſio,permutatio, vel, vt Fabius loquitur, diuerſiloquium dicitur,quam diuinum:quo tropo aliud verbis,aliud ſententia ſignificatur;non tamen diſſimile:quem huuc in modum definires.

Allegoria eſt Tropus ex aliorum troporum frequentatione factus.Dico eſſe tropum,quia potius in tropis,quã in figuris numeranda eſt:dico, fieri ex aliorum troporum frequentatione, vt demonſtrem non eſſe tropum quendam ſpecie ab alijs diſtinctũ, quamuis non conſiſtat in vnica tantum dictione, ſed ſententiam includat; et vt doceam non ſolum fieri ex frequentatis Metaphoris,vt aliqui putant, cum etiam ex Metonymia, & Sinecdoche repetita fieri ſoleat. Ex innumeris exemplis quæ afferri poſſent, *Lib. 1. de eloq. diſſ. 13*

pauca quędam ſubijciam. Non alligabis os boui trituranti,ideſt,
1.Cor.9. non negabis mercedem operario:Non dormiamus ſicuti cæteri,
ſed vigilemus,hoc eſt,a peccato ſurgamus:videte regiones,quia
1.Theſ.5. Ioan.4. albæ ſunt ad meſſem, id eſt varij populi ad recipiendam fidem
Exo.15. parati:Non coques hœdum in lacte matris ſuæ,id eſt nō eris cru-
Pſal.120. delis:Per diem ſol non vret te,neq; luna per noctem.i.in omni for-
tuna integer & intactus eris:. Duces cœci excolantes culicē, ca-
Matt.23. melum autem deglutientes, hoc eſt leuia peccata diligenter vi-
tantes,grauia non item.

Sunt in diuinis oraculis tria allegoriarum genera; vnū,quod
in ſolis verbis conſiſtit,vt in allatis patet exemplis:alterum,quod
Gala.4. in aliquo facto,vel hiſtoria;vt patet in duobus filijs Abrahę,qui
duo teſtamenta ſignificarunt:tertium, quod in factis, & verbis
1.Reg.16. ſimul,vt hoc in loco,Erat autem Dauid rufus & pulcher aſpectu,
Aug.15. de ciui. & vnxit eum Samuel in medio fratrum ſuorum. Quibus rebus
& verbis Chriſti gratia & pulchritudo ſignificata fuit: de qui-
bus pſalmo quadrageſimoquarto ſcribitur. Rurſus,allegoriarū
diuinarum aliæ referuntur ad ſignificandum ſtatum Eccleſiæ mi
litantis,in hac vita:aliæ ad ſtatum Eccleſiæ triumphantis in alia
vita: aliæ denique ad ſingulorum mores inſtituendos: quare ex
earum explicatione tres gignuntur ſenſus, quorum poſtremus,
Bed. libr. de trop. tropologicus, ſiue Moralis, ſecundus anagogicus,primus nomi-
ne generis allegoricus nominatur: Quamuis allegoriæ nomen
apud antiquos patres ſæpe deſignet tropum qui unico verbo cō-
tinetur, & idem ualeat,quod Metaphora.

Non me latet eſſe quoſdam, vt aliquid circa hanc figuram obi
ter admoneam,qui volunt vnicam tantum ſententiam vbique eſ
ſe quærendam: quod oratio quæ vnam certam ſententiam non
habet,nihil certi doceat,vt olim impius diſputabat Porphyrius,
Melan. Treſſe. cuius impietatem hac in parte, quidam impij nunc ſequuntur.
Dicunt itaque,plures ſenſus inepte inuentos & traditos fuiſſe, &
vbique omnes quæri: & moralem male appellari Tropologi-
cum,cum tropologia vniuerſe ſignificet quidquid figurate effer-
tur,voce verſa:& pro anagoge,quæ idem valet apud Dionyſium;
quod allegoria,male dici Anagogia,quę petulantiam,ſeu ferita-
tem ſignificat,cum ſit nomen deductum ab ἀνάγωγος, quod idē
valet,quod petulans & intractabilis.

Quod attinet ad plures ſenſus,hęc varietas orta eſt ex ipſis di
uinis ſcriptoribus, qui iſtos plures ſenſus attulerunt, vt in libro
quincto Introductionis in ſacram Teologiam plane docui:Et ip-

ſe Me-

ſe Melanchō, qui ſolum grammaticum ſenſum quærendum eſſe affirmauit, etiam allegoricum & tropologicum in hiſtoria Ionæ, in occiſione agni, & in miraculo de pane a Chriſto multiplicato quæſiuit.

Quod autem catholici doctores vniuerſe dicant quattuor ſenſus vbique eſſe quærendos, id mendaciſſime dicit. Ibi igitur quærendi ſunt, vbi vtilitas admonet, aut neceſſitas cogit, cum alias ſententia contineret errorem, ſi proprie ſumeretur, ut Auguſtinus docet.

Neque eſt inuſitatum, vt voce generica utamur ad deſignandā ſpeciem aliquam, cum tropos, etiam mores ſignificet. Et ab anagoge, cur anagogia fieri non potuit? quę vox non petulātiam, ſed ſenſus altioris inueſtigationem deſignat: ſicuti Anagoge apud Dionyſium excelſam & ſuperiorem intelligentiam quæ nos in cœlum meditando ſubuehit ſignificat. Anagogia ergo eſt quaſi ad rerum cęleſtium per ſenſus myſticos ſubductio.

Et, ut illud etiam breuiter adnotauerim, vna & eadem hiſtoria ſiue parabola ad uarias res accommodari poteſt; vt hiſtoria de nauicula agitata a ventis, & procellis maris, timentibus & clamātibus ad Deum Apoſtolis: quæ per allegoriam poteſt accōmodari eccleſiæ militanti, & triumphanti, in qua ceſſant omnes venti & procellæ: cruci, in qua Chriſtus obdormiuit: & cuilibet ciuitati, uel communitati, & homini; ut homo ſit nauicula, mali homines perturbationes, & dęmones uenti & procellę: aut denique animę, quæ eſt in corpore tanquam in nauicula. *Herbet.*

Rurſus, Allegoria alia eſt ſimplex, cum tota oratio, ſiue ſententia ſenſum continet allegoricum; ut in allatis patet exemplis: alia miſta cum adhibetur metaphora, aut etiam ſimilitudo, & proprietas, vnde pulcherrimum naſcitur orationis genus.

Miſtę allegorię exemplum habes apud Matthæum, cum dicitur, Cuius uentilabrum in manu eius: & purgabit aream ſuā: & congregabit triticum in horreum ſuum: paleas autem comburet igni inextinguibili: his poſtremis verbis permiſcetur. *Luc. 3.*

Illud datur ab omnibus de hac figura ſeruandum præceptū, vt quo genere tranſlationis cæpta fuerit, eodem finiatur; vt, ſi initium capiat a tempeſtate, non deſinat in incendium. Pulcherrime Iſaias perſeuerauit in eadem tranſlatione, cum loquens de populo Iudaico dixit, Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei: & ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim, & quæ ibi ſequuntur. Item alio loco, *Cap. 5.* *Cap 22.*

& dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet & non erit, qui aperiat. Et figam pexillum, &c. Manebimus autem in eodem tranſlationis ſiue allegoriæ genere, ſi intellexerimus quomodo ex metaphora, ſiue alio tropo fiat allegoria: quæ tunc fit, cum ea quæ propriè vocabulo tranſlato conueniunt, adhibentur, miſſis cæteris, quæ ſunt alijs rebus propria; vt in allatis paullo ante exemplis patet & in iſto,

Flectitur, ac nunquam mergitur illa ratis.

Vbi, ratis, ſumitur pro eccleſia: rati autem conuenit flecti, & mergi. Quare ſi diceres, In hac vita, mundi ſcopulos vitare oportet, eſſet hic verborum proprietas, in hac vita, & ſcopulos, verbũ tranſlatum: fieret integra allegoria ſi diceres, Nauigando maris ſcopulos vitare oportet. Aliquando tamen in eadem oratione diuerſi generis continetur allegoria; vt, vulnus alit venis, & cæco carpitur igni: partim vulneri, partim igni comparatur amor.

Allegoria, quæ eſt veluti imperfecta ſimilitudo, fiet perfecta, ſi in duas diuidatur partes, in protaſin, & apodoſin, id eſt in propoſitionem, & redditionem: quarum vna eſt quaſi materia, altera quaſi forma, hoc pacto; Sicuti nauigando maris ſcopulos vitare oportet, ita viuendo mundi pericula fugere neceſſum eſt: vt boui trituranti non eſt os obturandum; ita homini euangelium prędicanti non ſunt neganda quæ ad vitæ ſuſtentationem faciunt. Quod ſi adderetur particula ratiocinatiua, iam fieret Enthymema; vt, hœdus non eſt coquendus in lacte matris ſuæ; igitur nec crudelitate in aliquem vtendum. *Deut. 14.*

Denique, illud de hoc tropo addiderim, vt in eius vſu vitetur obſcuritas, ne in ænigma migret: & vt non ſit nimis creber, ne faſtidium pariat. Cuius plurimus eſt vſus in prouerbijs, ſententijs ve prouerbialibus, vt ex Prouerbiorum libro, & ex Eccleſiaſtico cognoſcere licet.

Gel. Ænigma, ſermo inuolutus, obſcurus: antiqui per Antiphraſin, ſcirpum nominarunt. Eſt itaque Ænigma obſcura & ambigua quædam Allegoria, ad id quod dicitur occultandum ſtudioſe excogitata: vnde Cicero, allegorias aliquando ænigmata vocauit. Siue, Ænigma eſt occulta ſententia per occultam rerum ſimilitudinem explicata. Et quamuis obſcurus ſermo in vitijs numerari ſoleat: interdum tamẽ cum virtute a ſcriptoribus, maxime diuinis, vſurpatur. Iudicũm capite decimoquarto habetur ænigma illud, De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo: qui- *Pythag.* *Plato.* *Iud. 14.*

bus

bus verbis tecte ſignificatur, ex leone mortuo exiuiſſe apes & mel:quod de Chriſto myſtice intelligendum eſt. Huc aliqui referunt illud pſalmi ſexageſimi ſeptimi, Si dormieritis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ,& poſteriora dorſi eius in pallore auri;id eſt, etiamſi maxima calamitate oppreſſi fueritis,ſumma lætitia perfundemini. Pro ænigmate habetur etiam illud, Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, id eſt auaritia, & luxuria, dicẽtes, Affer, affer. Vel per filias ſanguiſugæ, intellige duos ſulcos linguæ quibus ſanguinem exugit: habet.n.linguam biſulcã. Pro ænigmate habetur illud Iſocratis dictum, Quid maximũ eſt in mi nimo? νῦς ἀγατὸς ἐν ἀνθρώπυ σώματι.i.Mens bona in hominis cor pore. Ænigmatis nullus debet eſſe vſus apud eos qui in concione dicunt, cũ orationem cæcã & obſcuram reddat: ni forte aliquid dicendũ eſſet, quod ſolũ ab vno vel altero auditore intelligi oporteret,& ita diceretur, vt iſti poſſent intelligere. *Prou.30.* *Plin.*

Parœmia, latine Adagium, prouerbium, dictum nimirum celebre ſcita quadam nouitate inſigne: vel, vt ait Beda, accommodatum rebus & temporibus prouerbium: vel denique, celebre dictum, quod veluti nota a communi diſcernatur ſermone. Quare ad parœmię conſtitutionem hæc requiruntur; vt ſit dictum ſcitũ, tritum,& a communi ſermone ſegregatũ, antiquitate & eruditione commendatum. Innumera ſunt in diuinis litteris adagia, ad quæ aliqui reuocant omnes Salomonis parabolas. *Lib.de trop.*

De ſacris parœmijs confecit libellum Polydorus Vergilius, eaſque expoſuit. Qui itaque plura voluerit exempla, hunc auctorem conſulat: nos pauca quædam ſubijciemus, Aerem uerberare: incidit in foueam, quam fecit: Super arenam ædificat. Durum eſt tibi contra ſtimulũ calcitrare, hoc eſt Deo & maioribus reſiſtere tibi difficile eſt. Qui diſſipat ſepé, mordebit eũ coluber, ideſt qui vterem reip.formam labefacit, is accerſit ſibi exitium: Medice cura teipſum. Illa autem cenſetur illuſtris parẹmia, quæ aliquem tropum ſimilitudinemque continet. Maximus eſt in omni vita parẹmiarum vſus, præſertim in oratione populari; vt in colloquijs, in epiſtolis, modo apte & ſuo loco vſurpentur: quibus diuinæ litteræ ſcatent: Crebrior tamen vſus affectationem & obſcuritatem habet. Valet parœmia multum in genere ſuaſorio: commendat non parum eum qui dicit: mirifice orationem illuſtrat, præſertim ſi Metaphoram vel alium tropum contineat. Sunt enim veluti lapilli, ſtellæ, flores,& lumina, quæ uim docendi, delectandi, ac mouendi habent: Sed rarę in eadem ſermone eſſe de- *Matt.7.* *Eccl.10.*

ſe debent, ut gemmarum inſtar radient, non ut nimio fulgore in tuentium oculos perſtringant. Plura qui uolet librum quartum de eloquutione oratoria conſulat, ubi latiſſime de parœmijs egimus.

De Ironia, Antiphraſi, & Sarcaſmis. Cap. IX.

IRonia, latine ſimulatio, diſſimulantia, illuſio, irriſio. Eſt autem tropus quo non ſolum alıud, ſed etiam contrarium ſignificatur: cuius ſententia, vel pronũtiatione, vel perſona, vel rei natura, vel alicuius uerbi adiunctione elucet. Valet plurimum in reprehenſionibus, in confutationibus, & in iocis: quæ uarijs modis fit, laudatione, admiratione, precatione, ſubſannatione, ſiue myꝺteriſmo, mitigatione, ſiue charientiſmo, vrbanitate, cauillatione, ſiue aſteiſmo, interrogatione, & reprehenſione.

Gen.3. Ironiæ exempla ex ſacra pagina ſunt huiuſmodi, Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt; hæc ironice primo parenti dicta
3.Reg.18. ſunt poſt lapſum, vt acerbius reprehenderetur. Elias falſis prophe-
Matth.11. tis per ironiam dixit, Clamate voce maiore: & Chriſtus Apoſtolis in horto dormientibus, Dormite iam & requieſcite: Quid eſt enim quod minus habuiſtis præ cæteris eccleſijs, niſi quod ego ipſe non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam, aiebat Co-
2.Cor.12. rinthiis Paulus. Item, Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis. i. doctor a diſcipulis reformatus. Item, Amice ad quid veniſti? id eſt tu no amicus qui ad prodendum venis?

Eſt hæc figura in quibuſdam ſcripturæ diuinæ locis omnino animaduertenda ad verum ſenſum percipiendum. De hac figura illud adnotauerim, non ſemper continere irriſionem, vt aliqui falſo arbitrantur. Valet itaque non ſolum ad illudendum, ſed etiam ad refellendum, inſiſtendum, prouocandum, mouendumque, & ad orationem dilatandam: quæ ob acumen dicentis ingenium commendat, & ob ſalem gratiamq; delectat: qua non ſolũ in vituperationibus, ſed etiam in admirationibus, querelis, precationibuſque vtimur.

Ironiæ ſubijciuntur Antiphraſis & ſarcaſmi, qui ſunt veluti Ironiæ quædam, quos breuiter ſtatim explicabo. Antiphraſis, latine, contraria loquutio, cum verbum contra ſignificat, quam ſignificare videtur; eſt itaque veluti unius verbi Ironia. Antiphra-
Cap.2. ſi vſa eſt vxor Iobi, cum ei dixit; Benedic Deo, & morere. Et Iſaias.

ſàs,& annuntiabo iuſtitiam tuam,pro iniuſtitiam.Hac figura,ho mine imprudentem, Salomonem;ſenem,iuuenem;impotentem, Samſonem, & puſillum,gigantem appellamus. Huc referuntur quidam alij irriſionis modi, cuiuſmodi ſunt ſeque͂tes, qui vel dicacitatem,vel leporem,& vrbanitatem continent. *Cap. 15.*

Sarcaſmus,Latine Inſectatio,amarulenta & hoſtilis irriſio, qua victor victo, vel hoſtis hoſti inſultat, uel aliquis cuipiam calamitatem exprobrat.Dicitur hæc irriſio græce Sarcaſmus, a verbo ſarcazin , quod canis irati rictum imitari ſignificat : quæ vox tranſlata fuit ad exprobrationem.Eſt itaque ſarcazin,cum iræ ſignificatione irridere;& præſertim victum,vel mortuum, aut prope moriturum , & ad miſeram calamitatem redactum. Huc pertinent ſarcaſmi illi acerbiſſimi,quibus Chriſtus recuperator noſter uehemeter irriſus & illuſus pro nobis ſuperbis fuit, Aue rex Iudæorum:Sperauit in Domino,eripiat eum:Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere : Vah , qui dextruis templum Dei,& in triduo illud reædificas:ſalua teipſum:ſi filius Dei es,deſcende de cruce. Similes illis fiant, qui faciunt ea,& omnes qui confidunt in eis: quo ſarcaſmo ſe uehementer læſum fuiſſe aliquando Iulianus apoſtata exiſtimauit . Eſt etiam ſarcaſmus hoc in loco apud Paulum, Vbi mors uictoria tua?ubi eſt mors ſtimulus tuus? Item apud Dauidem , Vbi eſt Deus tuus? Non eſt ſalus ipſi in Deo. *Pſal. 21.* *Mat. 27.* *Niceph. lib. 10 c. 11.* *1.Cor. 15.* *Pſal. 42.3.*

Mycterismus,latine ſubſannatio,& narium corrugatio,eſt ſimulata quidem,ſed non latens deriſio, ſiue contemptio, quæ magis geſtu,quam uerbis exprimitur:cum, riſu,uel narium contractione, alioue geſtu aliquem irridemus; ut ſi ſuſpenſo naſo diceres , Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo : Loquuti ſunt labiis , & mouerunt caput : omnes uidentes me deriſerunt me. Verum, huius figuræ exemplum ſolum re ipſa dari poteſt. *Nu.21.*

Epicertomeſis, Latine cauillus,mordacitas,eſt ironia quæda͂, per quam riſum excitando perſonam eludimus ; ut cum dicitur, Num & Saul inter prophetas ? Ecce homo qui no͂ poſuit Deum adiutorium ſuum:& dixerunt,Non uidebit Dominus:Cœpit ædificare,& non potuit perficere . Aliqui hanc ſcommatis ſpeciem chleuaſmon appellant.Sunt tamen qui dicant, chleuaſmon eſſe, cum auditorum animos ſuſpendimus , & ineſpectata ſententia decipimus . Quod ſi non perſona,ſed res extenuetur, Exutheniſmus uocatur;ut cum dicitur,Populus iſte labijs me honorat . *Pſal.51. 93* *Ruſin.* *Lul.*

S 4 Diaſir-

Diaſirmus, eſt irriſio qua ludẽtes, quæ ab aduerſario dicta ſũt tanquam frigida & indigna, quibus reſpondeatur, cum contemptu refutãtur: aut, cum nõ facile ſolui poſſunt, riſu diſſoluuntur.

Mimeſis, latine imitatio, cum alterius geſtum ſermonéve imitamur, cum aliquo contemptu, uel indignatione; ut, Magnificauit Dominus facere cum eis. i. magna pro eis fecit; & repetendo dicitur, Magnificauit Dominus facere nobiſcum; facti ſumus lætantes, hoc eſt, res maximas noſtra cauſſa fecit, ac proinde lętati ſumus: Dirumpamus uincula eorum, proiiciamus a nobis iugũ ipſorum.

Pſal. 125. *Fran. Vat.* *Pſal. 2.*

Aſtiſmus, vel Aſteiſmus, hoc eſt urbanitas, urbanus & facetus iocus, longe petitus, ut ſunt facetę urbanitates. Qui loquendi modus, ut ait Beda, eſt multiplex numeroſæque uirtutis. Aſtiſmus itaque eſt dictum, quod ſimplicitate ruſtica caret, & faceta urbanitate expolitum eſt: dictio urbanitatis plena, facetiarum cauſſa compoſita: quale eſt illud apud Virgilium,

Eclog. 3.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui:
Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

Hoc eſt, qui Bauium non bonum poetam amat, etiam Mæuium illo peiorem amare poteſt; & aliquid contra omnem naturæ conſuetudinem tentare. Huc pertinere videtur illud Pauli, Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant, id eſt, amputentur, & reſcindãtur a vobis, qui vos docent vt carnem veſtram circumcidatis. Sapit etiam vrbanitatem quandam illud Dauidis, Dominus regnauit, iraſcantur populi.

Gal. 5.

Charientiſmus, latine lepos, feſtiua dictio cum iucunditate mordax: vel, vt ait Beda, charientiſmus eſt, cum dura dicta gratius proferuntur, vel gratioſis verbis molliuntur, quibus iratos placare ſolemus. Nam, vt Sapiens ait, Reſponſio mollis frangit iram: vt fecit Terentianus ſeruus, cum dixit, Bona verba quæſo. Huc pertinere videtur hæc ſententia, Non ne pro Rachel ſeruiui tibi? quare impoſuiſti mihi?

Vltr. *Gen. 29.*

Vtimur ſarcaſmis ad inſultandum hoſtibus, & hominibus ſuperbis iam victis, & ad deridendum, mordendum, extenuandum, & in contemptum vocandum: in quorum vſu ſemper modeſtia retinenda, & modus ſeruandus eſt.

De Onomatopœia, Antonomaſia, epitheto, & periphraſi. Cap. X.

ONOMATOPOEIA, Latine, nominis fictio & formatio: quę re vera non eſt tropi ſpecies, cũ per eam nõ transferatur nomen iam factum, ſed quod non erat, de nouo ad alicuius rei imitationem ſimilitudinem que fingatur, & aliquando ſine vlla analogia ob neceſſitatem. Huc pertinent nomina quę imponuntur rei ad imitationem ſoni, quem edit; vt, cymbalum tinniens; tinnire, formatũ eſt a ſono cymbali: quæ imponuntur ob imitationem morum; vt, patrizare, hoc eſt patris mores imitari: quæ ad ſimilitudinem alterius verbi effinguntur; vt Chriſtianus, ſicut Romanus: Excommunicatio, ſicuti exhæreditatio: & quæ formantur ad exprimendam vim vocis alterius linguæ; vt, Manicare, ad exprimendum id, quod Græci dicunt ὀρθρίζειν, & Hebræi, ſciacam, quod ſignificat ſummo mane ſurgere: ſeminiuerbius, græce ſpermalogos: denique, quæ rebus recens exortis imponuntur: qua ratione multa in Chriſtiana ſchola fingere neceſſe fuit: & ita Chriſtiano doctori multa licet vſurpare verba, quæ olim non erant; vt Abbas, Cardinalis, homouſion, Deipara campana, & id genus alia: vel quę iam erant ad aliquid aliud ſignificandum traducere; vt ſacramentum, fides, gratia, deuotio, &c. Quorum verborum vſum nemo prudẽs vituperaret.

1.Cor.13.

Luc.1.et 21. *Gen.19.*

Hoc tropo, qui materno ſermone ſcribunt, non raro vtuntur: ſed tamen ſine neceſſitate nomina fingenda nõ ſunt: in quorum fictione bonorum auctorum conſuetudo eſt attendenda: cuius rarus debet eſſe vſus, vt omnis obſcuritas & oſtentatio vitetur.

Antonomaſia, latine Pronominatio, eximia appellatio, ſiue nominis permutatio, cum nomen proprium permutatur, & aliquid illius loco ponitur, nomineve extraneo aliquid nominatur; vt ſi pro Moſe dicas legiſlatorem: pro eccleſia Sion: pro Paulo, Apoſtolum: vulpem pro Herode: Pharaonem pro crudeli: malũ, pro diabolo; vbi ſolo epitheto deſignatur perſona, & cum pro Chriſtianis dicimus, Vncti, Sancti, Vocati, Fratres: & deniq; cum deſcriptio ponitur pro perſona deſcripta; vt, regius vates, pro Dauide; humani generis Recuperator, pro Chriſto, & Angelorum hominumq; regina, pro Maria virgine. Vnde Beda de Antonomaſia loquẽdo dixit, eſſe appellationem ab accidentibus collectam, quæ propriam indicat perſonam. Quo fit, vt ex varijs locis peti-

poſſit,

poſſit,ab animo,a corpore,ab extrinſeco;vt,a genere, Filius Iſai, id eſt Dauid:filius Dauid, id eſt Chriſtus:a loco, Qui habitat in cœlis,id eſt Deus:ab actu,qui tradidit illum: ab euentu,Diſcipulus,quem diligebat Ieſus. Per hanc loquendi formam varijs modis in diuinis literis nominatur Deus.

1. Reg. 17.

Habet Antonomaſia vim magnam ad laudandum & vituperandum; vt cum Antichriſtus dicitur Abominatio:diabolus fur, malus:Herodes,vulpes,Deus caritas,Chriſtus Oriens, &c. Valet etiam ad orationis copiam, & vbertatem atque grauitatem. Huic valde affinis eſt Periphraſis, de qua ſtatim agemus,ſi prius de epitheto,quod aliqui Antonomaſiæ ſubijciunt,dixerimus.

Diom.

Epitheton latine, Appoſitum, Cicero, Additum vocauit, Grammatici, Adiectiuum. Fiunt epitheta ex nominibus,tum adiectiuis,tum ſubſtantiuis,& aduerbijs;ut,pater optimus,pater patriæ, Maria uirgo:prudẽter loquitur: adduntur autem,aut nominibus, aut uerbis;ut, Deus æternus, Chriſtus recuperator: ſcienter neſcit,docte errat: ſunt tamen qui epitheta ſic diſtinguant.

Orig. Ion. de Mag.

Alia ſunt uoce tantum, quæ alicui non inhærent, & quę per tres articulos declinantur;ut,Ego,tu,ſui:Alia ſignificatione tantum,quæ inhærent, ſed per tres articulos non declinantur; ut pater,mater,lumen,ſplendor:Alia uoce & ſignificatione, quæ inhęrent & declinantur,vt ſunt omnia pura adiectiua, ſanctus, pius, iuſtus.Neque ſolum perſonis,ſed etiã rebus adijciuntur; ut mors impiorum peſſima: quę ſuis rebus & perſonis aptiſſime conueni re debent,ut ueſtes ijs qui ueſtiuntur:& pręſertim quibuſdã perſonis,quę ſine ſuis epithetis parum honeſte nominantur.Ideo dicimus, Deus opt.maxi.beatiſſima Virgo, doctor excellentiſſ.ſacra Theologia, uir clariſſimus, fœmina pudica, ſtudioſus adoleſcens.

Marbot.

Sumuntur epitheta ab animo,a corpore,a bonis externis,a decem categorijs,ex bonis auctoribus,& ex literarũ ordine,ut amabilis,bonus,carus,diligens,egregius,fidelis, gratus, & honorandus amicus.

Valent ad ornandum, cum ſint quaſi orationis & uerborũ ueſtimenta;ut,miſericors & miſerator Dominus,longanimis, & multum miſericors; ſine quibus rudis & incompta eſt omnis oratio:ad amplificandum & augendum; pręſertim cum dictionibus rectis & regentibus adijciuntur; ut cum dicitur, radix uitiorum auaritia:& ad indicandum,argumentandumque. Verum hic uerborum ornatus non debet eſſe multus, ne magis oneretur, quam

orne-

ornetur oratio:præſertim in ſoluto ſcribendi genere: in quo non vſurpantur epitheta,niſi uim & emphaſim habeant:quare multa epitheta quę carmen ornant,ſoluta oratio reſpuit; in qua non diceretur,Candida nix,liquida uina,&c.Deniq;,ſi frequentētur, uim definiendi,& deſcribendi habent;ut ſi Deo diceres,Tu autē domine ſuſceptor meus es,gloria mea, & exaltans caput meum. Quo etiam modo Iudas Apoſtolus aliquando falſos deſcripſit Apoſtolos. *Pſal.3.*

Periphraſis,Latine Circuitio,cum pluribus uerbis id effertur, quod uno,uel paucioribus efferri poterat;ut, Qui facit mirabilia ſolus,pro Deus:Auerte faciem tuam a peccatis meis,pro ignoſce. Quo fit,ut orationem pleniorem & ſignificantiorem reddat; prę ſertim cū recto obliquus caſus decoris gratia adiungitur;ut,Chriſti perpeſſio hominis culpam deleuit:peccati deformitas,ſceleris magnitudo,&c.Quidquid itaque breuius dici poteſt,ſi cum ornatu & copia efferatur,Periphraſis eſt: quę non ſolum in perſonis, vt Antonomaſia,ſed etiam in rebus locum habet. *Pſal.71.* *Pſal. 50.*

Solet autem his tribus modis fieri:notatione,ſeu etymologia, definitione,& deſcriptione.Notatione,ſeu nominis definitione hoc modo,ſi pro Ieſu, dicas, qui populum ſuum ſaluum faciet: Nobiſcum Deus,pro Emanuel:Filius dexterę,pro Beniamin.Definitione,cum definitio ponitur pro re definita;ut cum dicitur,Sacrę rei ſignum,pro Sacramento: ſubſtantia rerum ſperandarum, & argumentum non apparentium,pro Fide: Deſcriptione,cum ex adiunctis,& effectis,ſigniſq; res aliqua deſcribitur,& talis deſcriptio pro re ipſa ſumitur;ut Vas electionis,pro Paulo:uir ille ſimplex & rectus ac timens Deum,& recedens a malo, pro Iobo: Qui bonorum noſtrorum non eget,pro Deo. Poteſt Periphraſis addi uerbo cuius eſt periphraſis,uel loco uerbi aſſumi ; tum ſimplex,tū frequentata:cuiuſmodi paſſim in pſalmis & in Iobo Dei periphraſes illuſtres reperiuntur. In ſumma,omnia quæ pluribus uerbis efferuntur, Periphraſis nomen ſortiuntur; ut, Replere in bonis deſiderium,pro cupita tribuere. Periphraſis non debet eſſe nimis longa,ut eſt hæc Ouidiana, *Matt. 1.* *Heb. 11.* *Iob 1.* *Pſal.15.* *Pſal. 102.*

Ille ego ſum qui longum metior annum,
Omnia qui video,per quem videt omnia tellus
Mundi oculus.

Periphraſes non ſunt ad uerbum anxie reddendæ,ſed ſola uis nominis exponenda:ut,non rapinam arbitratus eſt,id eſt nō rapuit. Confert hęc figura ad aliquid magis ſignificandum & ornandū, ad co-

ad copiam,ad rem aliquam minus honeſtam honeſte exprimendam, & ad id enunciandum, quod alias nomine caret;vt,Mola aſinaria,pro ſaxo,quod in molis ſubſeruitur:quo fit,ut etiam ea vtamur,cum rei nomen nobis non occurrit:vt contingere ſolet in auctorum verſione & expoſitione.Orator preſſius circumſcribit,quam poeta,ne in Periſologiæ uitium labatur;nec immodice hac figura utitur,ne in Aſiatiſmum incidat.

Atque hactenus de tropis: nam de hyperbole, quæ in tropis a quibuſdam reponi ſolet,infra agetur. Antequam autem huic parti,in qua de tropis egi,finem facio, quædam obſeruatione digna breuiter ſubijciam.

Primum, eum vim Troporum percepturum,copiam habiturum,& in legendo agniturum,eiſque recte vſurum, qui locos topicos vnde dimanant cognitos habuerit. Is itaque ſolus percipiet quomodo vim habeant ad ornandum, ad amplificandum, ad demonſtrandum ſub oculoſque ponendum,arguendum,docēdum,atque delectandum,qui locos habuerit perſpectos.

Deinde,illud breuiter adnotauerim,ad quos locos iam numeratæ figuræ reuocentur:Metaphora ad locum ſimilium:Metonymia,ad cauſſarum & effectorum,adiunctorumque locum:Synecdoche ad locum totius & partium:ad eoſdem Catachreſis,Metalepſis,& Allegoria:Ironia & Sarcaſmi ad contraria:& denique reliquos ad definitionem rei,vel nominis reuocares.

Præterea,cum quis his ornamentis quibus augetur,& vehemētior redditur oratio uti uoluerit,is rei naturam,partes,cauſſas,effectus,proprietates,adiuncta,ſimilia, contrariaq; animaduertat, & tunc illis apte & appoſite vti poterit,& an alius vſus fuerit intelligere. Sed rem obſeruatione digna aliquibus illuſtremus exē
Pſal. 35. plis:Torrente voluptatis tuæ potabis eos:Lætentur cœli, exultet terra,commoueatur mare,& plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia,quæ in eis ſunt:Fluminis impetus lætificat ciuitatē Dei:
Luc. 1. Illuminare his qui in tenebris & vmbra mortis ſedent,ad dirigēdos pedes noſtros in viam pacis:Egredietur uirga de radice Ieſſe,
Iſa. 11. & flos de radice eius aſcendet:vbi, Virga,tranſlate potentiam deſignat,& flos pulchritudinem:habitabit lupus cum agno:lætabitur deſerta & inuia,& exultabit ſolitudo, & florebit quaſi li-
Iſa. 35. lium,&c.vbi lætitia conuerſionis Gentium verbis mirifice tranſlatis amplificatur,& ob oculos ponitur: Quare præcipitas hæreditatem Domini:verbum præcipitas,mirifice amplificat:verbum, hæreditatem,vim maximam argumentandi habet.

Poſtremo,qui troporum varietatem & uim tenuerit,is copioſe loqui poterit,cum quod proprijs verbis dicitur, per uarios tropos efferre liceat:de quibus hactenus.

Quid et quotuplex ſit ſchema. *Cap. XI.*

TANTA eſt ea eloquétię uis atq; dignitas quæ a ſchematis ſumitur,vt Rhetores omnes pręcipuam bene dicendi partem in eorum uſu poſitam eſſe exiſtimarint. Quamobrem,hæc orationis ornamenta quæ ſchemata uocantur, accurate nobis explicanda eſſe iudicauimus:idque ob eam quoque cauſſam,quod in diuinis literis frequenter occurrunt:quorum cognitio ad eas recte intelligendas, & ad conciones conformandas mirum in modũ confert. Dicam igitur primum de ſchematis vniuerſe:tum de ſingulis priuatim,eorum vim vſumque demonſtrando.

Et vt ab ipſo auſpicemur nomine,Schema,eſt vox græca,latine forma,habitus,& geſtus:& interdũ pro modo, gradu, ſpecie, & ſaltandi arte ponitur. Per Metaphoram igitur illę dicendi formulæ in quibus eſt aliquis uel verborum, vel ſententiarum ſplendor,ſchemata,id eſt habitus & geſtus nuncupantur. Vt enim ſe habent veſtimenta & geſtus in corpore,ita ſchemata in oratione. Quare,quemadmodum corpori plura veſtimenta aptari poſſunt,alia ad honeſtatem,alia ad grauitatem,alia ad luctum,alia ad uoluptatem; ita etiam uaria ſchemata varie orationi accommodantur. Quo fit,ut quemadmodum pronunciatio ſine geſtus varietate ingrata & quaſi languida,ac mortua exiſtit; ſic etiam oratio ſi ſuis ſit ſchematis ſpoliata:& ut uocum alia eſt figurata, alia non figurata; ita etiam orationum alia eſt ſine ſchematis nuda,alia ſchematis veſtita. *Ergo abſolutũ diſſ. li. 1. de eloq. ora.*

Eſt ergo ſchema,figura per quam dictio vel oratio a ſua propria ſignificatione non mutatur,in aliã,ſed quaſi luminibus verborum & ſententiarum, ſuo quodam modo locatis,diſtinguitur, atque exornatur.Sunt itaque ſchemata quaſi orationis lumina, ſtellæ,inſignia,pigmenta,colores,flores,cõformationes,habitus, & geſtus.

Schema uniuerſe ſumptum,quo nomine Cicero aliquando etiam Tropum complectitur,duplex eſt;alterum grammaticum, alterum rhetoricum:illud dicitur grammaticum quod ad recte loquendi ſcribendiq; rationem pertinet: illud rhetoricum, quod ad exor-

ad exornandum amplificandumq; refertur. Grammaticum ſchema duplex, alterum dictionis, quod in quadam ſingulorum verborum transformatione conſiſtit, quod græce Metaplaſmus dicitur: alterum ſermonis ſiue cõſtructionis, quod in quadam verborum conſequutione a communi vſu remota cernitur. Quæ duo ſchematum genera, & ad copiam, & ad ornatum, tum poeticum, tum oratoriũ aliqua parte faciunt: & quia Metaplaſmi priuatim poemata exornant, proinde poetica uocantur ſchemata.

Rhetoricum ſchema, ſi vniuerſe ſumatur, in tres diuiditur partes: nam alia ſunt dictionis, vt ſunt Tropi, alia orationis, alia ſentẽtiarum: quæ duo genera in eo differunt a primo, quod in illo vocum fit tranſlatio, in his non item: quamuis in eadem oratione omnes vel plures formæ ſæpe reperiantur. De Tropis ſupra diximus, nunc de duabus alijs partibus, quæ proprie ſchemata vocantur dicturi ſumus.

Eſt itaque rhetoricum ſchema, quod verborum & ſententiarũ concinnitate atque ſplendore ſupra grammaticum modum exornat orationem: quod, vt dicebam eſt, vel orationis ſiue uerborum, vel ſententiarum. Verborum ſchema, eſt exornatio qua ordo ſitusque uerborum figuratur, & ſupra vulgatam grammaticę conſtructionem uariatur. Hoc itaque ſchema, ex ſe, nec uocum mutationem, nec ſententiæ, ſiue affectus ſignificationem requirit, licet interdum animi habitum deſignet, vt infra patebit. Sententiarũ ſchema, eſt quod non in uerbis, ſed in rebus & affectibus quandam habet dignitatem: Vel, eſt dicendi forma, quæ geſtum, motũque, & magnitudinem tribuit orationi. Inter hæc duo ſchematũ genera, illud diſcriminis ponitur; quod primum mutatis verbis tollitur; alterum vero manet; ut ſi in aliqua ſentẽtia eſſet Interrogatio, & Repetitio; hac remota, illa permanere poteſt. Hæc duo genera in ſuas partes diuidere licet, id quod poſtea fiet.

Ideo autem omnis rhetorica conformatio ad hæc duo genera reuocatur, quod in oratione duo tantum ſpectari poſſint, & animi ſententia, ſiue res ipſa hoc uel illo modo animo concepta & voce expreſſa, & verba quibus ſententia exprimitur: quare omnis figurata loquutio, aut erit uerborum, aut ſententiarum: in quarũ vtraque a communi modo, uel concipiendi, ſentiendive, & loquendi receditur. Et cum animus & ſermo in uarias formas & habitus ac geſtus mutari poſſint; hinc eſt, quod utriuſque ordinis uarię ac diuerſę ſunt figurę. Et quo magis quiſpiam animum ſenſumque poteſt commutare, eo magis ad uarias figuras exprimendas erit

das erit idoneus; vt libro primo de Eloquutione late docuimus: vbi nonnulla alia huc pertinentia, nō ſine utilitate, videre licet. Rurſus ſchematum, alia ad docendum, alia ad delectandum, alia ad mouendum vim habent: quamuis non negauerim quædam omnia hæc munera, aut duo præſtare. Atque alijs diuiſionibus, quæ afferri poſſent in alium locum reiectis, aliquid de ſchematū vſu vniuerſe dicamus.

Cum ſchemata fere omnia animi habitus & quaſi geſtus exprimere debeant, vt Orator congruenter ſchematis utatur, diligenter animaduertere debebit, quod ſchema cuique ſit accommodatum affectui, vt in tali affectu ſiue ſententia exprimenda eo vtatur; vt gratia exempli, irato conuenit, Reticentia, Imprecatio, Maledictio: ei qui vehementer aliquid deſiderat Optatio, Cōmoratio, Aggratulatio, Votum; & idem de alijs dicas. Quare, eo modo bonus Concionator loquetur, quo eos loqui animauerterit, qui ſunt aliqua affectione commoti. Exempli gratia, potuiſſet Dauid in pſalmo quinquageſimo ſemel perpetrati peccati veniam petere: tamen, quia vehementer eam deſiderabat, per figuram epimonen ſæpius petit, & in eadem re commoratur. Idem ſimpliciter dicere potuiſſet, Domine, nihil de me ſentio; & tamē ad ueritatem demonſtrandam & aſſeuerandam per repetitionem eandem rem quartum enuntiat, Domine, non eſt exaltatum cor meum, &c. & iuramento confirmat, Sicut ablactatus, &c. Habet itaque ſchema uim maximam in enuncianda ſententia, quæ ſine ſchemate prolata frigeſceret, & langueſceret. Fortius itaque pugnat, ac ferit, non ſecus ac ſagitta, quæ baliſta fuerit emiſſa. Parū habet neruorum ſi dicas, Nolite vanitatem, mendaciumque diligere; At vero multo plus ſi dixeris, Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Regius Vates dicere potuiſſet, Nemo eſt, qui recte viuat, at quanto efficacius dixit, Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Denique, idem ornatiſſimus poeta, ſi ſimpliciter hanc ſententiam pronunciaſſet, Domine, ſi feci peccatum, quod mihi tribuitur, pœnas de me ſume, non ita neruoſe & acriter cauſſam ſuam egiſſet, vt cum dixit, Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentib. mihi mala; decidam merito ab inimicis meis inanis: perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terrā uitam meā, & gloriam meam in puluerem deducat: vbi amplius decem ſchematis ſuam ornauit, & armauit ſententiam. Maximus itaque

Pſal. 130. *Pſal. 4.* *Pſal. 13.* *Pſal. 7.*

itaque eſt ſchematum vſus, vt libro ſæpe citato latius expoſui; vt merito Cicero ſcripſerit, Nihil aliud eſſe dicere, niſi omnes, aut certe pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias: in quarũ con gruo & aptu vſu, primum inter Oratores locum obtinuit Demo ſthenes. Sed de ſchemate vniuerſe hactenus; nunc ad primum ge nus explicandum ſtylum conuertamus.

De figuris ſiue ſchematis verborum. *Cap. XII.*

VERBORVM ſchemata in quadam venuſta atque cõcinna eorundem verborum collocatione conſiſtũt: qua collocatione ſublata, vel tollitur, vel mutatur ſchema. Quorum dignitas atque venuſtas, non ſecus atq; corporis pulchritudo, in quadã partiũ proportione, atque ſymmetria conſiſtit. Vt itaque corporis pulchri tudo oculos oblectat; ita etiam concinnitas illa & harmonia, aptaque verborum collocatio aures animumque auditoris capit: dum ſingula ſingulis, vel prima medijs, & poſtremis reſpondent, vel eodem modo cadunt, vel pariter incedunt, vel denique ſimilẽ ſonum edunt. Vt ecce, Maledicimur, & benedicimus: perſequutio nem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus: Itẽ, Vt lugentibus daret coronam, pro cinere: oleum gaudij, pro luctu: pallium laudis, pro ſpiritu mœroris: in quibus ſententijs quan dam uocum gratiam cernere licet. Ex eodem itaque fonte verborum ſchemata oriuntur, vnde omnis pulchritudo dimanat. Quę autem ſit in hoc figurarum genere proportio, quæ concinnitas, qui numerus, quod pondus, atque menſura in ipſis exemplis apparebit.

Omnia autem quæ in hoc ordine continentur ornamenta, ad hæc capita reuocari poſſunt. Primum caput, in quo ſunt ea quæ fiunt additione, ſeu repetitione eorundem, aut ſimilium uerborum: ſecundum in quo alia, quæ detractione: tertium ea continet quæ in quadam verborum concinnitate conſiſtunt. Alij hoc modo hæc ſchemata diſtribuit: Verborum proportio triplex eſt; vna eiuſdem verbi ad idem verbum certo ordine & numero ſibi re ſpondentis: altera ſimilis ad ſimile: tertia contrarij ad contrariũ, quacunque ratione ſit contrarium. Alij hoc modo, omnia verborum ſchemata, aut eorundem, aut ſimilium verborum, aut ſimilium ſonorum repetitione fiunt. In ſumma, hic ordo illa continet ornamenta, quæ in quadam verborum conformatione repeti

tioneve

tioneve conſiſtunt: quæ nos quodam ordine nunc recenſebimus, & vnico capite complectemur.

Prima itaque Repetitio fit, cum idem verbũ in eadem ſignificatione proxime repetitur;quam alij Anadiploſin, alij Palilogiã, alij Tautologiam,alij Epizeuſin vocant; Latini,Duplicationem & ſubiunctionem:vt, Exinanite,exinanite vſque ad fundamentũ in ea:Surge,ſurge Debora;ſurge,ſurge: Miſeremini mei,miſeremini mei:ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me:Terra,terra,terra audi ſermonem Domini:Iniquitatem, iniquitatem,iniquitatem ponam eam. Omnis autem vocum geminatio,vim,vehementiam,emphaſim,& euidentiam orationi tribuit;vt,Veniens,veniet:congregans, congregabo:multiplicando,multiplicabo:id eſt certiſſime,valde. *Pſal. 136. Iud 5. Iob 19. Iſa 43. Ierem. 22. Ezec. 21. Habac. 2. Mich. 2. Gen. 3.*

Secunda, cum idem verbum quod erat in fine ſententiæ ſtatim repetitur initio alterius:hãc alij Anadiploſin,alij Palilogiã, alij Epanaploſin,alij Epanaſtrophen uocant, latine, Reduplicatio:vt,Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Ieruſalem: Ieruſalẽ quæ ædificatur vt ciuitas,&c. Vetus error abijt,ſeruabis pacem: pacem quia in te ſperauimus. *Pſal. 121. Iſai. 26.*

Tertia,cum idem verbum repetitur,ſed vno,vel altero interiecto: quæ græce Diacope,latine ſectio,nominatur: vt,Virga directionis,virga regni tui: Non ſic impij,non ſic,&c. Huc referres hoc exemplum in quo continentur, omnes tres iam enumeratæ figuræ.Hæc dicit Dominus Deus,Afflictio vna, afflictio ecce venit.finis venit,venit finis:euigilauit aduerſum te:ecce venit. Venit contritio ſuper te,qui habitas in terra:venit tempus,prope eſt dies occiſionis,& non gloriæ montium. *Pſ. 44. & 1 Ezech. 7.*

Quarta,cum idem verbum ſæpius in principio inciſorum & membrorum repetitur:quam Beda Anaphoram,& epanaphorã, .i. relationem & regreſſionem nominat,alij Epibolen,id eſt adiectionem:vt, Alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum,alij genera linguarum,alij interpretatio ſermonum: Item,Periculis ex genere,periculis ex gentibus,periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus.Et in epiſtola ad Hebræos cap.11.hoc ſchemate,ſæpe initio periodorum repetitur hæc dictio,Fide,vt etiam in libro Sapientiæ cap.decimo,vox demonſtratiua,Hæc. *1.Cor. 12. 2.Cor 11. Pſal. 28.*

Quincta,cum plura verba in principio repetuntur: hanc Caſſiodorus Epimonen, hoc eſt perſeuerantiam, alij Epanalepſin, id eſt reſumptionem,uel receptionem nominant, quæ non eſt diui-

Pſal. 28. nis literis inſolens:vt, Vox Domini ſuper aquas; vox Domini in virtute: vox Domini confringentis cedros, &c. Niſi quia Domi-
Pſ. 123.95. nus erat in nobis,dicat nũc Iſrael:Niſi quia Dominus,&c.Pathetica repetitio,quæ gaudium exprimit.: Afferte Domino patriæ gentium:afferte Domino gloriam & honorem:omnia mihi li-
1. Cor. 10. cent,ſed non omnia expediunt:omnia mihi licent, ſed nõ omnia ædificant.

Sexta,cum idem verbum, vel plura verba in fine repetuntur, ſeu cum eodem verbo commata clauduntur: hanc aliqui epiſtrophen,id eſt conuerſionem & reuerſionem, alij epiphoram uoca-
Heb. 11. runt: vt, Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij
Cant. 5. mortui ſunt. Aperi mihi ſoror mea,amica mea,columba mea,immaculata mea.

Septima, cum idem verbum repetitur in principio & fine in eadem ſententia,quam alij epanadiploſin, alij Proſapodoſin,id eſt redditionem,alij Epanalepſin, Cicero conduplicationem vocat:
Pſal. 46.82 vt,Pſallite Deo noſtro pſallite:pſallite Regi noſtro,pſallite:Deus quis ſimilis tibi?ne taceas,neque compeſcaris Deus.

Octaua,cum ſit repetitio in principio & fine in diuerſis ſententijs;quam Cœnotem aliqui nuncupant,alij Symplocen,id eſt,connexum & complexionem,alij Epanalepſin. Illuſtre huius figuræ exemplum habes in pſalmo centeſimo trigeſimoquinto. Confitemini Domino,quoniam bonus,quoniam in æternum miſericordia eius.Confitemini Deo deorum, quoniam in æternum miſericordia eius. Confitemini Domino dominorum,quoniam in æternum miſericordia eius. Qui facit mirabilia ſolus, quoniam in æternum miſericordia eius,& ſic deinceps in toto pſalmo:vbi tandem Vates reuertitur ad initium,& vt cœperat concludit.

Nona,cum ita ſit repetitio,vt verbum priore loco poſitum deſignet perſonam,ſecundo vero loco perſonæ qualitatem;quã aliqui Anaſtaſim uocarunt;vt,ſi diceres, Nabal ſemper fuit Nabal,
Bern. 9. id eſt ſtultus:Non omnes,qui ſunt Iſrael,ij ſunt Iſraelitæ. Ieſus in
Theod. li. 1. hiſt. c. 3. calamitate demum vere eſt Ieſus:Athanaſius ſiluit diu,quaſi non vellet eſſe Athanaſius id eſt couſtans. Sed fortaſſe eſt eadem cum ſequenti.

Decima,cum idem uerbum repetitur,ſed in diuerſa ſignificatione,quę Antanaclaſis,latine reciproca motio,ſeu reuerberatio: vt,in codice gręco apud Paulum,ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι,id eſt laboramus egentes,ſed non egeſtati ſuccumbimus: &
2. Cor. 4. vt diuus Bernardus de animarum curatoribus ſcripſit, Accipiũt

curas,

curas,vt viuant ſine curis. Aliqui huc referunt illud Iuliani apoſtatæ de libro Apollinaris ad ipſum ſcripto, ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων, id eſt, legi, intellexi, neglexi: cui reſponſum eſt, ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως. εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως, id eſt, legiſti, ſed non intellexi *Sozom. lib.* ſti; nam ſi intellexiſſes, non contempſiſſes: Quod etiam fortaſſe *5. c. 18.* ad ſequentem referres.

Vndecima, cum per iocum, vel dicacitatem vox aliquo pacto immutata repetitur, cum literarum ſimilitudine deflectimus vocem in contrarium: vel cum vocibus diuerſam ſignificationem habentibus ludimus; & quod volumus per alluſionem exprimimus: græce Paranomaſia, latine Agnominatio, & Denominatio. Huc pertinet illa agnominatio Danielis, a Schino, & Prino, qua *Cap. 13.* impudicos ſenes condemnauit: & illa Chriſti redemptoris, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Fit hęc figura literarum ſyllabarumque commutatione, tranſlatione, detractione, & cum ad aliquam vocem alludimus. Bethel, fiet Betha *Amos 5.* uen, id eſt domus Dei vertetur in domum ſceleris: ſi Deum vis prę omnibus amare, cura vt in amore quo Deum amas, nihil ſit amari: verba ſunt verbera. Huc pertinet ſententia illa græca, ἐκ τοῦ ὁρᾶν τίκτεται τὸ ἐρᾶν, id eſt, exſpectare, paritur amare. Quo referres eã loquendi formam a coniugatis ſumptam, qua aliquid probamus; vt, non poteſt vir ſanctus, non ſanctè, de ſanctitate diſſerere: quæ etiam ad ſequentem reuocari poteſt.

Duodecima, cum idem verbum cum quadam diſtinctione & varietate non ingrata repetitur, quam Metabolen & Traductionem vocant; vt, Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere *Rom. 12.* ad ſobrietatẽ: Vanitas eſt vanitatum, immo ipſa vanitate vanius, Deum ipſum ſuper omnia non amare: Sinite, vt mortui ſepeliant *Luc. 9.* mortuos ſuos. Ego per legem legi mortuus ſum. Huc pertinet an- *Gal. 2.* tiquus verſiculus,

Mors mortis morti mortem mors morte redemit.

Et hic alius,

Mala mali malo mala contulit omnia mundo.

Hoc eſt hominis gena, pomo prohibito, calamitates.

Duodecima, quam aliqui a proxima non diſtinguunt, cum ita ſit repetitio, vt fiat caſuum variatio, græce Polyptoton, latine caſuum multitudo; vt, Quoniam ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt *Rom. 11.* omnia; ipſi gloria in ſæcula. Veſtrum deſiderium, veſtrum fletũ, *2. Cor. 7.* veſtram ęmulationem.

Decimatertia, cum talis eſt repetitio, vt quod erat prius pona

Mar. 2. tur poſterius,& contra,quam Metatheſin,ideſt Tranſpoſitionem, & Antimetabolen,id eſt commutationem appellāt: vt,Sabbathū propter hominem factum eſt,& non homo propter ſabbathum:
1.Cor 6. Eſca ventri,& venter eſcis:Deus autem hunc,& has deſtruet. Corpus autem non fornicationi,ſed Domino, & Dominus corpori:Amandus eſt ſuper omnia Deus:Deus eſt ſuper omnia amādus:Deus amandus eſt ſuper omnia.

Decimaquarta, cum idem verbum ſententiave ideo repetitur,vt propoſita perficiatur ſententia, quam aliqui Plocen vocāt,
1.Cor.5. latine Implicatio,ſeu Retractio;vt,Omnino auditur inter vos fornicatio,& talis fornicatio,qualis nec inter gentes: Vt collocet eū
Pſal.112. cum principibus;cum principibus populi ſui:alij Epanodon, i.reditum appellant.

Decimaquincta,Climax,latine Gradatio,in qua ita fit repetitio,vt plura verba quandam veluti catenam & ſcalam faciāt:quæ repetitio interdum ſingulis verbis,interdum ſententijs fit:vt,Tri-
Rom.5. bulatio patientiam operatur:patientia probationem:probatio vero ſpem:ſpes autem non confundit:Super hoc filijs veſtris narra-
Ioel.1. te,& filij veſtri filijs ſuis, & filij eorum generationi alteræ. Reſiduum erucæ comedit locuſta,& reſiduum locuſtæ comedit bruchus,& reſiduum bruchi comedit rubigo.Sed hanc poneres in illis ſchematis quæ vim augendæ orationis habent.

Decimaſexta, cum fit repetitio per frequentationem coniunctionum copulatiuarum,diſiunctiuarum,aliarumque:quam Polyſyndeton,id eſt,varie coniunctum vocant;vt,Dominus conſeruet
Pſal.40. eum,& viuificet eum,& beatum faciat eum in terra,& non tradat eum in animam inimicorum eius:Et eſurimus,& ſitimus,& nudi
Rom.8. ſumus,& colaphis cedimur,&c.Certus ſum,quia neque mors,neque vita,neque Angeli,neque Principatus,&c.

Decimaſeptima,ſuperiori contraria,quæ fit per detractionem coniunctionum,quam Aſyndeton,& Dialyton,hoc eſt Inconiun
Pſal.65. iunctum,& Diſſolutum,Articulumque vocant;vt,Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi e-
Iſa 8. ius,dicite Deo,&c.Voca nomen eius,Accelera,ſpolia,detrahe,
Rom.1. feſtina,prædari: Repletos omni iniquitate,malitia, fornicatione,auaritia,nequitia,plenos inuidia,homicidio,contentione,dolo,&c.

Decimaoctaua,Eclipſis,latine defectus,cum reticetur verbū, quod facile communi vſu intelligi ſolet, quam ad grāmaticas reuocares figuras:quæ in diuinis literis non raro occurrit.

Deci-

Decimanona, Adiunctio, cum unum verbum pluribus orationibus inſeruit, abſque mutatione, in quo a zeugmate grammatico differt; vt, Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna. Sequuntur aliæ verborum figuræ, quæ in quadã vocum ſimilium concinnitate conſiſtunt. *Pſal 91. Pſal. 61.*

Vigeſima, Homœoptoton, latine ſimilitercadens, cum duo vel plura commata ſimili caſuum ſono deſinut: vel, ut ait Beda, cum in ſimiles ſonos deſinunt dicta plurima: cum denique ſimilibus caſibus variatur oratio, etiamſi diſſimilia ſint quæ declinantur: nec tantum in fine commatum & membrorum deprehenditur, ſed ſat eſt ſi caſus quocunque modo ſibi reſpondeant; vt, Qui per fidem uicerunt regna, operati ſunt iuſtitiã, adepti ſunt repromiſſiones, obturarunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. *Hebr. 1. 11.*

Vigeſimaprima, Homœoteleuton, hoc eſt, ſimiliterdeſinens, cum verba ſimilia, vel cola & commata eodem exitu terminantur: vt, Melius eſt videre quod cupias, quam deſiderare quod neſcias: Melius eſt a ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi. Turbabor, inquit Auguſtinus, ſed non perturbabor, quia vulnerum Domini recordabor. Hæ duæ figuræ ornatiſſime coniunguntur; vt diligere formam, negligere famam. *Eccl. 6 et 7.*

Vigeſimaſecunda, Iſocolon, Latine Compar, & Membrum, cũ orationis membra ex pari fere ſyllabarum numero conſtant; vt, Iuſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur, plãtatus in domo Domini, &c. Ter virgis cęſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, &c. Si ſingulis verbis fiat, aliqui faciunt aliam figuram, quam Articulum vocant, de quo ſupra meminimus. *Aug. lib. 4. de doctr. c. 7* *Pſal. 91.*

Ad hunc poſtremum ordinem poſſes referre Agnominationẽ de qua ſupra ſcripſimus: in qua eſt verborum ſimilitudo, cum diſſimili ſententia: qua figura eleganter & frequenter vtitur Bernardus. Reuocant alij ad verborum ſchemãta alia in quibus eſt quædam vocum contrarietas; ut ſunt, Contentio, ſiue Antitheſis, cum contraria contrarijs opponuntur: Contrarium, ſiue Enthymema rhetoricum, in quo vis quædam argumenti continetur: Commutationem, cum duæ ſententiæ inter ſe contrariæ ita efferuntur, ut a priori poſterior proficiſcatur: Relatum, cum ſingula refe

runtur ad ea quæ ſibi conueniunt; Vt,

Paſtor, arator, eques, paui, colui, ſuperaui,
Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu.

Vel cum ſingulis uirtutibus & rebus ſua attribuuntur munera; Cohabitationem, qua contraria in eadem re, uel perſona coniunguntur: Paradiaſtolem, qua ſimilia diſcernuntur, & Congeriem: quæ ornamenta alio loco a nobis afferentur. Atque hæc de uerborum figuris dicta ſufficiant.

Quædam ſententiarum ſchemata, quæ interrogationis vim habent. Cap. XIII.

ANTEQVAM quicquam de ſententiarum figuris dico, breuiter quædam numerabo capita, ad quæ omnis horum ſchematum uarietas reuocatur.

Aliqui igitur dicunt, ſententiarum figuram eſſe, qua affectus ornate exprimitur, aût res aliqua ornate augetur & amplificatur. Vnde huius ordinis figuras diuidunt in eas quæ affectum mouent, & in eas quæ rem amplificât. Eſt autem amplificatio duplex, altera quæ ex uerbis, altera quę ex rebus, & ex locis dialecticis ſumitur; ut, a definitione, deſcriptione, diuiſione, diſtributione, & alijs de quibus ſupra libro quarto egimus. Alij uero ita diuidunt, ut unum caput faciant earum quæ ualent ad docendum, alterum earum quę delectant, tertium aliarum quæ mouent. Nos ad hæc capita reuocauimus: ad eas quę vim habent interrogandi, ad eas quæ animi commotionem manifeſtius exprimunt, ad eas quæ uim quandam probationis includunt, ad eas quę ſimilitudinem & comparationem continent, ad eas quæ uim dilatandæ orationis, ad eas quæ uim definiendi & deſcribendi habent, & ad eas quæ ordini diſpoſitionique inſeruiunt.

Quod attinet ad eas quæ in primo continentur ordine, notandum eſt, Interrogationem eſſe duplicem: unam rectam, ſimplicê, qua ſolum interrogamus ut aliquid ſciamus; qualis eſt hęc, Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? alteram figuratam, quæ ad aliquem animi habitum affectumque exprimendum adhibetur, ac proinde inter ſententiarum ſchemata collocatur; & de hoc interrogationis genere uerba facturi ſumus. *Act. 1.*

Prima itaque huius ordinis figura dicitur Interrogatio, quę ad affectus exprimendos vſurpatur. Primo aſſeuerandi cauſſa; Vt,

Nonne

Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? quæ interrogatio habet em phaſim & energiam maximam. Secundo, inſtandi & vrgendi gratia; vt, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Non ſum liber? non ſum Apoſtolus? nonne Chriſtum Ieſum dominũ noſtrum vidi? Tertio, indignationis ergo; vt, Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Progenies viperarum, quis demonſtrabit vobis fugere a ventura ira? Interdum cum indignatione exprimitur tœdium; vt, O generatio incredula & peruerſa, quouſq; vobiſcum ero? Quarto, vt exprimatur admiratio; vt, Domine, Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra? Quam dilecta tabernacula tua Domine? ſed hic modus ad aliam figuram, quæ Admiratio dicitur reuocari poſſet: quãdoquidem Interrogatio cum alijs figuris miſcetur. Quinto, miſerendi gratia; vt, Quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, &c. Sexto, ad animi dubitationem exprimendam; vt, Quid agam? Quo me vertam? Cui comparabo te? Cui aſſimilabo te filia Ieruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te filia Sion? Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Octauo, ad corrigẽdum ſiue hortandum; vt, Quare triſtis es anima mea? quare conturbas me? Quid clamas ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus. Et denique ne plures modos ſubijciam, valet ad irridendum, contemnendum, negandum, inſultandum, comparandum, deſperandum, & ad acriter imperandum. Qui tamen affectus etiam ſine interrogatione expreſſi vim habent, modo accedat eiuſdem verbi, uel ſententiæ repetitio. Nunc quaſdam ſpeciales Interrogationis figuras ſubijciemus.

Pſal. 61. *Pſal. 2.* *Pſal. 51.* *Mat. 3.* *Hier. 9.* *Thre. 2.* *Ierem. 30.*

Secunda, Hypophora, latine Subiectio, ſiue oppoſitio, & obiectio, quæ fit cum ipſi noſtræ interrogationi reſpondemus; quę interrogationem & reſponſionem continet, & tribus modis fit. Primo, cum nobiſipſis obijcimus, quæ ab auditoribus, ſiue ab aduerſarijs obijci poſſunt; vt, Quid ergo amplius Iudæo eſt, aut quæ vtilitas circunciſionis? multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei. Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Abſit. Nunquid iniquus eſt Deus? abſit. Alio qui quomodo iudicabit Deus hunc mundum? Secundo, cum nos aduerſarium compellamus, & quaſi reſponderit, reſponſum refellimus. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Dicũt ei, Poſſumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis: ſedere au-

Rom. 3.

Rom.4. tem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis. Tertio,cum quaſi dubitantes varia proponimus, & ſingula confutamus;vt,Quomodo ergo reputata eſt?in circuncisione, an in præputio?non in circuncisione,ſed in præputio: Illuſtrior eſt hic modus cum plura membra ponuntur,& tolluntur. In ſumma ſubiectio eſt,quæ interrogationem & reſponſionem continet: vt,
Pſal.115. Quid retribuam Domino pro omnibus quę retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam.

Tertia,Percunctatio, cum interrogatio eſt huiuſmodi,ut non patiatur reſponſionem, hoc eſt,ut reſponſio expectanda nõ ſit;
Rom.11. vt,Nunquid Deus repulit populum ſuum?Abſit. Quid ergo?præ
Rom.3. cellimus eos?Nequaquam. Nunquid iniquus eſt Deus qui infert iram?(ſecundum hominem dico) Abſit.

Quarta,quam aliqui Peuſin appellant,cum talis eſt interrogatio,vt reſponſio ſit in promptu;vt,Multi dicunt,Quis oſtendit no
Pſal.4. bis bona?Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.Huc fortaſſe pertinent Interrogationes quædam diuo Paulo frequentes:quibus dum ipſi quæſtionem proponimus,& ſtatim ad eas reſpõdemus,auditorem attentum & docilem reddimus;vt, Vbi eſt
Rom.3. gloriatio tua?excluſa eſt:Per quam legem?factorum?Non:ſed per
Matt.11. legem fidei.Et Chriſtus Dominus,Quid exiſtis videre?hominem
Luc.7. mollibus veſtitum? Cui aſſimilabo homines generationis huius? Quæ eſt mater mea,& qui ſunt fratres mei?&c.

Quincta,Erotema,id eſt Interrogatum,quo,vt ait Aquila,utimur vt augeamus,vel ut ſcribit Caſſiodorus, cum amplificare volumus:vel cum interrogamus,vt ſciamus, & poſtea confutemus; huc referri poſſet illa Pauli interrogatio qua vtitur in epiſtola ad Romanos,capite octauo,ſi ſingulis partibus ſeorſim ſuæ adhiberentur negationes,quas Paulus per enumerationem ſubiecit, Quis ergo nos ſeparabit,&c.

Sexta,quæ grece Pyſma, latine Quæſitum, quæſtio,cum talis eſt interrogatio,vt ei vno verbo ſatisfieri non poſſit: & fortaſſe eſt illa eadem,quam Caſſiodorus Exetaſmon, id eſt exquiſitionẽ
Pſal.23.14 vocat,quæ fit cũ plura quæruntur,vt ſingulis reſpondeatur. Quis aſcendet in montem Domini,aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus,& mundo corde,&c. Domine,quis habitabit
1.Cor.4. in tabernaculo tuo,aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula,& operatur iuſtitiam,&c.

Septima,Apophaſis,latine Reſponſio,cum quaſi alio interrogãte,noſipſi reſpondemus, & rationem reddimus, ita ut defenſio

confeſſionem præcurrat: quæ fit aut vitandi, aut augendi criminis cauſſa: uel cum interroganti aliter reſpódetur, quam expectabat, ob iam dictas cauſſas; ut ecce, Quæro, an occideris hominem? latronem occidi. Num fuſtibus uapulaſti? & innocens quidem. Et aliquando reſpondentes aliquid aliud aduerſario obijcimus, ita ut quæſtio quæſtioni opponatur; ut fecit Chriſtus, cum Iudęis interrogantibus, cur eius diſcipuli ſeniorum traditiones tranſgrederentur, dixit, Quare & uos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem ueſtram? *Matt. 15.*

Octaua, Epitrocaſmos, quæ eſt interrogatio ſeueriſſima, ubi multa terribiliter interrogantur, quæ ad figuras amplificationis referri poſſet; ut, Quis militat ſtipendijs ſuis unquam? Quis plantat uineam & de fructibus eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? &c. Sunt tamen qui dicant, Epitrocaſmum fieri, cum, quæ pluribus dicenda erant, breuiter percurrimus. *1. Cor. 9.* *Aquil.* *Caſſiod.*

Nona, Diaporeſis, ſeu Aporia, latine Addubitatio, ſiue Dubitatio, cum interrogando nos dubitare, & aliquid neſcire, animumq; in ancipiti cura verſari ſignificamus: ut, Sed quid agam? ſi loquutus fuero, non quieſcet dolor meus: & ſi tacuero non recedet a me. *Iob. 16.*

Decima, Anacœnoſis, latine communicatio, cum aut ipſos aduerſarios conſulimus, aut cum iudicibus quaſi deliberamus: huc pertinere uidentur hæc uerba Eliu ad Iobum, Si autem habes quod loquaris, reſponde mihi, loquere: uolo enim te apparere iuſtum: quod ſi non habes, audi me: tace, & docebo te ſapientiam. Iudicium eligamus nobis, & inter nos uideamus quid ſit melius. Item, oſtende nobis quid dicamus illi: nos quippe inuoluimur tenebris. Atque hæc ſunt fere huius ordinis ſchemata. *Iob 33. 34. & 37.*

De ſchematis quibus aliquis maior animi affectus exprimitur. Cap. XIIII.

IVXTA propoſitam nobis methodum, ea nunc ſchemata explicanda ſequũtur, quibus maior aliquis animi affectus geſtuſve exprimitur; quæ in oratione pathetica potiſſimum uſurpari ſolent: in quo ordine ſequentes collocantur conformationes.

Prima, Exclamatio, quę ex aliqua uehementiori animi commotione proficiſcitur: cuius per aliquam interiectionem tacitã uel expreſ-

expreſſam ſignificationem damus. Exclamatione itaque aliquẽ indicamus affectum, ut doloris, indignationis, uel quempiam alium; & id per alicuius perſonę, aut rei compellationem: quo fit
Thre. 1. vt fere ſemper Apoſtrophen contineat; ut, O uos omnes qui tráſitis per uiam, attendite, & uidete, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor
Galat 4. meus: O inſenſati Galatæ, quis uos faſcinauit, non obedire ueri-
Mar. 9. tati? O generatio incredula, quandiu apud uos ero? quandiu uos patiar? Aliquando leniorem indignationem habet; ut, O ſtulti &
Luc. 23. tardi corde ad credendum ea quæ loquuti ſunt Prophetæ. Et cum alijs interiectionibus; Væ homini illi per quem ſcandalum uenit:
Ierem. 1. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt ualde: A, a, a: ſed A, minus exclamat, quam O, & quaſi ſua ui erumpit, ac proinde ſine minori affectationis ſuſpicione adhiberi poterit. Eſt etiam exclamatio, ubi aliquis erumpit affectus, licet nulla adſit expreſſa
Pſal. 62. interiectio; ut, Deus Deus meus, ad te de luce uigilo: Genimina
Luc. 3. viperarũ, quis oſtendit uobis fugere a uentura ira? Particulę quæ in exclamatione ſolent adhiberi ſunt fere iſte, O, A, heu, proh, en, væ, & harum ſimiles: quæ ubi maior erumpit affectus ſubintelligendæ ſunt; ut, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Secunda, Admiratio, quę eſt ueluti quædam exclamatio, ſine maiori animi commotione; ut, Quam pulchra es amica mea, quã
Pſal. 91. 68 pulchra es: Quam magnificata ſunt opera tua Domine. Aliquando hic affectus cum alijs affectibus permiſcetur: cum com-
Thre. 1. miſeratione; Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, &c. cum indignatione, Quomodo facta es meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij: cum dolore, Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo?

Tertia, Epiphonema, latine Acclamatio, quę eſt adiecta rei narratæ, uel probatæ per acclamationem oratio, uel ſententia, & ratio: quæ tunc maiorem ſplendorem habet, quando Gnomen continet: ſoletque uarios affectus exprimere; ut conſolationis, admirationis, timoris, lætitiæ, & alios. Cum itaq; ex ijs quæ dicta ſunt aliquid quaſi Corollarium, ut Dialectici loquuntur, colligitur, & quaſi finis qui aliquam amplificationem affectumve, & ſententiã continet: & in ſumma, quidquid in fine clauſulæ aures acute ferit, epiphonema uocatur. Illuſtria epiphonemata ſunt in diuinis
Pſal 32. 2. literis, & maxime in pſalmis. Exempla ſunt huiuſmodi, Beata gẽs
23. & 8. cuius eſt Dominus eius, populus quem elegit in hæreditatem ſibi: Cum exarſerit in breui ira eius, beati qui confidunt in eo;

Adiu-

Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram: Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Qui habet aures audiendi audiat: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël. Interdum continet facti cauſſam; Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei. Ponitur epiphonema in fine narratę & expoſitę rei, veluti ſententioſa concluſio: cum vocis contentione pronunciatur, & ſententiam, ſiue communem locum continet.

Quarta, Apoſtrophe, latine Auerſio, quæ fit cum ſermo ab ijs quibuſcum loquimur, vel a re de qua loquimur, ad aliam perſonã remve conuertitur: cæterum, res ad quã ſermonem vertimus per Proſopopœiam fingitur perſona. Fit etiam interdum ad ſeipſum; & non eſt ſine aliquo corporis geſtu, vociſque elatione, & aliqua animi ſignificatione. Eſt hæc figura valde familiaris diuinis ſcriptoribus, & varia, pro varietate affectuum quos exprimit. Apoſtrophe cum proſopopoeia, Quid eſt tibi mare, quod fugiſti, & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? Audi cœlum, & auribus percipe terra, quia os Domini loquutum eſt: Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, &c. Rorate cœli deſuper, &c. Montes Gelboe, nec ros, &c. Imperatoria, At tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Hortatoria, Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, & dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Obiurgatoria, Filij hominum, vſquequo graui corde, &c. Et ſub tertia perſona, Deus meus impolluta via eius. Ad ſe, Quare triſtis es anima mea? quare conturbas me, &c. Solet etiam interdum initio orationis vſurpari; vt, Domine Dominus noſter, quam admirabile, &c. Quid gloriaris in malitia? qui potés es in iniquitate: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, &c.

Pſ. 111. 23. 24. 10. & 4
Iſa. 1.
Ier 2.
2. Reg. 1.
Pſal. 8. 51. & 102.

Quincta, Apoſiopeſis, latine, Reticentia, Obticentia, aliqui Interruptionem vocant, qua ob ingentem animi affectum abrumpitur oratio, & inchoatæ ſententiæ ita curſus reuocatur, vt altera pars non expreſſa intelligatur. Fit itaque ob aliquem maiorem affectum iræ, indignationis, doloris, & alicuius perſonæ interuentu, vt accidit in comœdijs. Illuſtre huius figuræ exemplum doloris cauſſa factæ habetur in ſermone Chriſti ad Ieruſalem, Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequo?

Luc. 19.
Pſal. 6.

Sexta, Optatio, ſeu Votum, qui affectus naſcitur ex re valde deſide-

Cant.8. deſiderata;vt,Quis mihi det te fratrem meum,ſugentem hubera matris meæ,vt inueniam te ſolum foris, &c. Vtinam ſaperent,& *Deut.32.* intelligerent,ac nouiſſima prouiderent. Quid mihi tribuat,vt in *Iob.14.31.* infetno protegas me,& abſcondas me,donec tranſeat furor tuus, *Ierem.9.* & conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei? Quis det de carnibus eius,vt ſaturemur? Quis dabit capiti meo aquam,& oculis meis fontem lacrymarũ, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?

Pſal.107. Septima,Deprecatio,ſeu Supplicatio, cum auxilium imploramus;vt,Da nobis auxilium de tribulatione: & (id eſt,quoniam) vana ſalus hominis: Et,tu Domine Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia ſuauis eſt miſericordia tua: libera me,&c.

Octaua, Obteſtatio, cum per rem ſacram vel caram aliquid *Pſal.131.* poſcimus; vt, Propter Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem *Phil.2.* Chriſti tui:Si qua cõſolatio in Chriſto,&c.explete gaudium meũ: *2.Tim.4.* obteſtor ego coram Deo.

Nona,Obſecratio,qua aliquid obnixe ab auditoribus petimus, maxime poſt rem probatam, & amplificatam. Obſecro vos ego vinctus in Domino,&c.

Decima,Inuitatio,Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati eſtis:Omnes ſitientes venite ad aquas:Venite filij,audite me:timorem Domini docebo vos.

Vndecima, Adhortatio,Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ: Et nũc reges intelligite,& erudimini,qui iudicatis terram.Reuertere,re*Cant.6.* uertere Sunamitis: reuertere,reuertere,vt intueamur te: Virili*Pſal.30.61* ter age confortetur cor tuum,&c.Sperate in eo omnis congregatio populi,&c.

Duodecima,Dehortatio,Noli æmulari in malignantibus,&c. Nolite fieri ſicut equus & mulus,&c.

Pſ.136.128 Decimatertia,Iuramentum,& aſſeueratio;vt, Si oblitus fuero tui Ieruſalé,obliuioni detur dextera mea: Adhæreat lingua mea faucibus meis,ſi non meminero tui.Sicut ablactatus ſuper matre ſua,ita retributio in anima mea;hoc eſt, ſi non ſummiſſe de me ſenſi,ita repellar a lacte gratiæ tuæ, vt infans ab huberibus matris ſuæ. Viuit Deus (his enim verbis iuramentum exprimere ſolent Hebræi) Quia donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis,Non loquentur labia mea iniquitatem, &c.

Decimaquarta, Adiuratio; Adiuro te per Deum viuum,ut dicas nobis,ſi tu es Chriſtus filius Dei,&c.

Deci-

Decimaquincta, Execratio, cum aliquod ſcelus deteſtamur; vt o ſcelus, o peſtis, o generatio infidelis: o præſumptio nequiſſima, vnde creata es cooperire aridam malitia, & doloſitate illius? *Luc.9.* *Eccl.37.*

Decimaſexta, Imprecatio, cum alicui malũ imprecamur, Percutiat te Deus, paries dealbate: Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet. Erubeſcant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia doloſa: Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacue: Filia Babylonis miſera, Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, &c. *Pſal. 8.30.* *34.& 136.*

Decimaſeptima, ſuperiori contraria, Bona precatio, ut eſt illa apud Dauidem, Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui cuſtodit te: Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua, &c. Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini ſuper vos, &c. Ex quo loco colligitur bene precandi conſuetudo. *Pſal.120.*

Decimaoctaua, Ominatio, qua futura mala prędicuntur: eſt ita que futuri mali denunciatio; vt, Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Quia venient dies in te, & circũdabunt te inimici tui vallo, &c. *Luc.19.*

Decimanona, Comminatio, ſiue Minæ, eſt admonitio cum prędictione mali; vt, Dixi, iniquis, Nolite inique agere, &c. poſtea ſubijcitur pœnæ comminatio, Quia calix in manu Domini: Vſquequo iudicatis iniquitatẽ, &c. Vos autem ſicut homines moriemini. Terribilis eſt comminatio illa aduerſus eos, qui diuinam ſapiẽtiam audire nolunt, quæ habetur Prouerbiorum cap. primo. *Pſ.l 74.51* *& 81.*

Vigeſima, Abominatio, quæ fit cum malum, aut aliquod ſcelus auertimus; vt cũ dicimus, Abſit, Deus auertat; vt, Abſit a me, aiebat Iobus, ut iuſtos uos eſſe iudicem.

Vigeſimaprima, Indignatio, quæ maxime in pronuntiatione ſpectatur; vt, Diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem: Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei. *Pſal.6.*

Vigeſimaſecunda, Obiurgatio, & Increpatio; vt, In Domino confido, Quomodo dicitis animæ meæ, Tranſmigra in montes ſicut paſſer: Quouſque irruitis in hominem? interficitis uniuerſi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ? hoc eſt, quo uſque inimici mei in me irruitis, ut me euertatis, ceu parietẽ inclinatum, & conquaſſatam maceriẽ? Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens: nũquid nõ ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te? *Pſal.10.61* *Deut.32.*

Vige-

Vigeſimatertia, Admonitio; vt, Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine; ſicut iuraſti Dauid in uirtute tua. Memor eſto Domine opprobrii ſeruorum tuorum, &c. *Pſal. 88.*

Prou. 1. Vigeſimaquarta, Caſtigatio; vt, Vſquequo paruuli diligetis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi noxia cupient? Vſquequo piger dormies? quando conſurges a ſomno tuo?

Vigeſimaquincta, Quærela, ſeu Lamentatio, & conqueſtio: cuiuſmodi ſunt Ieremiæ Threni: Domine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſus me: Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? uociferabo ad te uim patiens, & non ſaluabis? Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. *Pſal. 4.* *Abac. 1.*

Pſ. 36. 117 Vigeſimaſexta, Conſolatio; vt, Iunior fui, etenim ſenui, & non uidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem: Dominus mihi adiutor eſt, non timebo quid faciat mihi homo. Noli timere fili mi, pauperem quidem uitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene. *Tob. 4.*

Cap. 2. Vigeſimaſeptima, Exprobratio: his uerbis exprobrabat Tobiæ eius vxor, Manifeſte vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynę tuę modo apparuerunt: & Iobi vxor, Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo & morere. *Cap. 2.*

Vigeſimaoctaua, Aggratulatio; vt, Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos a generatione, &c. Deus tu conuerſus uiuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te: Filioli mei hæc ſcribo uobis, vt non peccetis: Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur Chriſtus in uobis. *1. Ioan. 2.*

Vigeſimanona, Euchariſtia, id eſt gratiarum actio: Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Hæc figura frequenter occurrit in pſalmis, & maxime in illis, qui inſcribuntur, Alleluia.

Pſal. 31. Trigeſima, Exultatio, Lætemini in Domino, & exultate iuſti, & gloriemini omnes recti corde: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete: Iubilate Deo omnis terra, cantate, exultate, pſallite: pſallite, &c. In his enim ſententiis non ſolum continetur hortatio ad exultandum, ſed etiam exultationis affectus exprimitur: Ego ſum, ego ſum quæ Domino canam, pſallam Domino Deo Iſrael. *Phil. 4.* *Pſal. 97.* *Iud. 5.*

Pſal. 21. Trigeſimaprima, Epicherecakia, hoc eſt, gaudium de alienis malis; Omnes uidentes me, deriſerunt me. Sunt etiam quædam verbo-

verborum figuræ in quibus aliquis exprimitur affectus, ut Repetitio, Conuerſio, Complexio, Congeries, & quædam aliæ, de quibus ſupra ſcripſimus.

De Schematis quæ vim arguendi, aut confirmandi habent.
Cap. X V.

HOc capite ea explicabo ſchemata, quæ orationem qua aliquid confirmamus aliquo pacto exornare videntur; vt ſunt, Occupatio, conceſſio, correctio, &c. Ad hanc itaque claſſem has reuocares figuras.

Prima, Prolepſis, Procatalepſis, latine, Præſumptio, Præceptio, & Occupatio, qua præoccupamus id quod contra nos in aliorũ cogitatione eſſe, aut futurum, aut eſſe poſſe arbitramur, & illud aliqua ratione diſſoluimus. Habet itaque hæc figura magnam vim in oratione, & ſæpe vſurpanda eſt, præſertim in initijs. Prudens itaque Concionator, qui quodammodo auditorum perſonã ſuſcipit, uidebit quid obijcere, quid adnotare, quid petere ſimplex præſertim auditor poſſit, & illud per hanc figuram diluet: huius figuræ hęc ſubijcio exempla, Non ſolum autem illa, inquit Paulus, ſed & noſipſi primitias habentes, &c. Potuiſſet aliquis dicere, aut petere, ſola ne creatura expectat reuelationem filiorum Dei? Quod præoccupauit Apoſtolus. Et Sapiens, de Deo loquendo hanc adhibuit prolepſin: Non quia impotens eras in bello ſubijcere: Dicere nanque quiſpiam potuiſſet, Deum pepercisse hominibus ob impotentiam, quod per occupationem reijcit: Et regius Vates, Quoniam ſi uoluiſſes, ſacrificium dediſſem; Occurrit huic quæſtioni, Cur pro perpetrato peccato ſacrificium non offers? *Rom. 8.* *Sap. 12.* *Pſal. 50.*

Secunda, Antipophora, vel hypophora, latine, Oppoſitio per ſermonis exceptionẽ, vel Obiectio, cum dicta aduerſariorum proponuntur, ut illis reſpondeatur. Sunt tamen qui a ſuperiore non diſtinguunt: ita ut Occupatio duplex ſit, altera imperfecta, cum non adeſt propoſitio, altera perfecta, cum proponitur aduerſarij propoſitio, & ſubijcitur reſponſio: vel alia tacita, alia expreſſa. Vanum eſt uobis ante lucem ſurgere, &c. ſubintelligitur propoſitio, Laborauimus: Quam induſtriam diluit regius Vates, demonſtrando eam nullam eſſe ſine auxilio diuino: Multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona? hęc eſt aduerſariorum propoſitio; Signatum eſt. *Pſal. 126.* *Pſal. 4.*

Cornel. Vlt. eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine,hæc eſt,redditio. Quare, aliqui hoc pacto diſtinguũt inter Anthypophoram & hypophoram,vt illa ſit aduerſarij intentio;hæc eius confutatio.

Ioan. 16. Tertia,Antiſagoge,latine Compenſatio,contraria nimirum inductio,& oppoſitio,qua tollitur quæſtio,argumento fortiore oppoſito;vt,Mundus autem gaudebit;uos antem triſtabimini,ſed Heb. 12. triſtitia veſtra vertetur in gaudium: Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij,ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam,reddet iuſtitię.

Quarta,Procataſceue,latine Præparatio,cum rei de qua acturi ſumus colorem aliquem prætendimus;cum ſcilicet earum rerũ quæ cauſsã iuuãt, & eius quod dicturi ſumus ſemina ſpargimus; & ad idquod volumus efficiendum uiam munimus. Eſt itaque quaſi inſinuatio quædam, qua uſus eſt Chriſtus admirabili quadam ratione in conuertenda Samaritana,& Nathan in arguendo 2 Reg 12. 2 Cor. 11. Dauide:qua etiam interdum vtitur,cum admonere aut corrigere 2. Reg. 14. vult Paulus. Pulcherrimum habes exemplum in oratione qua oblique pro Abſalone deprecata eſt mulier illa,quam ad Dauidem miſit Ioab.

Quincta,Paralepſis,latine Præteritio, cum ſimulamus, dicimusve aliquid nos neſcire, aut omittere, quod tamen dicimus,& obijcimus:vel cum obiter id dicimus,quod nos dicere nolle affirmamus: Vt non dicam tibi,quod & teipſum mihi debes, aiebat Philemoni Paulus.

Sexta,Permiſſio,ſeu Conceſſio,cum aliquid iudicibus,ſeu aduerſarijs, & ijs quibuſcum loquimur iudicandum relinquimus, remve totam alterius voluntati committimus;vt, Voſipſi iudica-1. Cor. 11. te,Decet mulierem non velatam orare Deum?Proba me,& ſcito Iob 13. 31. cor meum,& cognoſce ſemitas meas:Voca me,& reſpondebo tibi,Quantas habeo iniquitates & peccata,ſcelera mea, & delicta mea oſtende mihi:Et librum ſcribat ipſe,qui iudicat.Sunt tamen qui inter Permiſſionem & Conceſſionẽ illud diſcrimen ponãt,vt Permiſſio ſit factorum,Conceſſio dictorum: vel Conceſſio eſt,cũ aduerſario omnia callide permittuntur.

Septima,Paromologia,latine Confeſſio,quando aduerſario aliquid concedimus,vt inde aliquid maius inferamus: ant, ut quæ poſita ſunt magis infirmentur, & ut reliqua magis exaggerare poſſimus: & hanc aliqui Cõceſſionem uocant.Nunquid grande eſt ut conſoletur te Deus?ſed verba tua praua hoc prohibẽt.Huc Iob 15. 2 Cor. 12. fortaſſe pertinet illud Apoſtoli,Factus ſum inſipiens:uos me coegiſtis:

egiſtis:tota igitur culpa veſtra eſt: quæ tamẽ dicendi forma ad Metaſtaſin reuocari poteſt. Sunt etiam qui in figuris numerent Conſenſionem,qua cum aliquo nos conſentire oſtendimus.

Octaua,Commemoratio, quæ eſt ueluti quædam Communicatio,qua tacita quadam ratione ab aduerſario extorquetur confeſſio:vel eſt tacitæ opinionis,ſiue veræ, ſiue fictę iudicium: ut,Licet hæc celes in corde tuo: tamen ſcio, quia uniuerſorum miſereris. *Iob 10.*

Nona,Parrheſia,latine Licentia,maior quædam non ſine cauſſa & modo loquendi libertas,liberius ſcilicet pronuntiata ſententia,commonendi,obiurgandi,aut etiam adulandi cauſſa:vt, Quare poſuiſti me cõtrarium tibi,& factus ſum mihijpſi grauis? Nũquid bonum tibi uidetur,ſi calũnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum? Voca me,& reſpondebo tibi: aut certe loquar, & tu reſponde mihi. Contra folium quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam,& ſtipulam ſiccam perſequeris? Ponat æquitatẽ contra me,& perueniet ad victoriam iudicium meum. Hac figura ſępe Prophetæ vtuntur. *Iob.7.et 10* *Iob.13.23.*

Decima,Apodoſis,ſiue Apoplaneſis,latine Reiectio,vel reprobatio quarundam rerum in quæſtionem non venire dignarum: Et mihi eſt cor,aiebat Iobus,ſicut & uobis,nec inferior ueſtri ſũ: quis enim hæc quæ noſtis ignorat? Quaſi dixiſſet,ea dixiſtis,quæ dictu erant indigna. *Cap. 12.*

Vndecima,Scheſis,latine Adfictio,qua aduerſarij affectus fingimus,ut illis reſponedamus, Tunc dicent inter gentes,magnificauit Dominus facere cum eis:ſequitur reſponſio,Magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes. *Pſal.125.*

Duodecima, Anaſceue,latine Deſtructio,vel Euacuatio,cum quæ ab aduerſarijs propoſita ſunt redarguimus & deſtruimus:vt, Nunquid æqua tibi videtur tua cogitatio,vt diceres, Iuſtior ſum Deo? Dixiſti enim,Non tibi placet,quod rectum eſt:uel quid tibi proderit,ſi ego peccauero? Itaque ego reſpondebo ſermonib. tuis,&c. Tibi ſoli tacebunt homines, & cum cæteros irriſeris, a nullo confunderis? Dixiſti enim,&c. *Iob.35.* *Iob.11.*

Decimatertia, Epithemeſis, latine Obiurgatio, ſeu Antiſtrophe,hoc eſt Inuerſio,quam, Violationem appellat Hermogenes, cum aduerſarium iiſdem verbis quibus laceſſiti ſumus, percutimus. Hoc ſchemate vſa eſt appoſite & aurgute Chananæa, cum Chriſto dicenti, Non eſſe bonum dare panem filiorum canibus, reſpondit,Etiam Domine:nam & catelli edunt de micis, quæ *Matt.15.*

cadunt de menſa domi norum ſuorum.

Decimaquarta, Metaſtaſis, latine, Tranſlatio, cum factum, ſiue crimen a nobis in alium transferimus: ſed hæc eſt ſtatus aſſum-
Gen. 3. ptiui ſpecies quędam. Hac vſi ſunt primi parentes, ſed male, cum alter ſuam culpam in mulierem, altera in ſerpentem reijcere conata eſt.

Caſſi d. Decimaquincta, Epicherema, latine Aggreſſio; fit, ut quibuſdam placet, quando ex ſimilib. ſumitur probatio; quo modo Pau-
2. Cor. 9. lus Corinthios ita vrget. Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Vel dicas eſſe breuem argumentationis complexionem, quæ interrogatione adhibita, vehementer vrget aduerſarium: quo dicendi genere ſæ-
Iob. 11. pe vtitur Paulus. Nunquid qui multũ loquitur, & non audiet? ac ſi dixiſſet, Par eſt eum audire, qui multa loquutus eſt: at tu multa dixiſti: igitur.

Decimaſexta, Dilemma, latine Complexio, qua duo contraria
Iob. 16. diſtinguuntur ſubiecta ratione: vt, Si loquutus fuero, nõ quieſcet dolor meus: & ſi tacuero non recedet a me.

Deciſeptima, Enthymema, latine Commentatio, qua contrarijs ſententijs orationis clauditur periodus; vt, Si qua ergo in
2. Cor. 5. Chriſto noua creatura, uetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua.

Decimaoctaua, Expeditio, ſeu Enumeratio, cum pluribus rebus expoſitis, aliæ infirmãtur, vt vna probetur. Itaque, ait Paulus, epu-
1. Cor. 5. lemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.

Decimanona, Aetiologia, id eſt cauſſæ redditio, cum alicuius
Pſal. 135. rei dictæ, vel propoſitę ſtatim rationem ſubijcimus; vt, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia
Pſal. 15. eius: Beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorũ eſt regnũ cœlorũ: Benedicta tu in mulieribus, &c, id eſt, quia, benedictus fructus ventris tui; Propter hoc lætatum eſt cor meum, &c. Quoniam non derelinques, &c.

Vigeſima, Dicęologia, latine Excuſatio, cum æquitatem cauſ-ſamur, & noſtram cauſſam vt æquam defendimus; vt, Ne perdas
Pſal. 25. cum impijs Deus animam meam, & cum viris ſanguinum uitã meam. In quorum manibus iniquitates ſunt; dextera eorum re-
Pſal. 10. pleta muneribus: Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum. Quoniam quæ tu perfeciſti deſtruxerunt; iuſtus autem quid fecit? Huc pertinet figura illa, quam Caſſiodorus appellat Ephexergaſiam,

gaſiam, id eſt diligentiam; quæ fit, cum viii cauſſæ plures probationes apponuntur; vt, Nouit Dominus dies immaculatorum, & hęreditas eorum in æternum erit. Non cōfundentur tempore malo, & in diebus famis ſatu rabuntur, &c. *Pſal. 36.*

Vigeſimaprima, Proſapodoſis, cū duabus, aut pluribus propoſitis ſententijs, ſua cuique ratio poſterius, aut ſtatim redditur; ut, Nam quod beneficium tempore & cupienti datur, gratū eſt: utilitas enim ac voluntas accipiendi honorem dati facit ampliorem: at quod ſero, & non cupienti datur, ingratum eſt: amiſſo enim tēpore vtilitatis, cadit accipiendi cupiditas. *Rut.*

Vigeſimaſecunda, Anangçon, latine Neceſſitudo, cum neceſſitatem alicuius rei, aut facti cauſſamur; vt, non voluntate, ſed vi coactus feci. Nam, & ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi, ſi non euangelizauero. *1. Cor. 9.*

Vigeſimatertia, Chroma, latine color, probabilis ſuſpectę cauſſę, ac rei perperam actæ defenſio; quo colore ſuam inobedientiā excuſare uoluit Saul.

De ſchematis, quæ vim ſimilitudinis aut diſſimilitudinis habent. Cap. X V I.

QVae explicanda ſequuntur ſchemata, ea ſimilitudinem, diſſimilitudinem, atque contrarietatem quandam continent: quoniam hæc, vt quandam vim probationis habent, cum ſuperioribus, ut vero ad dilatandam orationem conferunt, cum alijs quæ poſtea explicabuntur aliquo pacto conueniunt, In hoc itaque ordine hę collocantur figuræ.

Prima, Omœoſis, latine ſimilitudo, quæ rem minus cognitam per aliam magis cognitam demonſtrat. Similitudo ergo, ut Beda ſcribit, eſt minus notæ rei, per eius ſimilem, quæ magis nota eſt demonſtratio; qua figura feliciſſime diuini vtuntur ſcriptores: Sicuti qui apprehendit auribus canem, ſic qui tranſit, & impatiens commiſcetur iræ alterius: Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat iras: Sicuti qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuit inſipienti honorem. Interdum in hac figura deſideratur ſimilitudinis particula; ut, Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: & ſuſurrone ſubtracto, iurgia conquieſcunt. Huc pertinet Diſſimilitudo, & diſſimilium Colla- *Pro. 26. 17*

tio; vt, Cor iniqui inquirit mala: cor autem rectum inquirit ſcientiam.

Secunda, Icon, latine Imago, cum perfectæ formæ ſimiles inter ſe comparantur; vel ut ſcribit Beda, Icon eſt perſonarum inter ſe, vel eorum quę perſonis accidunt comparatio; ut, Vidimus gloriã
Ioan. 1. eius, gloriam quaſi vnigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis: cæterum, particula illa, Quaſi, non ſimilitudinem, ſed ueritatem hoc loco exprimit. Cum enim a mortuis reſurrexerint, neque nu
Mar. 12. bent, neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Vel imago eſt, cum ab alicuius numinis, uel animantis forma ducitur ſimilitudo; vt, Quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret. Vel eſt typus quo quaſi pi
1.Pet.5. ctura aliquid exprimitur, & repræſentatur: vt Ioannes Baptiſta eſt imago veri doctoris. Salomon in Cãticis admirabili venuſtate & varietate pingit Chriſti cum eccleſia coniugium. Vel denique, eſt formæ cum forma ex quadam ſimilitudine collatio; vt, Specioſus forma præ filijs hominum, &c. Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Differt ergo Imago a ſimilitudine, quod hæc ab om
Pſal.44.18 ni rerum genere ſumitur, non item illa.

Donat. Tertia, Parabole, Cicero Collationem vocat, eſt rerum genere differentium Comparatio: vel longior quędam ſimilitudo: ſimile, inquam, quo aliquid declaratur: quamuis, etiam breuis ſimilitudo Parabola vocetur; vt patet in toto Prouerbiorum libro. Huius figuræ exempla non ſubijcio, cum in Euangelijs paſſim admirabiles occurrant Parabolæ, quibus potiſſimum Magiſter noſter Chriſtus ad docendum, cum ſint ad hoc aptiſſimæ, vti ſolebat. Legatur itaque priuatim caput decimumtertium Euangelii Matthæi.

Quarta, Paradigma, latine Exemplum, quod, ut ſcribit Beda, eſt enarratio exempli hortantis, aut dehortantis: vel rei geſtæ ad aliquid perſuadendum, vel ad orationem illuſtrandam commemoratio. Differt exẽplum a ſimilitudine, quod ſolum a rebus geſtis perſonarum, ſiue uerarum, ſiue fictarum ſumatur, & interdũ
Iac.5.vlt. etiam a brutis; ſimilitudo vero a rebus omnibus. A perſonis ſumptũ eſt hoc, Elias homo erat ſimilis nobis, & oratione orauit, &c. quod exemplum affertur ad demonſtrandum quantum uiri iuſti
2.Cor.11. oratio valeat. Timeo, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri. A brutis, Vade ad formicam, o pi
Prou. 6. ger, & conſidera uias eius, & diſce ſapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec pręceptorem, nec principem parat in æſtate cibum

tum ſibi,& congregat in meſſe,quod comedat. Reſpicite uolatilia cœli,quoniam non ſerunt,neque metunt,neque congregant in horrea,& Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Huc referres Apologum, hoc eſt orationem qua ſermo ijs rebus tribuitur, quæ vel ratione,vel ſenſu carent,vnde ſumitur exemplum: Ac etiam Mythologiam, id eſt fabuloſarum narrationum interpretationem. Apologi exemplum habes in libro iudicum in oratione Ioatæ ad viros Sichẽ. Ex his intelligi licer,male appellari exẽplũ,& cõparationem,quidquid ad aliquid obſcurum manifeſtandum adducitur,cum potius ſimile vocari deberet. *Mat. 6.* *Iud 9.*

Quincta,Homœon, ideſt ſimile, cum ex partibus aliqua ducitur ſimilitudo; vt,Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ,ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Aliquando ab actibus;vt,Domine,vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. *Pſal. 122.* *Pſal. 5.*

Sexta,Iſon,latine Æquale, ſeu Æqualitas,quæ fit,vt Caſſiodorus ſcribit,cum res parilitate ſimiles,adhibita laude,vel detractione iunguntur;vt,Iuſtus,vt palma florebit,ſicut cedrus Libani multiplicabitur.Plantati in domo Domini,in atrijs domus Dei noſtri florebunt.Adhuc multiplicabuntur in ſenecta vberi, &c. Et erit tanquam lignum(hoc eſt,tanquam arbor fructifera)quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum,&c. *Pſal 91.* *Pſal. 1.*

Septima,Pariſon,id eſt prope æquale;fit hæc figura,ut Caſſiodoro placet,cum duæ res e diuerſo proponuntur, & una magis quam altera eligitur:vt,Melior eſt dies una in atrijs tuis,ſuper millia,id eſt ſuper chiliades dierum & annorum, licet feliciſſimorũ in hac lachrymarũ valle. Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas,labia mea laudabunt te. *Pſal. 83.*

Octaua, Syncriſis, hoc eſt contrariarum inter ſe perſonarum Collatio;ut,Hi in curribus,& hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus:Ipſi obligati ſunt,& ceciderunt: nos autem ſurreximus,& erecti ſumus. Vel fit cum res rei,vel perſona perſonæ confertur,ut pax cum bello,Saul cum Dauide. Verum Caſſiodorus tunc Syncriſin fieri affirmat,cum noſtram cauſſam iuſtiorem eſſe oſtendimus. *Pſal. 19.*

Nona,Antitheſis,Antitheton,latine Contentio, Cõtrapoſitũ, Contrarium,qua contrarijs opponuntur contraria:quæ fit,vel in ſingulis verbis,vel in ſententijs;& hæc fortaſſe eſt illa figura,quã Caſſiodorus Syndicaſmon, id eſt Collationem uocat: quam in eo a ſuperiore diſtingueres, quod ibi perſonæ contrariæ comparen-

Rom. 8. tur,hic vero res:vt, Mente ſeruio legi Dei,carne autem legi pec-
Sap. 13. cati:Pro ſanitate quidem infirmum deprecatur,& pro uita rogat mortuum,& in adiutorium inutilem inuocat, & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non poteſt,& de acquirendo,& de operãdo, & de omni rerum euentu petit ab eo qui in omnibus eſt inu-
1.Cor.4. tilis.Maledicimur & benedicimus,perſequutionem patimur,&
& 2.Cor.4. ſuſtinemus,blaſphemamur & obſecramus:Os habent & non lo-
Pſal.113. quentur:oculos habent,& non videbunt:aures habent,& non au
Iſa. 61. dient:nares habent,& non odorabunt:manus habent, & non palpabunt:pedes habent,& nõ ambulabunt;non clamabunt in gutture ſuo.Magnam vim habet ad amplificandum ,cum contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcant:& vt Baldus acute dixit, Ferrõ aperit viam,qui per contraria tranſit.Huc pertinet illud Bernardi dictum, Sibijpſi & ſuis meritis fidere,nõ fidei,ſed perfidię eſt.

Decima,Antiſagoge,Caſſiodorus Contradictionem appellat:
1.Reg 2. vt,Dominus mortificat,& viuificat:deducit ad inferos, & reducit:dominus pauperem facit,& ditat:humiliat,& ſubleuat.

Vndecima,Diaphoreſis,latine Differentia,quæ fit cum diſcri-
Pſal.36. men inter contrarias perſonas ponimus:vt,Mutuabitur peccator, & non ſoluet:iuſtus autem miſeretur & commodat.Cuſtodi innocentiam,& vide æquitatem,quoniã ſunt reliquiæ homini pacifico: Iniuſti autem diſperibunt,ſimul reliquiæ impiorum interibunt.Item,Quoniam benedicentes ei poſſidebunt terram:maledicentes ei diſperibunt.

Duodecima,Paradiaſtole,latine Diſcriminatio, cum res diſſimiles diſcernuntur contrariis redditis. vel,cum res quæ videntur ſimiles diſiunguntur,& quantum diſtent oſtenditur: vel eſt eorũ diſiunctio,quæ unam uim habere uidentur;ut non fortes,ſed cõfidentes:non ſapiens,ſed aſtutus:non ſeuerus,ſed crudelis. Nolo te parcum appellare,cum ſis auarus:nam qui parcus eſt,utitur eo quod ſatis eſt:tu cõtra per auaritiam,quo plus habes,magis eges.
Ioan.Riu. Vel denique,ut alii uolunt,fit,cum aliquid ita conceditur,ut vicinum quiddam detrahi poſſit; vt,Veritas laborare poteſt, opprimi
2.Cor.4. non poteſt:Flectimur,ſed non frangimur:Tribulationẽ patimur, ſed non anguſtiamur,&c.

Decimatertia,Antimetabole, latine commutatio,quę fit cum aliqua ſententia per contrarium immutamur, hoc modo: Non
2.Mac.6. propter locum gentem, ſed propter gentem locum Deus elegit. Hanc alii in figuris verborum ponunt, ut nos etiam ſupra fecimus.

Deci-

Decimaquarta, Synœceoſis, latine Cohabitatio, cũ duæ res cõtrariæ ſimul colligantur; ut, Tam deeſt auaro quod habet: quam quod nõ habet: labor eſt etiam ipſa uoluptas. Hæc figura fortaſſe eſt eadem cum illa, quæ Syncyceoſis, id eſt commiſtio cõfuſio, & cinnus, id eſt rerum plurimarum copulatio, dicitur.

Decimaquinta, Epanorthoſis, latine, Correctio, quæ tollit id quod dictum eſt, & aliud magis idoneũ reponit: Alij Metanœan, id eſt ſententiæ mutationem uocant: in qua hæ ſolent adhiberi particulæ, Immo, atque adeo, ſi tamen, potius, quin, potius, & ſimiles; vt, Beatus venter qui te portauit, & ubera quę ſuxiſti: Quinimo beati qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt illud. Vnum loquutus ſum, quod utinam non dixiſſem, aiebat Iobus. *Luc. 11. Cap. 39.*

Decimaſexta, Adynaton, latine Nefas, & Impoſſibile: cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt, hoc eſt, potius cœlum & terra interibunt, quod vi naturæ fieri nequit, quam verba mea. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas; & uos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. *Mar. 13. Ierem. 13.*

Decimaſeptima, Paradoxon, id eſt Inopinatum, cum aliquid preter noſtram, vel communem opinionem accidiſſe dicimus: alij eandem faciunt cum ſuſtentatione, qua aliquid præter opinionem concluditur. Huc pertinet admirabilis illa Iobi inquiſitio, quæ, ubi inueniatur ſapientia, & unde veniat, & quanti facienda ſit, quæſiuit, & tandem preter hominum opinionem concludẽdo dixit, Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia; & recedere a malo intelligentia. *Cap. 28.*

Decimaoctaua, Oximoron, id eſt acutum dictum; ut hoc Iuſtini martyris, Occidere poteſtis, ſed non lædere: & hoc, Dimidium plus toto: Melius eſt otioſum eſſe, quam nihil agere: Qui perdit animam ſuam, inueniet eam. Ad hunc ordinem referres etiam Chriam, id eſt dictum aliquod lepidum & utile, quod cum nomine auctoris citatur. *Cic. li. 3. Of. Tuſc. 2.*

De ſchematis quæ vim augendæ orationis habent. Cap. XVII.

QVAEDAM a dicendi Magiſtris adnotata fuere ſententiarum ſchemata, quę uim ornandæ & augendę orationis habent; de quibus hoc capite acturi ſumus. Quæ igitur ad hunc ordinem pertinent figuræ ſunt ferę iſtæ.

Prima, Epexegeſis, latine Addita interpretatio, cum multa verba eiuſdem fere ſignificationis eidem rei attribuuntur; alij Synonymian, hoc eſt verborum communionem ſiue congeriem vocāt: qua vtimur, cum non ſatis rei dignitatem, aut magnitudinē paucis nos demonſtrare poſſe videtur; vt, Tu autem Domine, ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum: Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus: Deus meus, adiutor meus, & ſperabo in eum: protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus: Pulcherrima eſt Synonymia cum verbum ſequens præcedentis eſt interpretatio; vt Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua, hæc enim omnia pro eodem ſumuntur.

Pſal. 4. 17. *Luc. 10.*

Secnnda, Tautologia, latine Iteratio, cum eandem ſententiam alijs, atque alijs verbis explicamus: quam alij Etiologiam vocant: quę dicendi forma eſt diuinis literis maxime familiaris; vt, Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus: Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos: odiſti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Pſal. 5.

Tertia, Exegeſis & Hermenia, latine Interpretatio, qua quod breuiter dictum ac propoſitum eſt, latius explicamus: eſt rei itaq; dictę explanatio; vt, Dominus factus eſt adiutor meus: hoc dictum ſequentibus verbis explanatur, Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia: Omnia enim veſtra ſunt: ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: omnia enim veſtra ſunt, uos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei: In qua ſentētia multa licet adnotare ſchemata: Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius: cum autem dicat. Omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio, præter eum qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia; tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Huius figuræ pulcherrimum exemplum eſt hoc apud Matthæum, Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, vbi additur ratio, & interpretatio.

Pſal. 29. *1. Cor. 3.* *1. Cor. 15.* *Cap. 6.*

Quarta, Exergaſia, & Epexergaſia, latine Expolitio, Suffiguratio; quæ fit cum vnam & eandem rem tractamus, varijſque figuris exornamus, & præſertim ijs, quæ ad auditorem commouendum faciunt: cum, inquam, ex adiunctis eandem rem illuſtramus, &

con-

confirmamus. Quæ tunc adhiberi ſolet, cum aliquid concluſum propoſitumve fuerit. Abundant diuinæ literę hoc figurarum genere; ſed e multis exemplis vnum, vel alterum attuliſſe ſufficiat. Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Poſtea reuertitur ad petitionem, Et ego ad te Domine, &c. Rurſus expolit, Pauper ego ſum, & in laboribus a iuuentute mea, & quę ibi ſequũtur. Illuſtris eſt hæc alia expolitio per tres comparationes. Et dilexit maledictionem, & venit ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo: & induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intrauit ſicuti aqua in interiora eius, & ſicut oleũ in oſſibus eius. In eodem loco, paullo ſupra, mirifice expolitur Imprecatio in aduerſarios & inimicos, Conſtitue ſuper eum, &c. vſque ad verba, Et perſequutus eſt. Expolitio conſtare ſolet propoſitionis ratione etiam duplicata, gnome ſiue ſententia, ſimili, contrario, exemplo, & concluſione. Pſal. 87. Pſal. 108.

Quincta, Epimone, latine Commoratio, cum in loco firmiſſimo in quo tota cauſſa conſiſtit manetur, eodemque reditur. Eſt huius figurę ſingulare exemplum in pſalmo quinquageſimo, vbi artificioſiſſimus Vates, cum in ſui peccati confeſſione & veniæ petitione totam ſuæ orationis vim poſitam eſſe intelligeret, in ea commoratur, ad eamque ſæpius reuertitur, cum ait, Miſerere mei Deus: Amplius laua me: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: Tibi ſoli peccaui: Aſperges me Domine: Auerte faciem tuã a peccatis meis: Libera me de ſanguinibus.

Sexta, Gradatio, gręce Climax de qua ſupra ſcripſimus, cum de verborum ſchematis egimus, quæ ad hunc etiam locum referri poteſt; quandoquidem orationem multum amplificat. Huc pertinet hęc pulcherrima gradatio per interrogationem a Paulo factam, Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem nõ audiuerunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur? Caput mulieris vir, viri Chriſtus, Chriſti autem Deus. Rom. 10.

Septima, Incrementum, cum gradatim ab infimo uſque ad ſupremum, & interdum ſupra ſummum peruenitur, cum non eiuſdem ſignificationis verba coniungimus, ſed per gradus ab infimis, & minoribus rebus ad ſuprema & maiora peruenimus. Pulcherrimum atque illuſtre eſt hoc apud Paulum incrementum, Si caritatem non habuero, factus ſum ſicut æs ſonans, aut cymba 1. Cor. 13.

lum

Pſal. 7. lum tinniens, nihil mihi prodeſt, nihil ſum: Et illud apud Dauidē, Decidam merito ab inimicis meis inanis: perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terram uitam meam (& quaſi ſupra ſummum addit) & gloriam meam in puluerem deducat. Et ædificarunt excelſa Baalim ad comburendos filios ſuos igni, in holocauſtum Baalim; quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum: Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, &c.

Iere. 19.

Luc 18.

Octaua, Auxeſis, latine Incrementum, quam aliqui a ſuperiore non diſtinguunt, alii maxime. Eſt ergo Auxeſis cum amplificādę rei cauſſa verbū grauius, & atrocius ſubiicimus loco proprij; vt cum leue erratum appellamus ſcelus, & hominem ingratum, impium, & eum qui nihil reſpondet, mutum: inflammare, pro hortari, & reuixiſſe, pro ſperaſſe. Seruum meum vocaui, & nō reſpōdit ore proprio deprecabar illum. Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini? Augēt etiam multum epitheta; vt vaſa mortis, id eſt arma lethifera: teſtium nubes: miſericors & miſerator Dominus.

Iob. 19.

Nona, Hyperbole, latine ſuperlatio, eminentia, ementiens ſuperiectio, traiectio, augendi minuendique cauſſa reperta. Fit ergo hyperbole cum res iuſto altius attollitur, aut deprimitur. Hæc figura, & ſi aliquid dicit vltra fidem; non tamen debet dicere vltra modum. Neque propterea, qui hyperbole vtitur, mentitur; quia non id affirmat quod verba ſonant, ſed in aliquid maius animum cogitationemque adducit, quam quis cogitare potuiſſet: Quare, cum dicitur, Ego autem ſum vermis & non homo; maxima quædam deſignatur miſeria, ſiue ſummiſſio, quę alijs verbis explicari non potuiſſet. Licet ergo diuinæ literę crebris utātur hyperbolis, nihil tamen mentiuntur; vt cum dicunt, Non eſt qui faciat bonū, non eſt vſque ad vnum: Quę ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros: Ecce mundus illum ſequitur.

Pſal. 21.

Pſal. 13.

Ioan. vlt.

Ioan. 12.

Decima, Emphaſis, ſignificatio, & expreſſior quędam denotatio, cum plus cogitandum relinquitur, quam verbis exprimatur, cum maiorem & altiorem ſententiam præbet oratio, quam verba ipſa declarent: denique, cum ex dicto aliquid latens eruitur. Cuius duę aſſignantur ſpecies; quarum vna plus ſignificat, quam dicit: altera, quę etiam id quod non dicit; vt, Fundamenta eius in montibus ſanctis; Eius, emphaſim magnam habet ad deſignandū aliquid ſingulare: Quid eſt homo, quod memor es eius, Homo,

Pſal. 86.

emphaſim

emphaſim continet: Sed libera nos a malo; Malum, hic multa deſignat: Hæc, inquit Paulus Timotheo, meditare, in ijs eſto: eſto, multa complectitur: Nolite timere, ego ſum; hoc per Emphaſim dicitur: Secundum miſericordiam tuam, memento mei propter bonitatem tuam, Domine: noluit etiam dicere, non propter meritum meum. Ego ille quondam opulentus, per emphaſim dicebat Iobus. Puer natus eſt nobis, Nobis, emphaſim habet. Effundam de ſpiritu meo, non alieno. Et hanc figuram fortaſſe continent omnes illæ ſententiæ quibus in pſalmis adiungitur, Sela. Eſt itaque hæc figura diligenter in diuinis literis obſeruanda, ad veram plenámque ſententiam eruendam. *Pſal.24. Cap.16.* *Iſa.9.*

Vndecima, Hyperthesis, ideſt ſuperpoſitio, cum rem aliquam omnium opinione notam ſententia noſtra ſuperare contendimus; vt, Aſcendit, & volauit, volauit ſuper pennas ventorum. Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Sed videtur eadem cum Hyperbole. *Caſſ.*

Duodecima, Diminutio, extenuatio, grȩce Mioſis, hypocriſmos, & tapinoſis, quæ Auxeſi eſt contraria; qua rem, vel perſonam noſtram, modeſtiæ cauſſa, aut etiam perſuadendi & mitigandi gratia, extenuamus: quȩ duplex eſt; altera verborum, vt cum verbo vtimur diminutiuo, vel loco proprij aliud lenius ſubſtituimus; vt cũ crudelem, ſeuerum appellamus, & ſæuum, iracundum: altera ſententiarum; quȩ figura non raro in diuina pagina occurrit. Manus Domini tetigit me: Factus ſum tanquam vas perditum: Quid loquar ad Dominum, cum ſim cinis & puluis? Hȩc fortaſſe eſt figura illa, quam Caſſiodorus Metriaſmon vocat, quæ fit, cum res magna mediocri relatione profertur. *Pſal.30 & 68.* *Iob.19.*

Decimatertia, Litote, id eſt Tenuitas, Lenitas, quam aliqui a ſuperiori diſtinguentes, fieri dicũt, cum minus dicitur, & plus intelligitur; vt cum duplici negationem aliquid enũciamus; non ignoro, id eſt optime ſcionn hoc non laudo, hoc eſt, reprehendo.

Decimaquarta, Pleonaſmos latine ſuperabundantia, cum verba quædam adijciuntur, non tam ad rem enunciandam, quam ad eius magnitudinem exprimendã neceſſaria; vt, Sanctuarium tuũ incenderunt igni: voce mea ad Dominum clamaui: oculi mei cõſpecturi ſunt: uiuam, & non moriar.

Decimaquincta, Noema, latine Cogitatio, & Alluſio ad ſentẽtiam, quam tecte ſignificamus, & eam auditori eruendam ſubintelligendamque relinquimus: vel eſt obſcurum dictum alicui ſententiæ appoſitum: vt, Nolite extollere in altum cornu veſtrũ, &c. *Pſal.74.*

ſequi-

ſequitur,Hunc humiliat,hunc exaltat; ſubintelligitur,Poterit etiam uos punire,& humiliare : Ex quibus hæc oritur ſententia, Deus ſuperbis reſiſtit. Vel Noema,ut aliqui uolunt,eſt ſententia loco communi,ſiue theſi non diſſimilis,ſed tamen præſenti cauſſæ & perſonæ annexa: vt Noctes dieſque mihi laborandum cenſeo,Quia ſcriptum eſt,In ſudore tuo veſceris pane tuo,huic loco communi,illud Noema nititur.Itē, Malo quiduis de me dici, quā perfidiæ crimen mihi afferri:Non tanti facio pecuniam, ut propterea velim aliquid facere impie. In eo differt Noema a Gnome,quod hæc non deſignat certam perſonam; vt,Mundus pluria facit opes,quam uirtutes.

Decimaſexta,Coaceruatio,græce Synthręſmos,multorum ver
borum,aut ſententiarum unam rem ſignificantium cumulus;vel
accumulatio ſpecierum,vel vocum ad exaggerandum neceſſariū;
vt,Saluum me fac, Domine , quoniam defecit ſanctus:quoniam
Pſal. 11. diminutæ ſunt veritates a filijs hominnm: vana loquuti ſunt vnuſ
quiſque ad proximum ſuum , labia doloſa, in corde , in corde
locuti ſunt:Vſquequo,Domine,obliuiſceris in finem ? vſquequo
auertis faciem tuam a me? Quandiu ponam conſilia in anima
Pſal.12. mea?dolorem in corde meo per diem : vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?reſpice,& exaudi me domine Deus meus.
Dominus ſoluit compeditos,Dominus illuminat cœcos, Domi-
Pſal.145. nus dirigit eliſos,Dominus diligit iuſtos, Dominus cuſtodit adue
nas,pupillum,& viduam ſuſcipiet,& vias peccatorum diſperdet.
Nonne diſſimulaui?nonne ſilui?nonne quieui?Nunquid non ip
Iob.3. Deu.32. ſe eſt pater tuus,qui poſſedit te,& fecit te,& creauit te?

Rom.1. Decimaſeptima, Epitrocaſmos, id eſt ſummaria percurſio,ſeu
1.Tim.4. collectio;quæ parum a proxima differt:differt tamē,quia in hac ,
quę pluribus dici potuiſſent,velociter perſtringuntur: vt,Sed rex
accepto guſtu audaciæ Iudæorum, arte difficultatem locorum tē
2.Mach.13 tabat, & Bethſuræ caſtra admouebat:ſed fugabatur,impingebat,
minorabatur.

Decimaoctaua,Frequentatio,ſeu Dinumeratio, cum quæ per
totam orationem ſeu expoſitionem ſparſim dicta fuere in unū lo
cum colliguntur,ut grauior & acrior ſit oratio:vel cum argumē
ta fuſius tractata in unum faſcem collecta oculis ſubijciuntur;vt,
Phil.4. De cætero fratres,quæcunque ſunt vera,quæcunque pudica,quę
cunque iuſta,quæcunque ſancta,quæcunque amabilia,quæcun-
que bonæ famæ,ſi qua virtus,ſi qua laus diſciplinæ,hæc cogitate.
Et Eccleſiaſtes in fine ſuæ concionis de omnium rerum vanitate,

cum latiſſime dixiſſet, omnia his pauciſſimis verbis complexus eſt, Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata eius ſerua: hoc eſt omnis homo, i. in hoc conſiſtunt omnes vtilitates, omnes delectationes, omnia bona, quæ in alijs rebus homines vane fruſtraque quærunt: cum cętera omnia, hoc vno excepto vero bono, ſint vaniſſima. Simile exemplum habes in oratione Salomonis habita in dedicatione templi.

Decimanona, Continuatio, quæ eſt denſa & continens verborum frequentatio cum abſolutione ſententiæ: ſeu vno verborum circuitu breuiter concluſa ſententia, argumentatione; vt, Offertis ſuper altare meum panem pollutum; & dicitis, In quo polluimus te? *Malach. 1.*

Vigeſima, Comparatio, cum aliquid laudatur & amplificatur, vt poſtea aliquid aliud ei præferatur; vt ſi laudaretur fides, ut ei anteponeretur caritas; vel multæ multorũ uirtutes, vt in vno omnes magis perfectas eſſe demonſtraretur. Elegans huius figuræ exemplum habes in pſalmo decimooctauo; vbi cum diuinus Vates cœlorum vim, ſoliſq; pulchritudinem mirifice amplificaſſet, his diuinam legem ob ſingulares eius effectus longe anteire eloquẽtiſſime demõſtrauit, cum cecinit, Cęli enarrant gloriam Dei, &c. & poſtea, Lex Domini immaculata, cõuertẽs animas, teſtimoniũ Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis, &c.

Vigeſimaprima, Ratiocinatio, cum rem amplificamus per cõiecturam a ſignis, vel circunſtantijs ſumptam. Quanta fuerit Goliath proceritas ex armorum quibus vtebatur magnitudine & pondere ratiocinando colligere licet. Quantus fuerit Dauidis de ſuo peccato internus dolor facile cognoſci poteſt ex eo, quod aliquando dixit, Laboraui in gemitu meo: lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. *1.Reg.17.* *Pſal. 6.*

Vigeſimaſecunda, Meriſmos, latine Diſtributio, cum genus aliquod, uel totum, vel ſubiectum in ſuas partes dilatatur, & quod ſummatim dici poterat, diſtribuendo per partes latius explicatur: vel etiam cum ſingulis perſonis rebuſque, quæ eis conueniunt diſtribuũtur. Diſtributiones vero, ait Paulus, gratiarum ſunt, &c. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alij gratia ſanitatum, & quæ apud ipsũ ſequuntur. Huc pertinet totũ canticũ Trium puerorum, Benedicite omnia opera Domini Domino; vbi per omnia creaturarum genera fit diſtributio. Similiter pſalmus, Laudate Dominum de cœlis. *1.Cor.12.* *Pſal. 103. & 148.* *Iere.3.* *Pſal.148.*

Eccl.37. *Sap.17.* Vigeſimatertia, Dialyſis, latine Diſſolutum, quæ figura cum ſuperiore affinitatem habet: verum ibi fit enumeratio: hic vero reſolutio; vt, Alius quidem eſurit, alius ebrius eſt: *1.Cor.11.* Nos autem prędicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.

Vigeſimaquarta, Epanodos, id eſt reuerſio, reditus, cum duob. aut pluribus propoſitis, ad ſingularem expoſitionem reuertimur, *2.Cor.2.* vt, Chriſti bonus odor ſumus Deo, in ijs qui ſalui fiunt, & in ijs qui pereunt: alijs quidem odor mortis in mortem: alijs autem odor vitæ in vitam.

Vigeſimaquincta Dialogiſmus, latine ſermocinatio, cum quis ſecum diſputans, quid ſibi agendũ ſit cogitat: vel cum apta cuiq; perſonæ tribuitur oratio; vt ſeni, militi, viro ſapienti; & cum perſonam loquentem fingimus, aut introducimus. Singulare exemplum habes in libro ſapientię, vbi impij ita loquentes introducũtur, *Cap.2.* Dixerunt enim impij cogitantes apud ſe non recte, Exiguum & cum tędio eſt tempus vitæ noſtrę, &c. Venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt, &c. Idem eodem libro ſed aliter loquentes, hoc *Cap.5.* eſt ſuam miſeram conditionẽ fruſtra deplorantes introducuntur: Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinẽ improperij: Nos inſenſati vitam illorum, &c. Continetur etiam dialogiſmus in pſalmo centeſimonono inter Patrem & Filium: quem pſalmum potius ſub genere deliberationis, quam laudationis contineri puto.

Vigeſimaſexta, Gnome, latine Sententia, generale nimirum ac breue pronũciatum de moribus, aut de communi vita; quo quid fiat, aut fieri ſoleat, aut debeat breuiter vniuerſeque demonſtratur: quibus quaſi quibuſdam ſtellis ſacrę micant literę; vt, Beatius *Matt.7.* eſt magis dare, quam accipere: Omnia ergo quęcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. De gnomarum natura & vſu integram diſputationem libro quarto de oratoria Eloquutione ſcripſimus.

Vigeſimaſeptima ſuperioribus contraria Brachylogia, latine Breuiloquium, breuis loquutio, cũ breuiter dicitur, quod latius dicendum erat, aut dici poterat; vt cum Poeta dixit, Et campos, *3 Reg.18.* vbi Troia fuit: & Elias, cum ad populum in cultu Dei claudicantem hunc in modum loquutus eſt, Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum.

De ſchematis quæ vim definitionis & deſcriptionis habent
Cap. XVIII.

SVNT & aliæ figuræ quæ vim ornandæ & dilatandæ orationis habent; a loco definitionis & deſcriptionis ſumptæ, quas nunc numerando breuiter exponam.

Prima, Definitio, græce Oriſmos, quæ nihil aliud eſt, quam rei occultæ explicatio & patefactio; cuius varij numerantur modi. Primus qui vocatur, per dictionem; vt, dij gentium, dæmonia: fœnus, eſt morſus. Secundus per differentiam; vt, Deus eſt verax, homo mendax: Deus eſt qui ſemper permanet, homo inueteraſcit: Gratia eſt lux, peccatum tenebræ. Tertius per remotioné contrarij; vt, Beatus is eſt, qui non abijt in cóſilio impiorum, &c.
vbi per negationem vir iuſtus deſcribitur: Deus eſt, qui nó vult
iniquitatem: qui bonorum noſtrorum non eget. Quartus per de- *Pſal. 1. et 5.*
fectum; vt, Homo eſt creatura Angelis paullo inferior. Quinctus
per metaphoram; Deus eſt ignis conſumens: Lucerna pedib. meis *Pſal. 6.*
verbum tuum. Sextus per analogiam; Elias currus Iſrael, & auri- *4. Reg. 2.*
ga eius. Septimus per laudationem; Et erat vir ille ſimplex, &
rectus, & timens Deum, & recedens a malo; & per vituperatio- *Iob. 1.*
nem, Terra miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus
ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Octauus per exempla;
vt ſi diceres, Spiritus eſt, vt Deus: Virtus eſt, vt caritas: myſteriũ,
vt Verbi incarnatio. Nonus per periphraſim, quæ a varijs rebus
ſumitur, & maxime ab effectis, & proprietatibus: qua ratione in
diuinis literis ſæpe definitur Deus; vt, Qui habitat in cœlis irride
bit eos: Qui ſtatis in domo Domini, id eſt ſacerdotes, periphraſis
a loco. Decimus per etymologiam; vt fides, quod fiat, quod dictũ
eſt: Ieſus, quia ſaluum faciet populum ſuum. Atque hi fere ſunt
qui numerantur definiendi modi. Nunc quaſdam alias afferemus *Mat. 1.*
definiendi formas, quę ſunt veluti deſcriptiones quædam. *Boeth.*

Secunda, Deſcriptio, quæ eſt oratio in qua per collatas qualita- *Natal. Cõ.*
tes, ſiue quæ accidunt & adiuncta ſunt rebus in vnum congeſta
præſtituimus, & comparamus; vel, Eſt oratio vim definitionis ſim- *Diogen.*
plicius exprimens. Multa ſunt huius figuræ quæ ſub ſe multas alias habet formas, in diuinis ſcriptoribus exempla; ex quibus vnũ vel alterum ſubijciam. Virum iuſtum hunc in modum deſcripſit Dauid, Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus de- *Pſal. 1.*
curſus aquarum; quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & fo-

lium

lium eius non defluet:& omnia quæcunque faciet proſperabun-
Pſal. 144. tur. Alio loco eleganter ſtatum fœlicis hominis, vt Paulus caritatẽ
Cap. 39. 43 ex eius effectis: Eccleſiaſticus, virum ſapientem, ſolem, lunam, ar-
31. & 24. cum cœleſtem, ſapientiam, & diuitem bonum: multarum deniq;
rerum deſcriptiones in Iobo notare licet.

Tertia, Hypotypoſis, latine Demõſtratio, Notatio, Illuſtratio, Effictio, & ſubiectio ſub oculos, illuſtris denique explanatio; qua ita res narrantur, vt potius geri, quam dici videantur: quæ a locis ſignotum, circunſtantiarumque ſumitur. Cum itaque perſonæ, loca, tempora, geſta, vel aliud quippiam ita deſcribitur, ut ſub oculos quodammodo ponatur, demonſtratio dicitur, quam ob cauſſam Energia, id eſt euidentia, ſeu perſpicuitas nominari ſolet; vt, Pſal. 9. ecce, Sedet in inſidijs cum diuitibus, in occultis ut interficiat innocentem: oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcõdito quaſi leo in ſpelunca ſua: inſidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum: In laqueo ſuo humiliabit eum, inclinabit ſe, & cadet dum dominatus fuerit pauperum. Mirabiliter & poetico more iratum Deum vel Dei irati punitionem in impios ob oculos poſuit diuinus Vates, cum cecinit, Pſal. 17. Commota eſt & contremuit terra: fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt; quoniam iratus eſt eis. Aſcẽdit fumus in ira eius, & ignis a facie eius exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo, & quæ ibi ſequuntur. Alio loco, hominem pœnitentem, Pſal. 6. Lauaui in gemitu meo, &c. Alibi, ciuitatis euerſionem, Pſal. 77. ſeu inimicorum irruptionem in vrbem. Verum huius figuræ exempla plura in ſequentib. effictionibus afferentur.

Quarta, Pragmatographia, rei ſcilicet, aut facti alicuius deſcriptio: verum, non ſolum factum, ſed etiam id quod fit, aut factum, vel faciendum fingitur, deſcribi ſolet: vt, ſi deſcriberetur prœliũ, naufragium, alluuio, vel aliquid ſimile. Exempla notare licet in Prophetis, qui ſæpe ruinam, & inſtaurationem Ieruſalem, populique Iudaici per adiuncta, antecedentia, & conſequentia, & per ſimilia mirifice deſcribunt, & Sapiens, ætatem iam affectam deſcripſit. Eccl. 12.

Quincta, Proſopographia, id eſt perſonæ effictio, qua vera, aut ficta perſona ex corporis attributis effingitur: quales ſunt Dauidis, Goliath, & quorundam aliorum deſcriptiones, & ſponſi ac ſponſæ in Canticis. Elegantiſſime Lentulus in quadam epiſtola Chriſti perſonam deſcripſit.

Sexta, Charaſteriſmus, latine Deſignatio, & figuratio, cum ſpeciatim

ciatim alicuius perſonæ ingeniũ & mores effingũtur: Quomodo Sapiens, bonę & malæ fœminæ indolẽ expreſſit, & Petrus hęreticorum mores. Hi ſunt fontes ſiue aqua, & nebulæ turbinibus agitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Superbia enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſiderijs carnis luxurię, &c. Prouerbiorum capite ſeptimo elegantiſſime impudicæ fœminæ mores deſcribuntur, Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, & quæ ſequuntur: qua deſcriptione nihil fingi poteſt illuſtrius. *Eccl. 25. 26* *2. Pet. 2.* *Pſal. 5. 51.*

Septima, Somatopœia, quæ, vt Caſſiodoro placet, tunc fit, cum rebus incorporeis corpora tribuuntur; vt, Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt: Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi. Huc fortaſſe referre licet, illum Dei cum Satana dialogiſmum, qui apud Iobum legitur. Cum itaque Deo, Dæmoni, virtutibus, vitijs, alijſque ſimilibus rebus perſona tribuitur, erit Somatopœia. Idẽ auctor ſcripſit, per energiam rei incorporeæ actum ſubminiſtrari; vt, ſuperexultat autem miſericoricordia iudicium. *Pſal. 84.* *Cap. 1.* *Iac. 2.*

Octaua, Idolopœia cum perſona defuncta ad loquendum introducitur; vt ſi quis Abrahamum aduerſus Iudæos, qui ſe eius filios eſſe iactant, loquentem fingeret: aut in quam lamentationẽ Dauid proruperit, audita Abſalonis morte: aut Ezechielem contra ſacerdotum auaritiam: aut Samuelem contra Saulem; vt M. Tullius, qui Appium Cœcum contra Clodiam ab inferis excitauit. *Orat. pro M. Cœl.*

Nona, Proſopopœia, hoc eſt Perſonæ fictio, cum rebus ſenſu carentibus & mutis, ſenſum, ſermonemve tribuimus: figura frequenter vſurpata à diuinis ſcriptoribus; vt, Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt: Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi: Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & tu Iordanis quare conuerſus es retrorſum? Nam expectatio creaturę reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens, &c. Terra, ne operias ſanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus. *Pſal. 113.* *Rom. 8.*

Decima, Pathopœia, hoc eſt maiorum affectuum, perturbationumque expreſſio, vt in tragœdiis, poemate heroico, & in grauiore oratione fieri ſolet: cuius duæ ſunt partes: altera quę dicitur indignatio, qua hi priuatim deſcribuntur affectus, odium, ira, inuidia, metus, triſtitia, gaudium, cupiditas: altera Commiſeratio, qua ad miſericordiam, veniamque, vel ad maleuolentiam excitatur affectus. Loci, quibus commouentur affectus varii ſunt, in quibus *Lege Mart. lib. 4. ſat.*

X numé-

numerantur fortuna aduerſa,ætas,locus,tẽpus,cauſſa,modus, &c. Omnes fere Prophetæ in ſuis concionibus pathetice loquuntur, & maxime Ieremias in Threnis:Iobus itidem:& in Dauide nullum fere inuenies pſalmum,in quo non ſit Pathos;vt,Vbi ſunt miſericordiæ tuæ,Domine? Vt quid,Deus,repuliſti in finem? iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuę tuę:De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam: Diſcedite a me omnes,
Pſal. 136. qui operamini iniquitatem:Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

Vndecima,Ethopœia,expreſſio morum & affectionum mitiorum:vel,vt alijs placet,Ethopœia eſt oratio ficta ad exprimendos mores,& in aliqua cauſſa affectus; vt,ſi fingeres quæ Iacob dixerit,cum filium Ioſephum a feris dilaniatum fuiſſe audiuit, quod aliquando elegantiſſime fecit Chryſoſtomus;vel cum nuntius de eius incolumitate ei relatus fuit: de qua conformatione paullo ante meminimus.Huius figuræ tres ſunt formæ: vna lęgior,qua mores,ingenia,vitia,& virtutes exprimuntur; vt in comœdijs fieri ſolet:alia cum explicantur propenſiones quæ inſunt a natura; vt amoris materni erga filios,& coniugum,vel amicorum inter ſe: tertia,cum deſignantur affectiones leniores ac remiſſiores; quæ non multum animum commouent, qua ad animos leniendos, & captandos vtimur,aut ad aliquam perſonam vituperandam;vt,
Pſal. 84. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: Deus,tu conuerſus viuificabis nos,&c.

Duodecima, Antropopathia, cum Deo,vel diuinis ſpiritibus humani tribuũtur affectus; vt iræ, pęnitentiæ,miſericordiæ,&c. Domine,ne in furore tuo arguas me: Per viſcera miſericordiæ
Gen. 6. Dei noſtri:Pœnitet enim me feciſſe hominem. Sunt qui dicant, Antropopathiam fieri cum rebus ſenſu carentibus humani tri-
Rom. 8. buuntur affectus:vt,Omnis creatura ingemiſcit.

Decimatertia,Diatypoſis,quæ eſt formatio & expreſſio habitus,cum ſcilicet perſonarum habitus,rerumque exprimuntur:vt, Miſerere mei Domine, quoniam tribulor:conturbatus eſt in ira
Pſal. 30. 7. oculus meus,anima mea & venter meus:Quoniam defecit in dolore vita mea,& anni mei in gemitibus: Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt:ſuper omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valde,& timor notis meis: Qui videbant me, foras fugerunt a me: obliuioni datus
Cap. 16. ſum,tanquam mortuus a corde,&c.Nunc autem,inquit Iobus,op-

preſſit me dolor meus, & in nihilũ redacti ſunt oẽs artus mei: Rugæ meæ teſtimoniũ dicũt cõtra me,&c. Itẽ,Semitã meã circũ ſepſit,& tranſire non poſſum,& in calle meo tenebras poſuit:ſpo liauit me gloria mea,& abſtulit coronam de capite meo: deſtru- *Cap.19.* xit me vndique,& quæ ornatiſſime,& ſplendidiſſime ſequuntur. Rerum habitus & faciem ſæpe deſcribunt prophetæ. *Threm.4.*

Decimaquarta, Topographia, hoc eſt vera & dilucida alicuius loci deſcriptio; vt eſt deſcriptio terreſtris paradiſi,Geneſis capite ſecundo,& deſcriptio cœleſtis Ieruſalem,quæ in Apocalypſi legitur.Huc pertinet,Coſmographia,Geographia,& Chorographia.

Decimaquincta,Topotheſia,hoc eſt ficti loci deſcriptio,cũ locus,qui nuſquam eſt, per fictionem deſcribitur; ut ſæpenumero faciunt poetæ.

Decimaſexta,Chronographia, id eſt temporis deſcriptio,cum dies,nox,annus,vel aliqua diei, noctiſve, aut anni pars deſcribitur:vt,In horrore viſionis nocturnæ,quando ſolet ſopor occupa- *Iob 4.* re homines.

Decimaſeptima,alicuius generationis deſcriptio;vt Adami,& Chriſti,quam duo deſcripſerunt Euangeliſtæ.Vnde liber genera- *Mat.1.* tionis,nihil aliud eſt,quam Genealogia.

Decimaoctaua,Catalogus,hoc eſt ſermo,quo perſonarum,rerumve numerus deſignatur:vt ſæpe in diuinis literis fit,& ſpecia- *Gen.4.* tim in libro,qui Numeri inſcribitur. Atque hæ ſunt figuræ quas *Eſdr.1.c.2.* ad hunc ordinem reuocari poſſe exiſtimauimus.

De quibuſdam figuris ad diſpoſitionem & methodum pertinentibus. Cap. XIX.

QVONIAM ſunt quædam loquendi formæ quæ, etſi vim ſchematum non habent;tamen quia ad recte auctores explicandos,& ad bene diſtinctequedicendum obſeruandæ & vſu terendæ ſunt; eas in vnum locum coniecimus:Sunt autem iſtæ.

Prima,Tranſitio,græce Metabaſis,cum ab vna re iam explicata, probatave ad aliam nos conferimus. Quæ duplex eſt:altera tacita, cum alio tranſimus nulla data tranſitionis ſignificatione:altera expreſſa,cum nos tranſire plane demonſtramus. Hæc item duplex;vna perfecta,cum dicta breuiter colligimus,& dicẽda proponimus:altera imperfecta, cum alterum ex dictis præſta-

Lib. 1. de Eloquut. tur. Tranſitiones varijs fiunt modis, quos hic recenſere nihil eſt neceſſe. Adhibetur autem Tranſitio præcipue vbi eſt opus docilitate, attentione, beneuolentiaque, & vbi plura ſunt capita.

Secunda, Parecbaſis, latine Digreſſio, & egreſſus, quæ fit cum ab orationis curſu diuertimur; quæ duplex eſt: altera breuis, quæ *Iob 27.* eſt veluti Parentheſis aleri ſententiæ inſerta; vt, Viuit Deus (qui abſtulit iudicium meum, & Omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam) quia donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem: Altera longior, quæ ornandi, laudandi, vituperandi, delectandi, præparandique gratia fit. Fit autem, vel poſt rem narratam, vel probatam, verſus orationis finem, & interdum in principio: ſed cauendum eſt, ne ſit nimis frequens, & longa: quam multis in locis apud Dauidem obſeruares: De qua lege quę latius libro de Diſpoſitione oratoria diximus.

Tertia, Epanodos, latine Reditus, Reuerſio, cum reditur ad interruptam orationem, vel ad eandem propoſitionem: ut multis in locis apud eundem Vatem animaduertere licet.

Quarta, Paraſceue, latine Præparatio, cum ad ea quę dicturi ſumus viam præmunimus. Hac dicendi arte vſus eſt Paulus, qui ar- *2. Cor. 10.* tificioſiſſimam præmiſit præmunitionem antequam Corinthios reprehenderet. Hanc dicendi formam in figuris non male reponeres: de qua etiam ſupra diximus.

Quincta, Præciſio, cum orationis filum abrumpimus, vel quia non eſt lõgiore oratione opus, vel quia a rei magnitudine de qua agimus vincimur, aut cum in aliquem affectum prorumpimus. Quare in ſchematis numerari poſſet, & a quibuſdam non male numeratur. Vſus eſt hac figura regius Vates, qui cum Dei magnificentiam prædicandam ſuſcepiſſet, rei magnitudine victus, orationem præſcidit, & Epiphonemate, ſeu repetita propoſitione Pſalmum octauum concluſit, Dominus noſter, Quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Et pſalmo decimooctauo, cum multas diuinæ legis vtilitates commemoraſſet, zelo quodam commotus, præſcidit orationem, & in hanc hortatoriã apoſtrophen prorupit, Delicta quis intelliget? hoc eſt, aduerſus tam vtilem, & tam ſanctam legem quis, non dicam peccet, ſed peccandi cogitationem habeat?

Sexta, Protaſis, latine Propoſitio, qua vel orationem auſpicamur, vel argumentationis, vel ſimilitudinis, comparationiſve

Z 2. prio-

priorem partem ponimus. Id autem quod initio ponitur, & id quo de agitur, ſolet per propoſitionis repetitionem iterum poni, vt in pſalmis non vno in loco obſeruares: a qua ſæpe initium capit oratio; vt, Eructauit cor meum verbum bonum, Ego dico opera mea regi: Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. *Pſal. 43.* *Pſal. 145.*

Septima, Antapodoſis, latine Redditio, quæ ſuperiori reſpondet, cum altera pars argumentationis, minor nimirũ propoſitio, aut ſimilitudinis adijcitur: ſicut tinea veſtimẽto & vermis ligno, hæc eſt propoſitio. ſic triſtitia viri nocet cordi, hæc redditio. *Prou. 25.*

Octaua, Exordium, orationis ſcilicet principium, in quo docilem, attentum, beneuolumque auditorem facimus: quę tria exordij munera, vt & ipſum exordium, ſiue propoſitio, in orationis curſu ſæpe iterantur, & innouantur: quorum innouatio obſeruanda, & in dicendo vſurpanda eſt. Audi igitur Iob eloquia mea, & omnes ſermones meos auſculta, &c. Quib. verbis exorditur Eliu: & cum multa diſputaſſet, attentionem innouando dixit, Suſtine me paululum, & indicabo tibi, &c. *Cap. 33.* *Cap. 36.*

Nona, Narratio, rei geſtæ expoſitio: Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, &c. Solent etiam narrationes innouari, quarum aliæ breues, alię longiores ſunt. Plures Narrationes obſeruares in pſalmo centeſimoquarto. Interdum ab ipſa narratione ſumitur exordium. *Pſal. 77.* *Pſal. 138.*

Decima, Partitio, ſeu diuiſio, cum rei explicandæ capita proponuntur, & poſtea ſigillatim tractantur.

Vndecima, Confirmatio, & Confutatio, cum id quod propoſitum eſt munitur, aut infirmatur. Dauid propoſita re de qua acturus eſt, his verbis aggreditur confirmationem, Quia repleta eſt malis anima mea, &c. Iobus vero, hoc pacto confutationem, Cuius adiutor es? nunquid imbecillis? & ſuſtentas brachium eius qui non eſt fortis, &c. *Cap. 26.*

Duodecima, Clauſula, hoc eſt rei narratæ & probatæ, ratiocinationiſque concluſio; vt, Itaque fratres non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos donauit. *Gal. 4.*

Decimatertia, Epilogus, ſiue Anacephaleoſis, breuis dictorum collectio, ac ſumma; vt, Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi: gloriam regni tui dicent, &c. Itaque fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere: omnia autem honeſte, & ſecundum ordinem fiant in vobis. *Pſal. 44.* *1. Cor. 14.*

Decimaquarta, Concluſio, ſiue peroratio, totius orationis terminus; qui varijs modis fieri poteſt; per repetitionem, poſtulationem, gratiarum actionem, hortationem, acclamationem, alijſque multis modis, quos quiſque facile obſeruaret. His verbis apud Iobum ſuam orationem concluſit Baldad, Hæc ſunt ergo tabernacula iniqui, & iſte locus eius qui ignorat Deum. Et Dauid pſalmo centeſimo quadrageſimóſecundo, hac ratione perorauit. Spiritus tuus deducet me in terram rectam, &c. Et alio loco, Laudationem Domini loquetur os meum, &c.

Pſal. 144.

Decimaquinta, Prolepſis, cum quę poſterius geſta ſunt, prius narrantur; quæ non vno in loco obſeruanda eſt in diuinis literis: ſicuti hæc alia ei oppoſita.

Decimaſexta, Recapitulatio, qua quæ omiſſa fuerant, aut quæ prius dici debuiſſent, poſterius dicuntur.

Vltima, Reiectio, cum aliquid tacetur, & in alium locum dicendum aut legendum reijcitur: qua figura non raro vtuntur diuinæ literæ, cum abrupto ſermone nos ad aliquem alium locum remittunt; vt ſępe in libris regum, & Paralipomenon obſeruare licet: vt. cum dicitur, Nonne hæc ſcripta ſunt in libro ſermonum dierum regum Iuda?

4. Reg. 20.

Quid & quotuplex ſit grammatica figura, & de metaplaſmis. Cap. XX.

GRAMMATICOS diuinę ſcripturę ſenſus intelligere & explicare uolenti, grammaticarum figurarum notitiam eſſe neceſſariam, mea quidem ſententia, prudens negaret nemo. Cum ergo hanc de figuris tractationem ſcribendam ſuſceperimus, nō ſolum quia ad ornandam orationem confert, ſed etiam quia ad ſacras literas intelligendas maxime iuuat, nemo nos accuſet, ſi etiam de grammaticis figuris, quarum is qui dicit non debet eſſe ignarus, aliquid, quaſi obiter ſcripſerimus; cũ ij, qui de figuris diuinę ſcripturę egerunt, de his etiam nonnihil dixerint. Rem igitur aggrediendo, primum quid & quotuplex ſit grammatica figura docebo: poſtea ſingulas breuiter explanabo.

Grammatica figura, eſt quædam loquutionis forma a communi conſuetudine remota: Vel eſt aliqua arte nouata loquendi forma. Eſt autem duplex, altera dictionis, altera conſtructionis: illa eſt poetarum maxime propria, & in carmine potiſſimũ adhiberi

ſolet,

ſolet, quæ græce Metaplaſmus, latine Trāſformatio dicitur; quod per eam ſimplicia verba a ſua prima forma in aliam immutentur; quę, ſi in oratione ſoluta temerę & ignorauter adhibeatur, Barbariſmus vocatur: quod ſi immutatio pręter ſcribentium vſum in cōſtructione contingat, Solœciſmus nominatur.

Eſt itaque Metaplaſmus literarū vel ſyllabarum vnius dictionis contra communem loquendi rationem neceſſitatis, aut ornatus gratia facta mutatio. Quę mutatio varijs modis fieri poteſt, additione, detractione, commutatione, & trāſpoſitione literę vel ſyllabę. Quo fit vt duplex ſit Metaplaſmus: alter literarum, qui orthographię, alter ſyllabarum, qui proſodię vocatur.

Antequam autem ſingulas Metaplaſmi formas expono, illud animaduertendum eſt, nos non poſſe ex codice latino huius generis figurarum, pręſertim omnium, exempla afferre; cum, vt dicebamus, hę figurę ſint poetarum proprię, & in carminibus præcipue adhibeantur. Quare, ſi quis vellet omnium exempla afferre, codex hebraicus conſulendus eſſet; in illis præſertim partibus quę carmine conſcriptę ſunt: cum in hebraicis dictionibus aliquando literę abſint, abundent, tranſponantur, & commutentur: vt omnes fere Grammaticæ hebraicæ ſcriptores docent: Ex quibus exempla afferre potuiſſem, ſed ſine maiori vtilitate hac in re immorari nolui. Nam, hic labor ijs qui hebraice ignorant, eſſet inutilis: ijs vero qui ſancta lingua delectantur, facile erit has loquendi formas obſeruare: ad quod faciendum, de illis agendo, occaſionem dabimus. Sunt autem Metaplaſmi ſpecies iſtæ. *Clenar. Belarm. Pagnin.*

Prima, quę dicitur Proſtheſis, latine Appoſitio, literæ in principio dictionis additio; vt, gnatus, gnarus, gnauiter.

Secunda, Anadiploſis, latine Geminatio, primarum ſiue ſecundarum ſyllabarum per eaſdem conſonantes aut cognatas repetitio; vt adiuro, proiuro, cucurri, momordi: quidam tamē hanc a ſuperiore non diſtinguunt.

Tertia, Epentheſis, latine Interpoſitio, quæ eſt literæ, vel ſyllabę in medio dictionis adiectio; vt omneis, pro, omnes: relligio, pro religio: alituum, pro alitum.

Quarta, Paragoge, latine Adiunctio, Hebræis frequentiſſima, literæ, vel ſyllabæ in fine dictionis adiectio; vt dicier, pro dici: hoſtis, pro hoſti. Atque hi ſunt Metaplaſmi additionis: qui ſequuntur detractione fiunt.

Aphereſis, latine Ablatio, literæ vel ſyllabæ initio dictionis amputatio; vt, mitto pro emitto: pone, pro depone: linquere pro relinquere.

linquere.

Quincta, Syncope, latine Conciſio, literæ, vel ſyllabę e medio dictionis abiectio; vt, repoſtum, pro repoſitum: Deum, pro deorũ: vincla, pro vincula.

Sexta, Apocope, latine Amputatio, literæ, vel ſyllabę in fine dictionis abiectio; vt, peculi, pro peculij: fide, pro fidei, quę figura in codice hebraico interdum inuenitur.

Septima, Metatheſis, latine Trãſmutatio, literarum videlicet, vel ſyllabarum tranſpoſitio; vt, i, præ, pro prai.

Antitheſis literæ pro litera, vel ſyllabæ pro ſyllaba poſitio; vt, optumus, pro optimus: olli, pro illi. Quas nũc recenſebo formas, eæ pertinent ad ſchemata proſodica; quæ in verſuum ſcanſione adhibentur.

Nona, Diereſis, latine Diuiſio disiunctio, diphthongi in duas ſyllabas diductio; vt animai, pro animæ: proſolueuda, pro proſoluenda.

Decima, Synereſis, latine Contractio, cum duæ ſyllabæ in vnam contrahuntur; vt derunt, pro deerunt: eburno, pro eburneo: ſultis, pro ſi vultis.

Vndecima, Diaſtole, latine Extenſio, cum ſyllaba breuis, aut anceps fit longa; vt I, in Italia.

Duodecima, Syſtole, latine Correctio, cum ſyllaba longa neceſſitate cogente, contrahitur: vt ſi a, in ærumna, corripiatur.

Decimatertia, Synalephe, latine Deletio, vocalis ob ſequentẽ vocalem remotio; vt ecc' enim.

Decimaquarta, Ethlipſis, latine Eliſio, conſonantis ob ſequentem vocalẽ ſuppreſſio; vt non equid' inuideo, pro equidem. Conſonantes, quæ ſupprimi ſolent, ſunt M.S.

Et hæc de Metaplaſmis, quorum aliqui etiam in ſoluta oratione inueniuntur: de quibus, qui volet, ea legat quæ in oratore ſcripſit M. Tullius.

De figuris conſtructionis. Cap. XXI.

CONSTRVCTIONIS figura eſt, cum in oratione aliqua dictio deſideratur, aut abundat, aut ſuo loco abeſt, vel immutatur, idque non ſine linguæ latinæ peritorum exemplo; cuius hę ſunt ſpecies.

Prima, Zeugma, latine Ligatio, adnexio, ſiue cõiunctio; quæ eſt vnius verbi, aut vnius ſubſtantiui propriori ſub-

ſtantiuo reſpõdentis ad plura atque diuerſa accommodat io: Quæ eſſe poteſt generum perſonarum, numerorum, temporum, & modorum. Si dictio quæ accommodatur ſit in principio, dicitur Protozeugma: ſi in medio, Meſozeugma, ſi in fine orationis, Hypozugma; vt, Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Deo ſpem meam. *Iſai. 1.* *Pſal 72.*

Secunda, Syllepſis, latine Comprehenſio, diuerſarum clauſularum per vnum verbum conglutinata conceptio. Concipiuntur autem genera, numeri, perſonæ vno verbo, vel nomine, vel adiectiuo: & nobilius concipit, hoc eſt, ad ſe trahit, & in ſe continet ignobilius: & quod concipit cum viciniore conuenire ſolet, ſi illud ſit ſingulare; vt Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ſat vero duo ſubſtantiua inanimata cum adiectiuo neutro in plurali copulãtur; vt, virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. *Pſal. 149.* *Pſal. 22.*

Tertia, Prolepſis, latine Preſumptio, cum totum, ſiue genus in numero multitudinis poſitum, rurſus in partibus ſubintelligitur; cum ſcilicet, quod de toto dicitur, idem de partibus in quas fit diſtributio ſubauditur; vt, Non omnis caro eadem caro: ſed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piſcium, ſubintelligitur, caro. *1. Cor. 15.*

Quarta, Eclipſis, latine Defectio, cum aliqua particula ad perfectam orationis conſtructionem pertinentẽ prætermittitur, quæ facile ſubintelligi poteſt; quę figura frequenter in diuinis literis occurrit; vt, Quoniam mane aſtabo tibi, & videbo, id eſt expectabo te, auxiliumve tuum. *Pſal. 5.*

Quincta, Protaſis, ſiue Exegeſis, latine Appoſitio, & Expoſitio, cum ſubſtantiuo obſcuriori, explicandi cauſſa, aliud proxime additur ſubſtantiuum; vt Paulus Apoſtolus, Maria virgo. *Pſal. 18.*

Sexta, Pleonaſmus, cum verbis ſuperuacuis oneratur oratio: vt voce mea ad Dominum clamaui: quorum non audiantur ſermones eorum, vbi iuxta latinam phraſim, eorum, abundat: Cuius ſemen eius in eo. *Gen. 1.*

Septima, Parelcon, latine ſuperfluũ: notatur in particulis abũdantibus, vt ſunt coniunctiones expletiuę, quę nihil ad ſententię perfectionem conferunt: ſed tamen ornatus, vel carminis gratia adhibentur: cuius figuræ varij ſunt modi, quos recenſere nihil eſt neceſſe: qui tamen ſæpe in diuino codice occurrũt; vt, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum.

Octaua, Anallage, latine Mutatio, quæ & Antimeria, & Allio

ſis,

ſis, & Alleoteta nominatur; cum vna pars orationis ponitur prò alia; vt nomen pro verbo: aut vnum accidens vnius partis pro alio; vt modus pro modo, tempus pro tempore, genus pro genere, & ſic de alijs: quę in ſacra pagina frequētiſſime occurrit; vt, vnam
Pſal. 76. petij, pro vnum: & benedictus fructus, pro, quia benedictus: nocte contra eum, pro coram eo: & non ſum deceptus, id eſt auxilij ſpe
Iſa. 26. fruſtratus: dico opera mea Regi, pro, de rege: ego dixi in exceſſu meo, pro dicebam: morientes, pro mortui ſunt. De qua figura latiſſime in libris diuinarum inſtitutionum ſcripſi.

Iſa. 10. Nona, Syntheſis, latine Compoſitio, cū orationis conſtructio non ad vocem, ſed ad vocis ſenſum accommodanda eſt; vt, Annūtia populo meo ſcelera eorum.

Decima, Synecdoche, latine Comprehenſio, eſt transfiguratio, qua id quod partis eſt, toti tribuitur; vel cum uerbo, uel adiectiuo partis accuſatiuus ſine præpoſitione ſubijcitur; ut, corde mę rens, dolet pede, latus pectore.

Vndecima, Euocatio, quę eſt appoſitio quędam; cum primę, uel ſecundæ perſonę apponitur tertia; ut, Ego Deus & non mutor; ubi prima uocat ad ſe tertiam. Sequuntur nunc figuræ quædā, quę ordinem grammaticæ orationis perturbant, ac proinde communi nomine, Hyperbata, hoc eſt Tranſgreſſiones nominantur.

Pſal. 101. Duodecima, Anaſtrophe, latine Peruerſio, ſiue uerborum inuerſus ordo; ut, Cinerem tanquam panem manducabam, ideſt panem tanquam cinerem.

Pſal. 23. Decimatertia, Hyſteronproteron, ſiue Prothyſteron, id eſt Inuerſus ordo, cum id quod poſterius fit, priore loco ponitur; vt hic accipiet benedictionem a Domino, & miſericordiam: prius miſericordia, quam benedictio, hoc eſt donum & gratia accipitur.

Decimaquarta, Hyſterologia, hoc eſt ſermo præpoſterus, cum præpoſitio, non cum caſu quem regit, ſed cum uerbo coniungitur; ut qui adueneris urbem, pro ad urbem.

Decimaquincta, Hypallage, latine Submutatio, cum oratio rerum ordine conuerſo exprimitur; ut tot uoluere caſus, pro, tot uolui caſibus: Induit ſe aquis tanquam lorica, pro aquæ induunt ſe
Eccl. 42. glacie tanquam lorica: gladius uagina uacuus, pro uagina gladio uacua. Fit etiam hypalllage, ut aliqui uolunt, cum nomen abſtractum ponitur pro concreto; ut, lux in tenebris lucet, id eſt Chriſtus inter tenebroſos.

Decimaſexta, Dialyſis, latine Diſſolutio, ſeu Parentheſis, id eſt

Inter-

Interpoſitio, interclusio, cum oratio per alienius ſententiæ interpoſitionem diſſoluitur, cum ſcilicet aliquis ſenſus interſeritur; quæ figura multis in locis animaduertenda eſt in diuinis ſcriptis ad verum ſenſum eliciendum; vt, Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ (ſicut locutus eſt ad patres noſtros Abrahã, & ſemini eius) in ſæcula. Sagittæ tuæ acutæ (populi ſub te cadent) in corda inimicorum regis. Sicut loquutus eſt per os ſanctorum (qui a ſæculo ſunt) prophetarum eius. *Luc.1.*

Decimaſeptima, Synchyſis, latine Confuſio, cum omni ex parte verborum ordo eſt perturbatus: hæc figura communi nomine hyperbaton nuncupatur; quæ non raro occurrit in diuinis literis, & maxime in epiſtolis diui Petri & Pauli ſed hanc loquendi formam in vitijs reponeres, vt ſequenti capite nos faciemus. Fit etiã Hyperbaton, vt Caſſiodoro placet, cum ſuſpenſus verborum ordo tandem explicatur; vt eſt videre pſalmo trigeſimoſexto, Noli æmulari, &c. *Pſal.44.*

Decimaoctaua, Diacope, ſeu Tmeſis, latine Intercisio, Sectio, compoſitæ vocis diuiſio, vno vel pluribus interiectis verbis; vt, maximo te orabat opere: Iero, quem genuit ſolymis dauidica proles: ſatis cum feceris. *Beda.*

Denique addunt aliqui, Anacoluthon, hoc eſt non conſequẽs; quod potius eſt orationis vitium, cum non ſubijcitur, vel non redditur id, quod cum ſuperioribus conueniat; vt ſi præceſſerit, Tot, & non ſubſequatur, quot: ſi præceſſerit, Non modo, & omittatur, ſed etiam.

Quæ & quot ſint orationis vitia. Cap. XXII.

DE vitijs quoque orationis non ſine cauſſa nobis aliquid ſcribendum duximus. Primum, ne hæc de figuris ſcriptio manca videretur: deinde, quia ornamenta melius cognoſcuntur cognitis vitijs: præterea, vt pios diuinæ ſcripturæ lectores moneamus, ne dum in hos loquendi modos incidunt, ſacros interpretes ſcriptoresve primos accuſent, ſed potius excuſent, & defendant, cum hæ loquẽdi formæ in alijs etiam non improbatis auctoribus legantur: denique, vt has loquutiones planius, & ad intelligentiam accommodatius exponant. Vt omittam, quod recte dicendi cupidus Cõcionator ex horum vitiorum notitia facilius ſua menda animaduertere atque corrigere poterit. Orationis vitia eiuſdem oppoſita ſunt.

ta ſunt virtutibus; latinitati barbarum, perſpicuitati obſcurum, ornatui inornatum, decoro ineptum dicendi genus: Quæ vitia ſub ſe quaſdam habent partes, quas nunc recenſebimus.

Barbariſmus eſt, cum vocem latinam aliquo pacto corrumpimus: in quem errorem incidunt, qui multas voces ex hebraico ſumptas male ſcribunt, aut pronuntiant.

Secunda, Barbaralexis, id eſt dictio non latina; cum voce non latina, aut nō in propria ſignificatione vtimur; vt confortare, pro corroborare: benedictio, pro munere & gratia.

Tertia, Solœciſmus, vitium in verborum ſtructura contra grāmaticos canones, & bonorum ſcriptorum vſum; vt, In conuerten-

Pſal. 125. do captiuitatem, pro in conuertenda captiuitate. Vel cum verbis prioribus conſequens membrum non accommodatur; vt ſtrepitū & colorem vidi: dicendum erat, ſenſi.

Quarta, Acyron, id eſt Impropria alicuius verbi vſurpatio; vt expugnare, pro oppugnare, humilitas, pro animi demiſſione.

Quincta, Hyperthesis, latine Traiectio, cum verborum traiectione obſcura & inſuauis redditur oratio; vt, Veruntamen apud

Pſal. 84. timentes eum ſalutare ipſius, vt inhabitet gloria in terra noſtra; id eſt, quamuis terra noſtra gloriam ſit conſequutura, quod Meſſiam genuerit: tamen eius ſalus erit apud eos, qui eum timebunt, hoc eſt apud exteras nationes, quæ eum ſuſcipient & adorabunt.

Sexta, Ellipſis, cum oratio aliquo deficit verbo ad ſententiam neceſſario, quod non facile ſubauditur; vt, Quia neque ab orien-

Pſal. 74. te, neque ab occidenee, neque a deſertis mōtibus, ſubintelligitur ex Chryſoſtomo, aliquid latebit occultum in iudicio: vel, nemo ſit

Vat. qui ob dignitatem, aut potentiam ſe efferat; quia non eſt aliunde niſi a ſolo Deo.

Septima, Homonymia, cum vtimur voce, quæ multas habet ſignificationes, vnde ſententia fit obſcura; vt cum ſcriptura vtitur hac voce; Spiritus, & dubium eſt, an ventum, an vitam, an diuinā gratiam, an nouam legem ſignificet; vt hoc in loco, Spiritus, vbi

Ioan. 3. vult ſpirat, id eſt ventus; & hac voce, Verbum: Pauperes euange-

Matth. 11. lizantur, id eſt euangelizant.

Octaua, Acyrologia, id eſt verbis nō proprijs obſcurata ſententia, cum plurium verborum abuſione ſermo redditur obſcurus: huc phraſis acyrologiam reuocares; vt Magnificauit Dominus facere nobiſcum, pro magna ſeu admirabilia noſtra cauſſa fecit.

Nona, Syncriſis, id eſt ſermo obſcurus, qui verborum traiectione,

ne,& interiectione fieri ſolet, vt ſæpe in hiſtorijs obſeruare licet, & in diuinis literis quibuſdam in locis, vt in capite primo primæ epiſtolæ diui Petri,& in primo & ſecundo ſecundæ.

Decima,Meoſis,latine Diminutio oratio nimirum imperfecta propter verborum prætermiſſionem: vel cum verbis tenuibus & ſimplicibus texitur oratio,quæ ſermonem ſplendidum atque magnificum requirebat;cum nimium ea oratió ſerpit,quæ grauiter incedere debebat;quæ & ad figuras pertinet.

Vndecima, Amphibolia,id eſt oratio anceps,quæ in plures ſen ſus diuidi poteſt:vt,Qui diligit iniquitatem,odit animam ſuam; non peccator ipſe, ſed Deus odio habet animam eius qui iniquitatem diligit.Suſcepit Iſrael puerum ſuum,Deus ſcilicet Iſraelē, tanquam puerum;non Iſrael puerum ſuſcepit. *Pſal. 10.*

Duodecima, Ænigma, ſenſu obſcura ſententia, licet verbis alias eſſet aperta:huius formæ ſupra allata ſunt exempla. Sequuntur quædam aliæ loquendi formæ quæ ſunt contra ornatum.

Decimatertia,Cacophonia,cum ſyllabæ vel dictiones aſpere, duriterve ſonant;vt cœca caligo,cum nos,&c.

Decimaquarta,Tapinoſis,hoc eſt verbi humilitas; vt manus Domini tetigit me; pro afflixit: vel cum rei magnitudo verbis,aut ſententijs minuitur.

Decimaquincta,Ongos,latine Inflatio, cum res parua magno & tumido exprimitur verbo;vt ſi hominem nequam, nefarium appellares.

Decimaſexta,Pleonaſmus,cum verbis omnino ſuperuacuis oneratur oratio: quare omne verbum quod ad rei perſpicuitatem & illuſtrationem non facit,vitioſe additur:quod ſi cum ratione fiat,non vitium,ſed virtus erit.

Decimaſeptima,Eclipſis,cum aliquid vitioſe relinquitur,quod omnino in oratione deſideratur:ſed eſt eadem cum Ellipſi.

Decimaoctaua, Cacoſyntheton, id eſt male collocatum,indecens nimirum verborum ſtructura.

Decimanona,Diſſolutum,vel Arithmon, id eſt quod numeris caret:cum oratio longarum vocum copia hæret,aut breuium abūdantia interſiſtit,& quaſi tinnit;cum ſcilicet ob nimiam dictionū longitudinem,& periodorum perpetuitatem difficile in aures ingreditur,aut eorundem breuitate aures obtundit: Quod vitium illi vitant,qui longa breuibus temperare ſolent.

Vigeſima,Anœconomiton,id eſt inordinatum,cum omnia turbata & permiſta ſunt.

Vige-

Vigeſimaprima, At acton,id eſt incompoſitum indiſtinctum, cum nec ſententię, nec orationis partes ſuo loco poſitæ ſunt;cum oratio eſt tota confuſa,& ſua caret œconomia,quam ars requirit: quo vitio illi facile peccant,qui ex templo dicere volunt,& qui quod ſibi dicendum eſt,non proponunt:ſed hac illac,pro rerum, quæ ſeſe offerunt varietate,vagantur. Alię ſequuntur vitiorũ formæ,quæ in tota ſpectantur oratione.

Vigeſimaſecunda,Periſologia, id eſt multorum verborum adiectio ſuperuacanea ſine vlla vi rerum, vel ſententiarum; vt morietur,& non uiuet. Verum periſologia in mouendis animis,& in re magis exprimenda,in uitijs numerari non debet.

Vigeſimatertia,Periergia,ideſt ſuperuacanea & nimis operoſa eloquutio,cum plus iuſto aliqua res exornatur: nimia in ornã do ſuperſtitio,cum in re humili multum uerborum abſumitur:in quod uitium facile labuntur,qui perperam copiam affectant.

Vigeſimaquarta,Tautologia,nugatio,eiuſdem uerbi, aut ſermonis iteratio & repetitio,non ornatus,ſed inopiæ cauſſa:quo uitio ſicci & arridi laborant Concionatores: quod uitium Fabius tribuit Ciceroni: uerum,qui ſuo loco eſt Tautologus,nihil errat.

Vigeſimaquincta,Macrologia,quæ & peribole nominatur,nimis tracta oratio,& plus æquo longa:cum ea dicuntur,quæ ſi nõ dicerentur,facile ſubintelligerentur,& ea inculcantur quę audiẽtium aures obtundunt.

Vigeſimaſexta,Soreſmos,latine Miſcellanea,uariarum linguarum miſtura; ut ſi oratio permiſta eſſet latinis,& hebraicis, græciſque uocibus:quo uitio illi laborant Concionatores,qui materno & latino ſermone nulla adiecta declaratione,utuntur:cum tamen apud imperitam multitudinem dicant: alij hoc uitium Cœniſmum uocant.

Vigeſimaſeptima,Oximoron,oſtentationis ineptę uitiũ: ſentẽtia affectate pronunciata,ita ut fatua uideatur. In quod uitium incidit,me audie[illegible],Concionator quidam,qui hunc in modũ ſuam concionem exorſus eſt,Deus ab ęterno non fuit Deus.

Vigeſimaoctaua,Polyſchematiſton,ſermo ſolutus, non ſolum multis figuris ornatus,ſed etiam pluribus uitiis coopertus:at in carminibus magnus ornatus non datur uitio: cuiuſmodi multa legeres apud Dauidem.

Vigeſimanona,Aſchematiſton, ſiue Aſchematon,id eſt non figuratum,uitium ſuperiori contrarium.

Trigeſima,Pamphologia, uel Bomphiologia, ſeu bombiolo-

gia, tumor immodicus orationis; cum res tenuis, tumida & nimis ſpecioſa oratione tractatur: quod in proponendo, narrando, & probando contingere ſolet: talis eſt illa turgida Eliu apud Iobū propoſitio & oratio, Ideo dicam, audite me: oſtendam vobis etiā ego meam ſapientiam, &c. Vel Bomphilogia eſt, cum res tenues & leuiculæ ſpecioſa, affectata, & ſupra modū elata oratione proferuntur. Quo vitio ij laborant, qui cum ad plebem loquantur, magnificis & turgidis vtuntur exordijs: & ij, qui cum de re tenui dicturi veniant, eam adhibent cum Cicerone confeſſionem, Non modo ſe animo commoueri, ſed etiam corpore ipſo perhorreſcere. Cap. 32.

Trigeſimaprima, Homœologia, id eſt vniformis & vbique ſimilis oratio, omni ſuauitate & varietate carens: quæ nulla varietate delectat, ac proinde animo & auribus tœdium affert.

Trigeſimaſecunda, Pikilogia, immodice variata oratio, & affectatione putida, pueriliterque effœminata: quæ nihil habet proprium, nihil natiuum; ſed omnia ſunt nimia diligentia picta, qualis Apuleiana eſſe cenſetur.

Trigeſima tertia, Leptologia, eſt rei grauis contempta & humilis explicatio, quæ neruis & contentionis ſpiritu caret.

Trigeſimaquarta, Archęologia, ſententia quæ verbis nimis antiquis & obſoletis exprimitur: Huc refertur Archaiſmos cum aliquid vetuſte dicitur, vt Plautus & Terentius aliquando faciūt.

Trigeſimaquincta, Idiotiſmus, cū quaſi vulgari ore loquimur; ita vt nec a ſordidis verbis abſtineamus; vt ſi literarum auidum, helluonem, & familiarem, congerronem vocares. Eſt itaque idiotiſmus vulgatæ conſuetudinis loquutio, ac etiam propria alicuius linguæ phraſis. Hebraicis idiotiſmis diuinæ ſcatent literæ.

Trigeſimaſexta, Laconiſmus, id eſt breuiloquentia, nimia breuitas: quod vitium referri poteſt ad obſcuri ſermonis genera. Huc pertinet Brachilogia, id eſt conciſa oratio, cum de re graui nimis breuiter loquimur, cum longiore opus eſt ſermone: Eſt itaque conciſa & decurtata oratio, qua de re graui nimis preſſe & anguſte loquimur: cum res quæ ampliorem requirebat ſermonē ieiune dicitur: probatur tamen breuitas ſuo loco adhibita: qua vſus eſt Spartiatarum Rex in epiſtola quam Ionathæ ſacerdoti reſcripſit. 1. Mac. 12.

Trigeſimaſeptima, Aſiatiſmus, Laconiſmo contrarius, genus dicendi immodicum, nimium verbis & ornamentis redundans, & rebus inane.

Tri-

Trigeſimaoctaua, Cacozelia, ideſt mala, inepta, & incondita imitatio, ſeu per affectationem decori corrupta ſententia: vitium in omne dicendi genus diffuſum, quod omnia vitia in omnes dicendi formas introducit: in quod ij facile incidunt, qui eam orationis formam affectant, ad quam exprimendam nullam habẽt facultatem, in qua non ſunt verſati.

Trigeſimanona, Æſchrologia, ideſt verborum obſcœnitas, & inuerecunda oratio, cum verbis vtimur obſcœnis.

Poſtrema vitioſæ orationis forma, vocatur Cacophaton, & Cakephaton, cum adhibetur verbum quod ad rei obſcœnæ ſignificationem vergit: cui opponitur, Calon onoma, id eſt pulchrum nomen.

De recto verborum & figurarum vſu. Cap. XXIII.

QVAMQVAM ex ijs quæ hactenus de Eloquutione diximus, prudens Concionator qui eſſe debeat figuratum vſus facile intelligeret: tamen aliquid hac de re ſpeciatim monere non inutile fore exiſtimaui.

Cum ergo omnis eloquendi vis partim in verbis, partim in rebus poſita ſit; vtrorumque vſum ad bene eloquendum ſpectare neceſſum erit. Verborum, alia ſunt propria, alia trãſlata, quæ ſecum aliquem ornamentum afferunt: & in vtriſque, quod ad vſum attinet, ſpectanda eſt tum copia; tum frugalitas: quare vidẽdum erit vbi proprie, vbi tranſlate, & ornate, & vbi copioſe, vbi vero preſſe, & quatenus loquendum ſit.

Et quoniam tota vis eloquentiæ in eo ſita eſt, vt dignitati rerum par ſermo tribuatur, hoc eſt, vt vnamquamque rem tantam dicendo faciamus, quanta eſt; ne ſermo rerum pondere ſit inferior; neceſſe eſt in primis vt totam vim atque naturam earum rerum, de quibus dicturi ſumus omnino perſpectam atque cognitã habeamus; cum nemo non poſſit non peſſime dicere, de eo quod ignorat.

Cicer. lib. 1. orat.

Poſtea, vt ea quæ mente cõcepimus, & animo perluſtrauimus verborum & orationis miniſterio pleniſſime declaremus, & in auditorum animos dicendo tranſmittamus. De rerum cognitione non eſt huius loci diſſerere: qua autem ratione de quauis re etiam ieiuna copioſe dicere liceat, ex ijs intelligi poteſt, quę de amplificandi ratione, atque de figuris, quæ ad orationem dilatandam conferunt, ſupra ſcripſimus.

Et quoniam nullam rem apte explicare fas eſt,niſi verborum adſit copia, eam ſibi legendo & dicendo diligens Concionator comparabit:ad quam augendam troporum notitia mirum in modum confert;cum quæ verbis dicta ſunt proprijs,tranſlatis enuntiare liceat. Verborum itaque locuples eſſe debet Orator.Ex quorum affluentia hę vtilitates manant.

Primum,qui verborum copia eſt inſtructus,facile,plene,ſignificanter,quod eſt eloquentiæ proprium,omnia explicabit. Deinde,multo facilius & aptius ſuam orationem exornabit,atque expoliet.Poſtremo,ſine vlla animi trepidatione ad dicendum veniet;ſecurus fore vt nunquam, aut difficile ſibi verba deſint:quæ vtilitas eſt ſane maxima. Nam,qui cum hoc timore ad dicendũ accedunt , non ſatis prouident quæ & quomodo ſibi ſint dicenda:quo fit,vt etiam in agendo facile errent: quia dum verba mendicant,nec rerum dignitatem,nec pronuntiationis formam animaduertunt.Paranda itaque eſt diligenter verborum copia;cum ex ea tam inſignes proficiſcantur utilitates : de qua libro de Eloquutione oratoria late diſſeruimus. Sed iam de verborum uſu aliquid priuate dicamus.Quod igitur ad verba propria attinet,cum non parua ſit in dicendo virtus,ſi quis proprie loquatur,vnde claritas naſcitur orationis, nullo modo propria verba negligenda ſunt:& cum non omnibus verbis omnia recte explicari queant, eorum habendus eſt delectus:ita tamen, vt a communi loquendi oratione non recedatur;cum ſit maximum in loquendo vitium, a communi vſu recedere . Satis itaque erit,ſi omni vitata improprietate & ruſticitate,ijs vtemur verbis,quæ rem ipſam quodam modo ſequi videntur.Non itaque in verborum ſimilium conglobatione & aceruo,ut multi exiſtimant,poſita eſt eloquentię laus; ſed in rerum dignitate,uerborumque proprietate,natiuoq; ſplendore:ut ſermonis elegantia non tam aliunde adſcita,quam cum rebus ipſis videatur nata.

Ornatus autem qui ſuis locis eſt adhibendus, primum ex uerbis tranſlatis ſumitur: quorum magna in dicendo habenda eſt ratio:cum non ſit omnium eadem dignitas,idem ſplendor, eadẽque uis & magnitudo. Ornatorum ergo uerborum is ſit uſus,qui ornamentorum corporis eſſe ſolet:quę non in omnibus partibus, ſed certis in locis adhibentur: neque omnia in omnibus, ſed & perſonarum,& locorum,& temporum habetur ratio. Vt enim non eodem modo ornatur ſpõſa,a uidua, nec eodem modo uir, vt fœmina, nec puer,ut ſenex, nec pauper,ut diues, nec qui in

mœrore iacet,ut is qui in lętitia verſabitur: pari ratione res quæ oratione & verbis veſtiuntur,pro ipſarum natura & varietate ornandæ ſunt.Non multus itaque ſed parcus,non alienus ſed natiuus,non ineptus, ſed ad docendum,delectandum,atq; mouendũ ſuis in locis accommodatus ſit verborum ornatus.

Atque idem de figuris & ſchematibus,tum uerborum,tum ſententiarum diceres:in quibus,ut maior eſt uis atque ſplendor, ita maior in uſu requiritur dicentis prudentia.Prudens itaque Declamator, in figurarum uſu, rem ipſam ſubiectam animaduertet, an ſit humilis,an magna,an uero mediocris;in quibus,ut triplici dicendi genere utendum eſt, ita etiam ornamentis uarijs, ne humilia ſplendidius,& magna parcius quam par eſt ornentur.

Similiter conſiderandum erit,in quo cauſſarum genere uerſemur,an in demonſtratiuo,an in deliberatiuo,an in iudiciali,quæ non eadem,neque eodem modo admittunt ornamenta. Demonſtratiuum quæ delectant,deliberatiuum quæ docent,& iudiciale, quæ mouent:immo omnia genera,omnia,ſed uel maiora,uel minora;uel plura,uel pauciora.Rurſus,quæ ſingulis partib. orationis accommodentur,cum non eadem exordium,narratio, & cæteræ partes ſchemata poſtulent. Quare,cum Orator in tota oratione tria munera præſtare debeat,quæ ſunt,docere,delectare, & mouere(licet in una parte aliquod horum clarius,in alia uero obſcurius præſtetur,) ſingulorum ſchematum uim cognitam habere debebit;hoc eſt,ut uniuerſe dicam, quæ ad docendum,quæ ad delectandum,quæ ad mouendum & dilatandum uim habeat: quam doctrinam nos accuratius libro de Eloquutione Oratoria explicuimus,hic generatim de ea dicemus.

Ad docendum ſpeciatim conferunt,quæ ordinis & diſtinctionis,atque probationis uim habere diximus;ut ſunt, tranſitiones, diuiſiones,partitiones,epilogi,præparationes, occupationes,cõmoratio,dicęologia,ratiocinatio,& quædã aliæ, quas omnes nũc recenſere nihil eſt neceſſe.Quod uero ad delectationem attinet, omnes fere aliquid delectationis habet,ob eam pulchritudinem, dignitatem,& ornatum,quem in omnibus eſſe diximus;ſed priuatim uerborum ſchemata,quæ aliquem in uerbis geſtum, & in uocibus ſimilem ſonum,atque proportionem & concinnitatẽ quandam,& denique ea quæ ſimilitudinem & contrarietatem cõtinent;ut ſunt,duplicatio,repetitio,traductio,iſocola ſimiliter cadentia,& deſinentia,ſimilitudo,imago,expolitio, & aliæ ordinis eiuſdem.Illæ uero figuræ ad mouendum conferunt, quæ maiorẽ

ali-

aliquem animi affectum indicant;vt ſunt nonnullæ repetitiones, interrogationes & omnes quæ vim amplificandæ & augendæ orationis habent;vt exclamatio, admiratio, acclamatio, adiuratio, epitrocaſmus, congeries,& eiuſdem generis aliæ.

Cæterum fatendum eſt,quędam eſſe ſchemata,quę omnia hęc munera præſtant,vt ſunt definitiones, deſcriptiones,& quæ ſimilitudinem & contrarietatem continent, ac etiam quæ orationem ampliorem reddunt:alia vero duplici funguntur munere, quæ ſimul delectant & docent, vt fere omnes ſimilitudinis formæ faciunt. Et cum ad eandem ſententiam exprimendam plures accōmodari poſſint figuræ, ſicuti ad idem corpus veſtes plures,ad Cōcionatoris prudentiam pertinebit,illam adhibere, quæ ad animi ſui ſenſum exprimendum magis accommodata & apta viſa fuerit.

In ſumma; vt hunc locum concludam,qui his verborum & ſententiarum luminibus vti voluerit, caueat ne vbique figurato vtatur ſermone,quia vt oratio nō debet eſſe incompta,ità nec nimis ornata, cum ſuis in locis ſimplex & natiuus extare debeat orationis color.Caueat præterea,ne eaſdem ſemper inculcet figuras,præſertim ſi illuſtriores ſint, & quæ facilius artem & affectationem demonſtrant:Sunt tamen aliquę quibus ſine uitio frequē tius vti licebit;vt interrogationes,& quædam verborum conformationes.Curandum quoque erit,vt ſingulis, quantum fieri poteſt,apte vtamur; hoc eſt, ad docendum ijs quæ vim docendi habent, & ad delectandum ijs, quæ ad hoc potiſſimum comparatæ ſunt.Audiui aliquando Concionatorem quendam, qui dum de Chriſti paſſione concionem haberet, ijs potiſſimum vtebatur figuris,quæ ad delectandum ſunt excogitatæ:qui frequentiſſime enumerationem,repetitionemque adhibebat: & in quadam ſententia explicanda,hæc verba, Ignoto Deo,pluſquam vigeties vnico ſpiritu repetiuit: ac proinde in tota concione frigidiſſime dixit, & rem doloris plenam ſine vllo ſuo & auditorum ſenſu longiſſima concione tractauit:cum tamen nec verborum copia,nec actione eſſet deſtitutus.

Atque ex his colligere licet, recte concionandi cupidis non ſolum figurarum nomina & numerum, ſed vim & vſum debere eſſe perſpectum; vt in quocunque dicendi genere his coloribus & ornamentis ſuam orationem apte adornare poſſit: qua in re paucos inuenies,cum pauci ſint, qui hanc doctrinam teneāt,qui ſe præclare gerant;vt præ omnibus omnium oratorum eloquen-

tiſſimus fecit Demoſthenes,& ante ipſum nónulli diuini ſcriptores. Quare,ſi quis optime figurarum vſum in promptu habere vellet,in illis conficiendis ſeſe exercere deberet: vt ecce,ſi propoſito aliquo toto per meriſmum ſeu diuiſionem, partes enumerare diſceret: vt, Adueniat regnum:Da panem noſtrũ:Dimitte debita: libera a malo,o Pater,qui creas, qui cóſeruas,qui redimis,qui inſtituis,&c.Atque idem diceres de alijs figuris,de definitione repetita & conglobata,de ſynonymia, hyperbole, extenuatione, ominatione,mimeſi,& alijs.

De verborum collocatione,cõmatis,colis,comprehenſione,& numero. Cap. XXIIII.

MAGNAM Eloquutionis partem in apta & concinna verborum collocatione & harmonia poſitam eſſe, nonnulli ſcriptores iure optimo mihi dixiſſe videntur: qua de re libro de Oratoria Eloquutione ſecurdo,abunde ſcripſimus.Hic vero,quia Chriſtianus Eccleſiaſtes nó latino,ſed materno ſermone potiſſimum dicit, ſolum quaſdam communes admonitiones,tum de verborum collocatione, tum de periodis,numeroque vniuerſe trademus:plura qui volet,citatum librum legat.

Collocatio igitur,quæ compoſitio, ſtructura, conſtructio, coagmentatio,& iunctura nominatur, hoc loco deſignat quandam verborum conſequutionem,quam inter ſe habere poſſunt, nullà habita ratione rerum, quas ſignificant, ſed ſolum connexionis aptæ,vel ineptæ,qua copulantur. Quæ duplex eſt, altera naturalis,qua certa quadam ratione naturæ vi verba componuntur:altera arte quadam facta,quo oratio facilius fluat,ſuauius ſonet, & aures magis impleat:& de hac nos verba facturi ſumus.Hæc rurſus duplex,altera recta,ſimplex, a maiore numero & a legib.cópoſitionis libera,qualem in primo ſacrę Geneſis capite,& paſſim in libris diuinis obſeruares: altera, priori contraria, obliqua, numeroſa,atque colligata:quam diuini ſcriptores, vt ſcribit Auguſtinus,nó affectarunt: quorum tamé clauſulæ,verbis aliter diſpoſitis,ad numerum reuocari facile poſſent. Verum in quibuſdã ſcriptoribus,in eo ſermone quo vſi ſunt, multis in locis hanc etiam eloquendi formam inuenires. Colligata & vincta oratio tribus conficitur rebus,coagmentatione, concinnitate, & numero: de quibus ſingulis ſtatim dicemus.

Cic.in orat.

Com-

Compoſitio ergo eſt verborum apte,& concinne,numeroſeq; fluentium colligatio;qua vel inciſim,vel membratim,vel circum ſcripte aliqua exponitur ſententia:quæ deſcriptio ex ijs quæ dicemus manifeſta fiet. Et quamuis collocandorum verborum non ſit magna habenda cura, præſertim ab eo qui materno ſermone ad populum dicit;tamen,ſi vel bonitate naturę,vel vi exercitationis, vel etiam aliqua arte Concionator apte verba coniunget,id non erit inutile,nec,vt Auguſtinus ait,negligendum. Nam,apta verborum collocatio,orationem perſpicuam,ſenſumque planum facit,ac proinde ad docendum confert:eandem ſuauem reddit,& mirum in modum exornat, & ideo delectat, detinet,ac etiam interdum capit;Contra vero uerba incompoſita,diſſipata,& temere cōgeſta,orationem obſcuram,ingratam,& inornatam reddūt; ita ut quaſi arena ſine calce uideatur. Non igitur operam ludet, qui aliquid operę in hac eloquutionis parte ponet. Coagmētatio ergo atque iunctura partim in vocalium & conſonantium atq; vtrarumque inter ſe coniunctione ſpectatur; partim in ſyllabarum in eadem,uel in diuerſis dictionibus copulatione & frequentatione. Quare,ut uniuerſe dicam,fugienda eſt antitypia, id eſt literarum inter ſe diſſidentium coniunctio, concurſus uocalium quæ orationem hiantem faciunt, conſonantium aſper & durus ſonus,eiuſdem literę,& ſyllabæ,& dictionis repetitio; & denique vocum ſimiliter deſinentium frequentatio. Plura qui uolet ſecūdum legat de Eloquutione librum.

Lib. 2. de eloquut. orat. diſp. 1.

Diſp. 2.

Quod attinet ad concinnitatem, Concinnitas nihil aliud eſt, quam quædam orationis gratia,atque ſuauitas, quæ ex quibuſdā figuris recte cadentibus exoritur:huiuſmodi ſunt, homœoteleuta,id eſt ſimiliter finientia,ſiue deſinentia, ſimiliter cadentia,iſocola,ſiue membra paria,antitheta,ſiue contrapoſita;quarum figurarum exempla ex diuinis ſcripturis ſumpta habes ſupra in tractatione de ſchematis. Huiuſmodi itaque figuræ,ut libro de Eloquutione late demonſtrauimus,ſuapte natura,orationem aptam, ſonoram,ac etiam numeroſam faciunt. Tunc ergo leniter,iucunde,& apte curret oratio,cum congrua verborum aderit iunctura, & harum figurarum uſus.

Spectat præterea hæc eloquutionis pars,quæ Compoſitio nominatur,totam orationem,ſiue clauſulam,in qua animaduertimus articulos,membra,& totum ſententiæ corpus, ſiue comprehenſionem;cum aliquando ceſim,ſiue articulatim, aliquando membratim,aliquando periodice,hoc eſt,ut ita dicam, circulariter dicamus.

camus. Quare aliquid de inciſis, de membris, & periodo nobis dicendum eſt. Vt itaque in manu, primum ſpectamus totum ipſum membrum, in quo deinde digiti quaſi partes quædam notantur, ac poſtremo minores quædam particulæ, qui ſunt digitorum articuli; idem de integra ſententia ſiue oratione, ſecundum quandã proportionem dicẽdum eſt: in qua commata ſiue inciſa, cola ſiue membra, & tota comprehenſio ſiue periodus ſpectatur.

Lib. 3. de Eloq. diſp. 5. Comma, ſiue inciſum eſt particula, ſiue cæſura quædam membri, inchoata nimirum oratio, quæ ſenſum non complet, & interdum ſingula uerba; ut ueni, uidi, uici: aliquando etiam oratio cõpleta, ſed breuiſſima; cum inciſum per ſe poſitum extra periodum ſententiam complet; ut, Feſtina lente: Nequid nimis. Quare inciſa, aut ſingulis, aut binis, aut ternis, & uniuerſe paucis uerbis conſtant, & in periodo poſita ſententiam non continent, quam extra continere poſſunt; ni breues ſententias periodos uocare malis.

Vtimur inciſis in oratione concitata, uehementi, & ubi ſunt interrogationes, & reſponſiones, & in breuibus ſententijs exponendis, ac etiam in ſermone familiari & quotidiano. Vſus eſt cæſa, ſiue inciſa oratione Paulus cum dixit, In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. Item, Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, & quæ ſequũtur. Item, Qui ergo alium doces, teipſum non doces? qui prædicas non furandum furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, ſacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras? Item, Quis ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſequutio? an gladius?

2. Cor. 6. *Rom. 1.* *Rom. 2.* *Lib. 3. de Eloq. diſp. 6.* *Rom. 8.* *Rab.*

Colon, ſiue membrum, his fere modis deſcribi ſolet, Membrũ eſt ſenſus numeris concluſus, a toto corpore orationis abruptus, per ſe nihil efficiens: Vel, eſt ſimplex periodus, aut compoſitę periodi pars maior: Vel, eſt integræ ſententiæ, ſed tamen adhuc pendentis comprehenſio, inciſo longior, & pene perfecta oratio: cuius diſtinctio, ue commate, uel duobus punctis, uel puncto & commate deſignatur. Eſt autem duplex, alterum ſimplex, ut ſunt hæc duo, Et nolite conformari huic ſęculo: ſed reformamini in nouitate ſenſus ueſtri: alterum compoſitum, ex inciſis ſiue articulis conflatum; ut hoc alterum, quod ibidem ſequitur, Vt probetis quæ ſit uoluntas Dei bona, & beneplacẽs, & perfecta. Item, aliud

Rom. 12.

breue,

breue,aliud longum,aliud longiſſimum, iuxta plura & pauciora verba ex quibus conficiuntur.Item,aliud ponitur in periodo,eſtque eius pars:aliud extra,& eſt quaſi breuis periodus: aut,ſi poni tur intra,integras continet ſententias,ex quibus tamen vnũ corpus & vna ſententia ſine comprehenſione conficitur,vt cum mẽbratim dicimus. Odiẽtes malum,adhærentes bono:caritatem fraternitatis inuicem diligentes:honore inuicem præuenientes:ſolicitudinẽ non pigri:ſpiritu feruentes:Domino ſeruientes,&c. *Rom. 12.*

Vtimur autem membris longioribus in exordijs maiorũ cauſſarum,in panegyricis:breuioribus,in exordijs minorum cauſſarum,in contentionibus:in familiari vero ſermone breuiter, & membratim dicimus; cum res ſine verborum circumductione explicanda eſt;vt in ſimplicibus narrationibus,& expoſitionibus, & in diuerſarum rerum ad vnam ſententiam pertinentium enumeratione,vt in allato patet exemplo. Maioribus membris vſus eſt Paulus initio epiſtolæ ad Hebræos. Et vt breuiora membra nõ ſunt frequentanda,ne oratio ſicca videatur;ita nec longa,ne compoſitio plus iuſto redundet,& obſcurior fiat oratio. Et hæc de mẽbro:nunc de periodo dicamus.

Vt autem quid ſit periodus plane doceamus, animaduertendũ eſt,duas eſſe orationis formas:vnam perpetuo tractu ſuſpenſam, quæ quadam naturę vi,ſine vllo artificio, nunc cęſim,nunc membratim,nunc vtroque modo fluit, & ſola ſenſus neceſſitate terminatur:quę ſine vllo fręno immoderate,diſſoluteque excurrit:qua, qui ſine arte & modo dicunt,vtuntur:Alteram in qua verba artificioſe nectuntur & terminantur,vt ſuauis,vt grata appareat;ne aures breuitate defraudet, aut longitudine ſatiet: quam ars quaſi fręno quodam regit,& moderatur;& de hac loquendi forma nos verba facturi ſumus. Illa igitur dicendi forma,qua apte aliqua explicatur ſententia,græce Periodus,latine comprehenſio,circuitus,ambitus,& verborum orbis nominatur:quã, etſi varie deſcribitur;tu tamen ſic definires. *Lib. 2. de Eloq diſſ. 7.*

Periodus,eſt oratio principio & fine conſtans, qua ex ſe perfecta explicatur ſententia. Quæ deſcriptio cuique conuenit periodo,breuiori & longiori;ſiue orbem quendam conficiat, ſiue mẽbratim aliquid,concludat:quod ſi preſſe & proprie ſumatur, ad hunc modum definiri poteſt.Periodus eſt circumducta oratio initio & fine ex ſe conſtans,quæ orbis ſui conſpicua magnitudine percipitur,& percepta mouet,atque delectat.Cuius deſcriptionis perfectam explicationem ex libro ſæpe citato repete.Eſt autem

Pſal. 102. periodus modo breuior, modo longior; breuis eſt hæc, Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. *Pſal. 1.* Hæc vero longior, Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit: ſed in lege Domini volútas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte: Et alia quę ſequitur, Et erit tanquam lignũ quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum; quod fructum ſuũ dabit in tempore ſuo; & folium eius non defluet, & omnia quæcũque faciet proſperabuntur. Quare, ratione quantitatis & membrorum quibus conſtat, alia dicolos, alia tricolos, alia tetracolos, quæ omnium pulcherrima cenſetur, nominari ſolet; vt in allatis patet exemplis.

Lib. 2 de Eloq. diſp. 8. & 9. Dicimus itaque interdum cęſim, interdum membratim, interdum periodice, ſiue per ambitum. Ambitu in omni orationis genere, & parte vtimur; ita tamen, vt ſuis locis inciſim & mẽbratim dicendi formæ recordemur: cúm nulla poſſit eſſe aptior compoſitio, quam ea, quæ varietate conſtat: vt merito *Aug.* Auguſtinus eã orationem probet, quæ modo cęſis, modo membris, modo periodis fluit: cęſis igitur membra, & membris periodi, & periodis mẽbra & cęſa intermiſcenda erunt.

Diſp. 10. Eſt & alia dicendi forma, de qua libro citato late ſcripſimus, quam Hermogenes Spiritum, alij Peribolen vocant; quæ nihil aliud eſt, quam longior quædam periodus, qua ſæpe vtuntur hiſtorici. Eſt ergo Spiritus orationis compoſitio quæ inciſis, & membris, ſine circuitu ſententiam perficit, & eo vſque protrahit, quo dicentis patitur ſpiritus. Cuius exempla multa ex diuinis literis afferri poſſent, ſed vnum vel alterum ſatis erit. *Heb. 10.* Habentes itaque fratres fiduciam, inquit Paulus, in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti: & quæ apud ipſum prælonga periodo ſequuntur. Et *2. Pet. 2.* diuus Petrus, Hi vero velut irrationabilia pecora, &c. Verum, Spiritus non debet eſſe monoſchematos, hoc eſt vnius figuræ, ſed varijs formis & habitibus ornandus erit: quo Concionator vtetur, cum grauis cauſſa tractatur, cum effecta grauia & euenta intercedunt: & in oratione celeri & accenſa interdum duos & tres continuabit ſpiritus: cuius vſum qui optime teneret, aptiſſime diceret ad auditorum animos inflammandos.

Reſtaret, vt de orationis numero aliquid diceremus: ſed quoniam noſter Orator materno vtitur ſermone, in quo nullum adhuc numerum inuenerunt, qui nobis ſuis regulis alterius linguæ perdiſcendæ neceſſitatem impoſuerunt; nihil eſt, vt de numeroſa

oratio-

oratione aliquid priuatim ſcribam. Dicam igitur vniuerſe, eum numeroſe dictutũ, qui verba recte collocare nouerit, qui figuris ex quibus oritur concinnitas utetur, qui rotundos & plenos ambitus formabit, qui denique aurium iudicium adhibebit. Et ve numerus non eſt omnino negligendus, ita in eo quærendo nimia cura non eſt ponenda, neque vbiq; adhibendus; ſed ijs potiſſimũ in locis, in quibus delectare, & auditorem detinere oportebit: de quo qui plura cognoſcere cupit, quinque diſputationes legat in ſecundo de Eloquutione oratoria libro.

De tribus dicendi generibus vniuerſe. Cap. XXV.

VT apte dicere ſemper difficillimum exiſtimatũ fuit, cum id ſit eloquentis viri proprium; ita, quid ſit iſta in dicendo aptitudo, quam Græci dinoteta appellãt, nos, genus dicendi aptum, vim dicendi quemadmodum decet, & decorum, non facile eſt exponere. Eſt itaque dinotes aptitudo efficax ad perſuadendum: cui opponitur ineptitudo, ineptum & frigidum dicendi genus. Et quoniam quid ſit apte dicere doceri non poteſt, niſi tres dicendi formæ, ſiue ideæ, & characteres, quæ communiter tria dicendi genera vocantur, de quibus accurate præter alios ſcripſit Auguſtinus, explicentur; ideo prius de his tribus orationis formis nobis ſcribendum eſt. *Lib. 3. de Eloq. diſp. 18.*

Varia eſſe dicendi genera, quæ vel a rebus ipſis, vel ab ingeniorum uarietate, vel a nationibus, uel a temporibus, uel aliunde ſumuntur, apud omnes ſcriptores exploratum eſt. An uero ad pauca quædam capita reuocari poſſint, quamuis non ſit omnino manifeſtum: tamen ab Homeri uſque temporibus tria a multis dicẽdi magiſtris aſſignata ſunt dicendi genera, ad quæ omnia alia reuocare licet: de quibus ſingulis nos hoc ordine diſputabimus, De nomine, de numero, de natura, hoc eſt ex quibus rebus & uerbis conſtent, & in quibus potiſſimum ſcriptis, partibuſque orationis reperiantur. *Quint. lib. 12. c. 10.*

Tria igitur ſtatuuntur dicendi genera, quorum primum, ſummiſſum, humile, tenue, gracile, ſubtile, preſſum, callidũ, enucleatum, & acutum nominatur: alterum huic contrarium, ſublime, graue, grandiloquum, plenum, copioſum, amplum, ardens, robuſtum, uehemens, & acre: tertium, medium, interiectum, intermedium, ſuaue, temperatum, mediocre, & æquabile. Primo generi:

venu-

venuſtas,ſecundo vis & amplitudo, tertio ſuauitas attribuitur. Quæ dicendi rationes,communi nomine formæ, characteres, & ideæ orationis vocantur, Plutarchus etiam Plaſmata appellauit. Genus autem dicendi vniuerſe ſumptum, illud eſſe cenſetur,quo humilia ſubtiliter, magna grauiter, & mediocria temperate dicuntur,& vnumquodque pro ſuo decoro, quod maxime ſpectandum eſt.

Gel.lib.7.c. 14. Hæc tria genera animaduerſa ſunt in Homero, apud quem genus magnificum & vber tribuitur Vlyſſi, ſubtile Menelao,mitlũ & moderatum Neſtori. Item,notata fuere in tribus philoſophis, quos Athenienſes Romam legarunt,ad impetrandam pœnæ remiſſionem ob Oropum vaſtatum. Nam Carneades violenta & rapida dicebat, ſcita & teretia Critolaus, modeſta & ſobria Diogenes.

Harum trium dicendi formarum numerus, (quas formas etiã in pictura facile obſeruares,primam in Franciſco Saluiato,ſecundam in Michaele Angelo, tertiam in Raphaele) ex his potiſſimũ locis ſumi ſolet. Primum ex rebus ipſis, quarum aliæ ſunt ſublimes & graues, aliæ humiles,aliæ intermediæ: quibus,cum ſtylus aptandus ſit,neceſſario inde tria dicendi genera proficiſcuntur. Deinde, ex ipſa agendi & pronuntiandi ratione: nam,cum vocũ aliæ ſint graues,aliæ acutæ,aliæ temperatæ,ſummiſſioni vocis tenuitas,elationi magnitudo,& mediocritati temperantia tribuẽda fuit. Præterea,eadem varietas ortum habuit ab ipſis ſcriptoribus,quorum alij non longe abſunt a vulgi ſermone, quem ob rerum gracilitatem,& verborum tritam conſuetudinem nõn ſuperarunt:alij contra,ſententiarũ dignitate& grauium verborum maieſtate, etiam communem diſertorum hominum eloquentiam lõgo interuallo anteceſſere:alij denique medium quoddam iter tenuere,dũ illis ornatiores,his ſummiſſiores fuere. Denique,cũ duo extrema certum quendam locum cepiſſent; infimum nimirum & ſupremum,& media eſſent varia & incerta, cum pauca genera conſtitui deberent,vt de illis certa traderentur præcepta, conſentaneum fuit,duo conſtituere extrema,quaſi terminos,& aliquid intermedium; vt quæ ſunt proxima finibus & terminis, ad eos referri poſſent; & quę non abeſſent a medio,ad intermedium.

Sunt qui hanc diſtinctionẽ a tribus Oratoris officijs,quæ ſunt docere,delectare, & mouere ſumant:ſed potius diceres,Oratorẽ hæc tria genera ad ſua munera obeũda vſurpare.Nam,cum is di-

catur

ſatur eloquens,qui ita dicit,vt doceat,vt delectet,vt flectat, Orator ad docendum aſſumit genus ſubtile, & acutum:ad permouẽdum & cogendum,graue & vehemens:& ad delectandum mediocre.De quibus ea legere Concionator poterit,quæ libro quarto de doctrina Chriſtiana docte & eleganter ſcribit Auguſtinus: vbi,cum de tribus officijs eius qui perſuadere vult mentionem feciſſet,hæc ſubiecit verba.Ad hæc enim tria,id eſt, vt doceat,vt delectet,vt flectat,etiam tria illa videtur pertinere voluiſſe idem ipſe Romani auctor eloquij,cum itidem dixiſſet, Is igitur erit eloquens,qui poterit parua ſummiſſe, modica temperate,magna granditer dicere:tanquam ſi adderet etiam illa tria, & ſic explicaret vnam eandemque ſententiam dicens,Is erit igitur eloquens, qui vt doceat poterit parua ſummiſſe,vt delectet modica temperate,vt flectat magna granditer dicere. Cap. 17.

De ſummiſſo & humili dicendi genere. *Cap. XXVI.*

TRIVM ergo dicẽdi generum natura explicanda eſt, demõſtrando quibus rebus ſiue ſententijs,quib.verbis & figuris,& qua compoſitione ſingula conſtare debeant. Genus ergo ſummiſſum & attenuatum requirit ſententias ſubtiles, perſpicuas, non raras, ſed eruditas & acutas,& ad docendũ accommodatas:quales ſunt in comędijs,in colloquijs, & in communi hominum ſermone. Verba debent eſſe humilia, trita, propria tamen,non exquiſita, non rara.Ornamenta pauca,non illuſtria, tropi rariores; metaphoræ tamen faciles & non longe petitæ crebriores eſſe poterunt. Verborum iunctura libera,ſoluta, non tamen vaga, vt oratio libere ingredi,non licenter errare videatur,ſine maiori motu & amplificatione,& ſine longis crebriſque digreſſionibus. Periodi breuiores,ſimplices,non circumductæ:non tamen ſine aliquo numero,qui ſua ſponte veniat,non vocatus accedat.

Vtimur hoc genere in explicandis partitionibus,diuiſionibus, definitionibus, deſcriptionibus, in colloquijs rerum leuium, in narrationibus minus grauibus, in argumentis rerum ſubtilium, & denique cum aliquid ſimpliciter dicendum eſt.Hoc genere, vniuerſe loquendo,vſus eſt Terentius in Comœdijs,& Cicero in ſcribendis epiſtolis,in libro de amicitia,& in libris de officijs. Sũmiſſe Moſes mundi creationem ſcripſit, Chiſtus omnes ſuas fere conciones ad plebem habuit,& Paulus etiam, ut adnotauit Au-

Lib.4. de doctr.c.20. Cap.4.

guſtinus,multa teuuiter enunciauit; vt cum ad Philemonem epiſtolam exarauit,& cum ad Galatas ſcribendo dixit, Dicite mihi qui ſub lege vultis eſſe,legem non legiſtis? Scriptum eſt enim quod Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla,& vnum de libera:ſed ille quidem,& quæ apud Paulum ſequuntur.

In hoc genere peccant,qui in dicendo ſqualidi,breues,arridi, exangues,ieiuni,horridi,exiles & obſcuri ſunt. Denique,illud ad extremum addiderim,hoc genus appellari etiam Atticum,quod magna ex parte Atticis familiare fuerit: quippe qui propriiſſime loquebantur,& ornatum verecundum adhibebant:licet etiá grádi orationis genere vſi ſint,vt Cicero docet.

Sed obijceret hoc loco quiſpiam, cum ea quæ in noſtra religione & in concione tractantur,ſint ſemper magna & ſumma, nihil a Concionatore dici poterit ſummiſſe. Hanc dubitationem his verbis proponit,& docte explicat Auguſtinus.

Lib.4. de doctr.c.18.

In iſtis autem noſtris quandoquidem omnia, maxime quæ de loco ſuperiore populis dicimus,ad hominum ſalutem, nec temporariam,ſed æternam referre debemus,vbi etiam cauendus eſt æternus interitus,omnia ſunt magna quæ dicimus:vſque adeo,vt nec de ipſis pecuniarijs rebus,vel acquirendis,vel amittendis parua videri debeant quæ doctor Eccleſiaſticus dicit,ſiue ſit illa magna,ſiu e parua pecunia. Neque enim parua eſt iuſtitia,quam profecto & in parua pecunia cuſtodire debemus, dicente Domino, Qui in minimo fidelis eſt,in magno fidelis eſt.Quod ergo minimum eſt,minimum eſt:ſed in minimo fidele eſſe, magnum eſt. Nam ſicut ratio rotunditatis,ideſt,vt a puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur,eadem eſt,& in magno diſco,quæ in numulo paruo:ita,vbi parua iuſte geruntur, non minuitur iuſtitiæ magnitudo. Et tamen,cum doctor iſte debeat rerum dictor eſſe magnarum,non ſemper eas debet gráditer dicere,ſed ſummiſſe,cum aliquid docetur, temperate cum aliquid vituperatur, vel laudatur. Cum vero aliquid agendum eſt,& ad eos loquimur,qui hoc agere debent,nec tamen volunt,tunc ea quæ magna ſunt, dicenda ſunt granditer,& ad flectendos animos congruenter. Et aliquando de vna eademque re magna & ſummiſſe dicitur, ſi docetur:& temperate,ſi prædicatur:& granditer,ſi auerſus inde animus,vt conuertatur impellitur. Hactenus Auguſtinus: cuius ſingularem doctrinam,vtinam Concionatores animaduerterent, & vſu obſeruarent. Sed de hoc genere hactenus.

Luc.16.

De ſublimi, ſiue grandi dicendi genere. Cap. XXVII.

GRANDE genus res grandes ſubiectas habet, res maioris momenti, & ea quę cum contentione, & perturbatione, affectuque tractari neceſſe eſt: vt ſunt quæ in tragœdijs, & grauioribus cauſſis tractãtur, & quæ grauiter perſuadentur. Aſſumit verba ampla, magnifica, rara, atrocia, aſpera, & epitheta ſignificantia: Ex tropis, metaphoras illuſtres, crebras, etiam paullo longius petitas, quales in diuinis literis ſunt iſtæ, Inebriabo ſagittas meas ſangui- *Deut. 32.*
ne, & gladius meus deuorabit carnes. Et, Ignis accẽſus eſt in furo- *Ierem. 15.*
re meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima: deuorabitque terrã cum germine ſuo: & montium fundamenta comburet. Item, commota eſt & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis. Aſcendit fumus *Pſal. 17.*
in ira eius, & ignis a facie eius exarſit, &c. Ex figuris ſententiarũ eas adſciſcit, quæ vim, acrimoniam, emphaſimq; habent: vt ſunt, interrogationes, congeries, exclamationes, hyperboles, amplificationes, & aliæ generis eiuſdem. Hoc genere orator affectus permouet, tonat, fulminat, mortuos excitat, ſenſum rebus anima carentibus tribuit, cœlum & terram inuocat, vt eloquentiſſimus fecit Propheta, cum dixit, Audite cœli, & auribus percipe terra. In ſumma, non tam verborum ornatu, quam violentis tractatu r affectibus: dum irrepit in ſenſus, & opiniones nouas inſerit, & infitas euellit.

Adhibetur hoc genus in magnis cauſſis, in exordijs grauioribus, in narrationibus rerum atrocium, in argumentorum firmiorum tractatione, & in epilogis; vbi indignatione & querela opus eſt: in locis communibus, & in amplificationibus.

Quod vero ad compoſitionem attinet, periodos longiores admittit; orationis formam, nunc ceſam, nũc in membra diuiſam, nunc flexuoſam. De numero, non eſt magna cura habenda, præſertim cum affectus exardeſcit. Hoc genere vſus eſt Moſes, cum in *Deut. 32.*
populum erga Deum ingratum hunc in modum inuectus eſt, Audite cœli quæ loquor: audiat terra uerba oris mei, &c. Eodem ſæpiſſime prophetæ vtuntur, cum arguunt, cum calamitates futuras prædicunt: ſæpiſſime etiam Paulus in ſuis epiſtolis, præſertim in ea quæ eſt ad Romanos, & in ea, quam ad Hebræos ſcripſit. Granditer auſpicatus eſt Ioannes, cum dixit, In principio erat Verbum, &c.

Pec-

Peccant in hoc genere,tumidi,inflati, qui quandam fucatam grauitatem affectant,qui immodico vtuntur ornatu,& metaphoris prodigioſis,verbiſq; omnino raris,& improprio orationis genere,vt olim Aſiatici.

De medio ac temperato dicendi genere, deque recto trium generum vſu. Cap. XXVIII.

TEMPERATVM vero & æquabile dicendi genus ſentẽtias requirit mediocres,non vulgares, neque omnino ſublimes,robuſtas tamen & ſuaues: Verba ſelecta,ornata,ſuaues metaphoras,epithetaſplendida; figuras crebras,& quæ illuſtrem habent ornatum flagitat: Periodos numeroſas,rotundas, & quaſi in orbem concluſas: vt genus quod minus habet neruorum, voluptatis nonnihil.

Adhibetur in multis exordijs,in præfationibus, in narrationibus iucundis & ad delectandum comparatis:interdum in confirmationibus,cum argumenta minus vrgentia explicantur; in hiſtoria,in commentarijs, in quibuſdam cauſſis, in epiſtolis non vulgaribus,in laudationibus & vituperationibus, & denique in rebus philoſophicis ſcribendis.

Pſ.102.103 Nõ raro hoc dicendi genere in ſuis pſalmis vtitur Dauid; vt cum laudes diuinas cantat,gratias agit,& diuinam prouidẽtiam prædicat:eodem Paulus,cum hortatur.Qui hoc genus inuenire nequeunt,cum opus eſt,facile abeunt in genus fluctuãs, & incertum,quod ſine neruis & articulis diſſolute incedit. Atque de natura horum trium generum breuiter pro noſtro inſtituto dixiſſe ſufficiat.Verum,antequam finem huic capiti facio,quædam adijciam,quæ ſunt omnino conſideratione digna. *(Auct. Heren.)*

Primum,obſeruandum eſt,errare eos qui magna dicendi genere magno ſemper dicenda eſſe putant:cum interdum tenuiter exponenda ſint,ad perſonas & ad circunſtantias acommodate: atq; idem de alijs duobus generibus dicas.

Deinde, errant etiam qui arbitrantur omnia eodem genere perpetuo explicari,aut explicanda eſſe.Neque enim omnes epiſtolæ humili,neque omnia philoſophica temperato,neque omnes orationes & epica ſublimi ſtylo dicuntur;ſed in omnibus fere argumentis ſuo loco omnes adhibentur characteres:Quare, cum dicitur,aliquam orationem, vel epiſtolam, aut poema ali- *(Auguſt.)*

quã certa forma eſſe conſcriptum, id per excellentiam intelligendum eſt, quòd hæc, vel illa forma potiſſimum in eo dominetur. *Ioan.Mart.*

Præterea, qui delectare vult, qui ſimilitudinem ſatietatis matrem fugere ſtůdet, is decenter & apte tres dicendi formas commiſceat, & fere nunquam in eadem diu perſiſtat. Ex omnibus autem generibus tollerabilius eſt ſummiſſum, ſi diutius protrahatur, quam ſublime & exaggeratum, in quo non eſt multum permanendum; ſed interrumpendum, & variandum; ad quod tamen redeundum erit: vbi aliquæ quæſtiunculæ breuiter interſeri, & ſummiſſo genere explicari poterunt. Genus vero temperatum cum ad delectandum aſſumitur, non eſt propter ſeipſum a noſtro Concionatore, qui alium habet finem, quã vt eloquens habeatur, aſſumendum: cum non tam delectare, quam docere & mouere, & ad agendum impellere debeat. Perſuadeat in ſummiſſo genere vera eſſe quæ dicit. Perſuadeat in grandi, vt agantur quæ agẽda iam eſſe ſciuntur, nec tamen aguntur. Perſuadeat temperato ſe pulchre ornateque dicere, ſed, vt diximus, in hac perſuaſione non ſiſtat. Magni itaque intereſt, vt orationem hac triplici dicendi varietate temperemus: nam ſimilitudo ſermonis tędij ac ſatietatis parens eſt: varietas vero iucunditatis. Quare, licet ex tribus generibus, temperatum minime omnium probet Auguſtinus, quod nil aliud agere videatur qui dicit, quam vt perſuadeat ſe pulchre ornateque dicere; adhibendum tamen eſt: cum ob alias cauſſas; tum vt a ſummiſſo genere ad elatum mollius transgrediamur, & contra. Plura, & omnino lectione digna, de his tribus generibus citato loco apud Auguſtinum lege. *Auguſt.*

De decoro, ſiue de apte dicendo, quid ſit, & quomodo ſeruari debeat.
Cap. XXIX.

HIs hunc in modum de tribus dicendi formis expoſitis, ſequitur vt de apte dicendo, ſeu de decoro agamus. Qua de re illud primum vniuerſe & vere dixerim, id eſſe de numero eorum quæ humana induſtria & ſtudio explicari non poſſunt: quippe potiſſimum ex dicentis prudentia pendet. Valet itaque plurimum hac in parte Oratoris prudentia: quæ in nullo tanta eſt, vt interdum, ſummi etiam Oratores, decori nõ meminerint. Quare, cum magna ſit hac in parte difficultas, de ea aliquid præcepiſſe non erit inutile.

Poſtre-

Poſtrema itaque eloquutionis virtus,quæ in apte dicendo ſita eſt,quam Græci Dinoteta appellant,cui verbo apud Latinos nullum eſt quod proprie reſpondeat,varie explicari ſolet. Cicero his verbis eam expoſuiſſe videtur,Non omni cauſſæ,neque auditori, neque perſonæ, neque tempori congruere orationis vnum genus.His igitur rebus apte atque appoſite orationem accommodare,id demum apte dicere eſt:Quod,vt ait Fabius,non ſolum in Eloquutione,ſed etiam in Inuentione ſpectatur:cum nemo poſſit apte dicere,qui eloquentiam in rerum cognitione primum poſitam eſſe non exiſtimabit:cum,vt Horatius ſcripſit,recte loquendi caput & fons,ſit recte ſapere.

Lib.3.orat.

Quare,vt ex M.Tullio colligere licet,apte dicere volenti,quattuor præcipue ſpectanda ſunt,Quis dicat,apud quem dicat,quade re dicat,& quorſum dicat: ita vt apte dicere,ſit his omnibus ſuam orationem accommodare. Alij hoc pacto deſcribunt, Apte dicere eſt conſiderate,emendate,perſpicue,appoſite memoriter, & cum dignitate dicere Denique alij hanc aptitudinem preſſius ſumentes,dicunt, Apte & appoſite dicere eſt,cum ad docendum tenue & ſubtile genus dicendi aſſumitur:ad laudandum,æquabile & temperatum:ad commouendum vehemens & incenſum. In ſumma,cum tenuia preſſe,mediocria temperate,& magna ſublimiter non ſine morum ſignificatione dicuntur, & ita dicuntur,vt omnibus circunſtantijs ſint accommodata,tunc apte dici exiſtimandum eſt: ſed hæc quæ vniuerſe diximus, paullo plenius exponamus,aliquid priuatim dicendo de decoro ratione,dicentis,auditoris,& rei de qua dicitur.

Aug. Valer. lib.3.c.1.

Heren.auct.

Quod attinet ad perſonam eius qui dicit,aliter iuuenes, aliter ſenes,aliter principes viri, aliter priuati, aliter publici homines, aliter ſeculares,& aliter religioſi loqui debent. Vnde quędam decenter diceret epiſcopus, quæ indecore diceret alius quiſpiam, & contra Quare,non quæcunque oratio quemcunque deceret; ſicuti non quæcunque veſtes etiam ornatiſſimæ cuicunque conueniunt homini. Aliter igitur Paſtor ad gregem ſibi commiſſum loquetur,aliter religioſus vir. Decentius ad paupertatem, ad ſobrietatem,mundique contemptum ille hortabitur,qui arctam & arduam viuendi rationem iniuit;quam is qui commodiſſime & aliquo cum luxu viuit.Illud tamen vniuerſe a quocunque diuini verbi Præcone diligenter curandum eſt,vt concio morum ſignificationem præbeat;qua ſublata,omnis dictio ſordet,ac facile deſpicitur. Quamobrem,nihil arroganter, nihil inuerecunde, nihil con-

contumelioſe,nihil ſordide,nihil ſcurriliter,nihil licenter, nihil deniq; putide,ſed omnia modeſte,verecunde, humaniter,nitide, grauiter,ſobrie, & prudenter dicet, qui apte concionari voluerit. Et cum omnia vitia fugienda ſunt,tum maxime iactantia,vt optimus dicendi artifex monuit Fabius:quia,non modo faſtidium,ſed plerumque etiam odium auditoribus affert:cum qui ſe ſupra modum extollunt,non tam ſe maiores facere, quam cæteros deſpicere videantur.

Quod attinet ad perſonas apud quas dicit,quis non videat inepte eum dicere,qui eodem modo apud omnes loquitur? dum nec ſexum,nec ætatem,nec ſtatum, nec indolem, nec mores bonos, vel malos conſiderat. Hoc decorum ſeruandum eſſe monuit Apoſtolus,cum Timotheo præſcripſit,quid uiros,quid vxores,quid ſeniores,quid iuniores,quid diuites docere deberet.Quare,aliter cum viro religioſo de ſanctitate,aliter cum negociatore de mercatura, & aliter cum Principe de recta gubernandi ratione aget: atque idem de alijs dicas. Qua autem ratione priuatim diuerſa perſonarum genera commonenda ſint, late vir pius Auguſtinus Valerius docuit: cuius ſcripta tirones conſulere poterunt.

Vt autem adhuc planius hanc decori partem exponamus, tria in auditoribus prudenti Concionatori præcipue animaduertenda eſſe ſtatuimus,Dignitatem,mores,& intelligentiam.Nam, quod ad intelligentiam attinet, quis non videat eum imprudéter & inepte dicere, qui ea dicit, quæ qui audit intelligentia conſequi minime poteſt?Ad ædificationem eccleſiæ,inquit Apoſtolus, quærite ut abundetis.Et infra,Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor:ſed in eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui,vt & alios inſtruam, quam decem millia verborum in lingua.Et alio loco,Tamquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi,non eſcam:nondum enim poteratis. Nouerat enim illud quod eius Magiſter ſuis diſcipulis nondum perfectis dixerat, Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo.Caueant igitur noui præſertim Cócionatores,quos pruritus quidam ingenij doctrinæque oſtentandæ commouere ſolet, ne ea dicant, quæ captum audientium ſuperant: Quod cum aliquando Chryſoſtomus nondum epiſcopus feciſſet, a quadam muliere,quæ fortaſſe intelligendi cupiditate ardebat, dum ſermoné habebat,interruptus fuit: quæ eius orationem infructuoſam appellare,aut pietate,aut audacia commota,non dubitauit.Quare, non ſatis eſt ſcire,ſed etiam docendi rationem tenere oportet: cú

1.Cor.14.
1.Cor.3.
Ioan.16.

Z non

non tam laudabilis ſit magnarum rerum notitia, quam eius vtendæ prudentia: qua certe caret, qui in eo Oratoris officio, quod eſt cæterorum fundamentum, tam inepte errat; qui ita docet, vt quæ dicit intelligi non queant. Mores autem & dignitas potiſſimum in arguendo ſpectanda ſunt, vt alibi docuimus. Vnde Chriſtus cõtra Phariſæos qui in peccatis callum obduxerant, ita aggreſſus eſt, Progenies viperarum, &c. & Paulus in Galatas, O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit, &c. At vero erga eos qui potius imbecillitate, quam peruerſitate peccabant, his vocibus Recuperator noſter vſus eſt, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quod vero ad res ipſas, & ad earum inuentionẽ pertinet, is apte dicet, qui ad tractandum argumentum pro tempore & loco ſumptum, locos accommodatos, vt alias diximus, inueniet, & quæ ad rem & ad propoſitum finem conſequendũ pertinent, explicanda ſuſcipiet: non fabuloſa, non apocrypha, non ambitioſe quæſita, non inanes quæſtiones, & rerum prophanarũ narrationes: qui communes locos commode interſeret, & digreſſiones non extraneas, ſed ad rem pertinentes faciet: qui denique id aget, cuius gratia dicere inſtituit, aut inſtituere debuit, & ad ea quæ inſtituta ſunt dictionem, formamque dicendi accommodabit.

Mat. 15.

Gal. 3.

Sed vt aliquanto diligentius hanc quoque partem exponam, quod paullo ante de rebus grauioribus, & ad auditorum ſenſum & vtilitatem minime accommodatis vitandis, deque doctrina nõ oſtentanda dicebam, id omnino ſeruandum eſt; cum in hoc facile, & paſſim a multis peccetur. Damnant viri docti Lucanũ, quod ſæpius rei ſuſceptæ oblitus, in medio ciuilium armorum ſtrepitu, Aſtronomiæ, Coſmographiæ, Phyſiologiæque ludum aperiat. Contra Virgilium admirantur, quod grauiſſimarum rerum ſcientiam parce admodum, & quaſi aliud agens, potius attingat, quam pertractet. Cicero quoque quibuſdam in locis aliquid a communi conſuetudine alienum explicaturus, veniam antecatur. Quanto igitur magis a Chriſtiano Oratore doctrinæ & ingenij oſtentatio uitanda erit; ne magis ſeipſum commendare, quam Chriſtum docere, & potius in ſchola, quam in concione dicere videatur? Contra qui faciunt, ad popularem ſenſum accommodate minime dicunt, ſed omnia obſcure & tenebricoſe effundunt. In quo etiam illi offendunt, vt alio quoque loco monuimus, qui, vt videantur docti, hæreticorum ſectas & errores apud populum bene ſentientem exponunt, & impuram

Pro Arch.

Mur.

ziza-

zizaniam cum puriſſimo frumento, & fermentum cum azymo permiſcent;cum tamen,ne nominari quidem deberent. Id,quam ſit periculoſum,ex eo cognoſci poteſt, quod ex hac concionandi ratione,qua Alexander Alexandriæ epiſcopus aliquando vſus eſt, ſuæ ſententiæ ſpargendæ,qua nihil vnquam peſtilentius,nihil funeſtius, & perniciosius pronuntiatum fuit, occaſionem ſumpſit Arius:cuius impium dogma vniuerſum fere terrarum orbem opinionum diſſidijs,Imperatorum armis,bellorum terroribus cõcuſſit.Et ſane, cum rariſſime diſputationes cum ipſis hæreticis habitæ feliciter ſuccedãt,quid vtilitatis afferre poſſunt, apud eos qui recte ſentiunt? Fugiatur itaque a prudente Concionatore omnis doctrinæ oſtentatio,dum eam docet doctrinam,cuius radices ſunt in ſummiſſione fundatæ: quam is facilius vitabit, qui non ignorabit,multa vni non conuenire, quæ alteri conueniunt: & is qui de ſeipſo nihil dicet: cum vix quiſpiam de ſe ita circũſpecte loqui poſſit,qui parte aliqua nõ offendat, aut in verbo nõ labatur,& nõ inepte atque indecore aliqd effundat, etiam cum ſe de ſe parum ſentire exponere voluerit.

Vniuerſa apte dicendi ratio ſummatim explicatur. Cap. XXX.

VT autem quæ hoc loco & alibi de decoro in oratione ſeruando dixi aut dici poſſunt, ſummatim exponam, de ampliſſima grauiſſimaque re ita breuiter ſtatuo.

Is cum decoro dicet,qui tria dicendi genera diſtinguet,& parua ſummiſſe dicet,vt doceat,mediocria temperate & ornate,vt delectet,& magna granditer atque ardenter,vt moueat:qui hæc genera,prudenter permiſcere,& ſuis locis adhibere,& ab vno ad aliud tranſire poterit:qui eandem rem vario modo pro circunſtantiarum ratione tractabit; ſubtiliter cum docet,temperate cũ laudat,& exaggerate cum vt fiat perſuadet:qui varietate vtetur, & eandem rem varijs modis enunciabit;affirmando,negando,interrogando,dubitando,exclamando, adiurando, admirando,occupando, repetendo, aliaſque enunciandi formas adhibendo. Is apte & cum decoro dicet, qui ſuo loco digrediendo,ad rem apte reuertetur, & longas digreſſiones reſecabit: qui difficiles & parũ vtiles quæſtiones vitabit: qui falſas opiniones iam diu ſopitas non excitabit:qui nullas fabellas ad riſum commouendum,ut aliqui certis diebus facere ſolent,interſeret:qui verba idem ſignificantia

ficantia ad eloquentiæ opinionem aucupandam non congloba-bit:qui ſuperuacaneis epithetis non vtetur, vt ille qui cum Paulum vel Dauidem nominabat,illi Tarſenſem,huic ſereniſſimum ſemper addebat: qui linguarum varietate ſuam dictionem non cõfundet:qui ita ſummiſſe,temperate, & ſublimiter dicet, vt nec aride,nec diſſipate,nec inflate dicat. Hæc & id genus alia qui nõ vitat vitia,is inepte & frigide dicit. In ſumma, is appoſite dicet, qui ad dicendum diuino inuocato auxilio accedet: Qui docturus quod explicandum eſt proponet,propoſitum explanabit:qui definitione,diuiſione diſtinctioneve vtetur: qui rationem eius quod dicit adijciet:qui exemplo confirmabit, ſimili illuſtrabit,digreſſione & amplificatione dilatabit,dicta cum dicendis coniunget; & quæ dicta ſunt artificioſe colligendo orationem concludet: Laudaturus vero ſententijs grauibus, verborum luminibus varijs vtetur:& res ipſas oratione effingere & ob oculos ponere,conabitur:iis adhibitis conformationibus quæ ad exornandum valét: Et affectus incenſurus,affectam orationem conficiet, & eas aſſumet figuras quæ vim ad commouendum habent:atque vocem liberam monendo,hortando,arguendo,comminando,imprecádoque proferet:& omnia quę vel ſummiſſe,vel æquabiliter,vel acriter dicet,cum quadam vocis & geſtus moderatione atque dignitate dicet:ita vt oratio ab actione nullo modo diſſideat,ſed ex vtraque quædam fiat temperatio, & quaſi quædam optima harmonia. Nam cum tria dicendi genera,vt ſupra ſcripſimus,ex triplici vocum ſono diſtinctionem habeant, ſingula congruenti voce pronuntianda ſunt:ac proinde inepte dicunt,qui omnia vociferationibus replent: qui eadem ſemper monotonia vtuntur: qui voces & geſtus accommodare neſciunt.

Is igitur aptus,& vt Græci loquuntur,dinos vocetur Eccleſiaſtes,qui conſiderate,emendate, perſpicue, appoſite & cum quadam actionis dignitate dicet; & quæ ſupra recenſuimus ornatæ orationi contraria declinabit vitia; quæ eam ingratam & inſuauem reddunt. Quæ etiam multo minus placebit,ſi fuerit hebes, quia nihil habet acuminis:ſi ſordida,quia omni nitore & elegantia eſt deſtituta:ſi ſterilis,quia nulla verborum copia,nulla rerum varietate eſt dilatata,ſed ſicca & ieiuna incedit:ſi ſubtriſtis,quia nihil continet ſuauitatis & ſalis: & denique, ſi vilis & abiecta,vt eſt illa,in qua omnia negligenter, & nihil accurate dicitur. Qui ergo apte & cum decore dicere voluerit, virtutes his vitijs contrarias adſciſcat. Id,& quæ diximus alia is ſolus præſtare poterit,

qui

qui prudentia, vel potius ſapientia, fuerit ornatus: quam eloquẽtiæ fundamentum vocauit Cicero. Nam, vt idem ait, in omni re poſſe quod deceat facere, artis & naturæ eſt: ſcire quid, quando-que deceat, prudentiæ: quod vt in vita, ſic in oratione longe difficillimum eſt. Quare, ſi decorum, eodem definiẽte, nihil aliud eſt, quam æquabilitas vniuerſæ vitæ, tum ſingularum actionum, decorum, quod nunc exquirimus, vt omnia quæ de eo diximus breuiter complectamur, orationis æquabilitatẽ eſſe dicamus: Æquabilis autem oratio ea dicitur, quæ ſibi perpetuo ſimilis eſt, & quę cum rebus, cum perſonis, cum locis, & cum temporibus conuenientiam habet. Et cum Concionator ſit dux, lux, & ſal mundi, ſi ſuæ perſonæ decorum ſeruare voluerit, nihil perturbate, nihil caliginoſe, nihil inſulſe dicere debebit. Hæc prudentia, ſine qua decorum nõ poſſe ſeruari diximus, optabile quidem bonum eſt, ſed non facile parabile: cum omnino difficile ſit, vt vnus de ſuperiore loco de varijs maximiſq; rebus ad populum dicendo, eam ſuſtineat perſonam, in quam ſumma grauitas, auctoritas, virtus, & ſanctitas cadit; omnibus ſatisfaciat, tot conuiuis idoneos cibos miniſtret, res tãtas pro dignitate diſpenſet, & nihil excidat, quod reprehendi non poſſit. Orandus itaque Deus eſt, vt Angelũ mittat, qui ignito calculo labia purget; atq; vna cum Eſther petendum, vt congruum ſermonem donet. Si enim, vt diui Auguſtini verbis hunc locum concludam regina Eſther orauit pro ſuæ gentis temporaria ſalute, loquutura apud Regem, vt in os eius Deus congruum ſermonem daret; quanto magis orare debet, vt tale munus accipiat, qui pro æterna hominum ſalute in verbo & doctrina laborat? Et quoniam decori ratio, vt ſupra ſcripſimus, non tam a ſcribentis doctrina atque præceptis, quam a ſingulari quadam dicentis prudentia, quę diligenter ſingulas circunſtantias rerum, perſonarum, locorum, temporum, cauſſarum, & partium orationis diligenter obſeruet; ideo nihil eſt cur plura dę eo ſcribamus: cum præſertim pauca quæ diximus, ſi quis ea animaduertet, & ad vſum traducet, ſufficere poſſe videantur. Si quis autem quędam alia videre vellet, ea legat quę in fine libri tertij de Eloquutione oratoria ſcripſimus: quo loco multis diſputationibus orationis ideas iuxta Hermoginis doctrinam expoſuimus. Illud autem a diuino Concionatore iterum atque iterum peterem, vt in ſuis concionibus conficiendis oculos in omnem partem conuertat, omniaq; accurate perluſtret, ne quid ine-

Iſa. 6.

pte dicat:cum ex inepto dicendi genere multa oriantur incommoda, quæ multum & dicenti & audienti obſunt: quæ hoc loco recenſerem, ni ex ijs quæ varijs in locis diximus facile intelligi poſſent. His igitur omiſſis, cum nihil aliud de Eloquutione nobis dicendum reſtet, ad alias duas eloquentiæ partes explicandas, ſtylum conuertamus;

Libri quincti finis.

DE RHETORICA DIVINA

Liber Sextus:

IN QVO DE PRONVNTIATIONE & memoria agitur.

Quanta ſit bonæ pronuntiationis neceſſitas.

CAPVT PRIMVM.

CVM primum hoc de rhetorica diuina opus mihi conficiendum propoſui; de duabus partibus, hoc eſt, de pronuntiatione atque memoria, quorundam bonorum rhetorum exemplo commotus, nihil omnino ſcribere decreui. Poſtea vero, cum harum duarum partium doctrinam ad finem Concionatori propoſitum obtinendum maximam vim habere non ignorarem, aliquid de vtraque præcipere operæ pretium fore exiſtimaui.

Primum itaque hoc libro de Actione ſcribam, eiuſque neceſſitatem ante omnia paucis demonſtrabo: vt ea cognita, maiorem in hac parte excolenda diligentiam ponat is, qui perfectus euadere vult Concionator. Confert ergo recta pronuntiandi & agendi ratio, vt ſummatim dicam, ad tria Oratoris munera recte obeũda, ad docendum, delectandum, atque mouendum. Etenim, quod ad docendum attinet, ſæpenumero quæ ſit alicuius loci vel orationis ſententia, quantaque verborum vis atque energia ſola pronũ

tiatione percipitur, & exprimitur; vt ſine recta pronuntiatione nullam ſententiam plane ac plene percipi & exprimi poſſe affirmare liceat. Vt hic omittam multa pronuntiationis vitia, quę penitus orationem obſcuram & cœcam reddunt: de quibus paullo poſt ſcribetur. Cum ergo multa ſint quæ ſine geſtu exprimi non bene poſſunt; profecto ad docendum fidemque faciendam pronuntiandi doctrina erit neceſſaria: vt merito Fabius abſolutus recte agendi artifex dixerit, Quare, neque probatio vlla quæ modo venit ab Oratore, tam firma eſt, vt non perdat vires ſuas, niſi adiuuetur aſſeueratione dicentis. Inepte itaque enuntiata oratio eſt veluti ſtatua quædam immobilis & tenebris inuoluta: cui ſi actionis lumen ſpirituſque addantur, vndique collucet, & quaſi in vitam reuocata, ſeipſam & alios mouet, reſq; quarum vicem gerit, in lucem profert, oculiſque ſubijcit.

Lib. 4 de off. ic. ora. diſp. 2.

Quod vero ad delectationem attinet, quid oratione belle enūtiata delectabilius fieri poſſit? cum duos præcipuos ſenſus auditum & aſpectum mirum in modum ſuaui ſono elegantiaque afficiat: non ſecus ac lumen & harmonia eoſdem ſolent afficere: eſt enim actio eloquentiæ lumen: & in pronuntiando quædam latitat melodia. Itaque humanus ſermo inepte enūtiatus, eſt quaſi cibus ſine ſale, pictura ſine coloribus, & corpus ſine anima. Namq;, quid poteſt guſtari inſulſius, quam oratio ſine vllo actionis ſale condita? & quid videri & audiri moleſtius, quam ſi humilia ſuperbe, grandia leniter, læta meſte, & mœſta hilariter pronuntientur? Contra vero quid ſentiri iucundius, quam humana vox grata quadam uarietate & numero prolata? quæ ſuauiter in aures influit, & animum varijs ſenſibus afficit: & quid uideri ornatius, atque venuſtius, quam humana actio in varios uultus ac formas, pro rerum uarietate mutata? Huc facit, quod infantes pueri ſuis ſcitis geſticulationibus ſibi beneuolentiam facile conciliant, & ſpectatores commouent: & fœminæ, alias parum formoſæ, actionis dignitate, & ſermonis gratia maximam laudem aliquando ſunt conſequutæ. Quid? quod etiam balbutientes, quorum ſermo ſolet eſſe ingratus, dum quodam uocis flexu utuntur, non exiſtūt ingrati.

Cic. li. 3. ora.

Cic. ora pro Arch.

Denique, quod attinet ad motum, uocis moderatione, corporiſque geſtu aliquando maximæ iratum flammæ fuerunt extinctæ: ut merito Sapiens dixerit, Reſponſio mollis frangit iram. Affectus omnes, inquit Fabius, langueſcant neceſſe eſt, niſi voce uultu, totius prope habitu corporis inardeſcant. Neque enim, ut idē ſcribit

Prou. 15.

ſcribit,tam refert qualia ſint quę intra noſmetipſos cōpoſuimus, quam quomodo efferantur: nam ita quiſque ut audit, mouetur. Huc facit hæcſcitiſſima diui Bernardi ſententia: Solet acceptior eſſe ſermo uiuus,quam ſcriptus,& efficacior lingua,quam litera: nec tam affectum exprimit ſcribens digitus,quam vultus. Non tam enim quid dicas,aut quibus verbis dicas,quam quo vultu & actione dicas,attendere homines ſolent.Id adeo verum eſt,vt ſi ré atrociſſimam leni & languida voce pronunties,ita qui audiunt, vt tu enuntias eam concipiant,neque pro rei atrocitate cómoueantur: Contra vero,ſi rem leuem acri voce vultuque enuntiaueris ſimilem motū in auditorū animis excitabis.Vt merito Callidio atrocem & veram cauſſam,leniter tamen & languide agenti,Cicero dixerit, An iſta,ſi vera eſſent,ſic a te dicerentur? Tantū abeſt vt inflammares noſtros animos, vt ſomnum iſto loco vix teneremus. *Epiſt. 66.* *In Brut.*

Nullo itaque modo Actio,quæ eſt veluti quædam corporis eloquentia,negligenda eſt. Nam,vt animus ſententias præclaras inuenit,& inuentas bene iudicat, & recte iudicatas collocat,atq; exornat;ita corpus ſua actione,illuſtrem,probabilem,ſuauem,& lacertoſam reddit orationem;.quæ per geſtus oculis cernitur, & per vocem auribus percipitur:quæ,etſi alias optima ſit,exibilatur tamen,& exploditur,niſi accurate appoſiteque fuerit pronūtiata. Ideo Demoſthenes interrogatus,quid in tota dicendi ratione eſſet primum,ſecundum,ac tertium, Actio reſpondit:idq; experientia edoctus affirmauit.Exploſus enim primum ab auditorib. propter incommodam actionem, & ei Demades piſcator prælatus fuit:quam ob rem hiſtrionibus operam dedit,& in declamando aſſidue ſe exercuit,actionemq; ad ſpeculum conformauit: in qua tantum excelluit, vt non tam agere, quā tonare uiſus fuerit.

Tantum itaque,vt hoc caput concludam,Orator pronuntiandi arte excultus ab oratore hac arte deſtitutus diſtat, quantum in canendo ingratus cucullus, a luſcinia: dum ille vno eodemq; tono inſuauiter,hæc vero voce grata varietate inflexa & corrugata,ſuauiſſime canit. Quamobrem,qui tria Oratoris munera præſtare finemque ei propoſitum attingere voluerit, is rationibus & exemplis commotus,in hanc præcipuam eloquentiæ partem diligentiam non mediocrem collocet.

Quid, & quotuplex ſit pronuntiatio, & quæ eius partes, & virtutes.
Cap. II.

CVM ergo in bono Concionatore tanta ſit recte pronuntiandi neceſſitudo, quantam contra aliquos minus prudentes Declamatores eſſe demõſtrauimus; de re ipſa dicere aggrediamur.

Lib. 4. de offic. orat. diſpu. 2. Pronuntiatio eſt vocis, vultus, & geſtus pro rerũ, & affectuum, & coniunctorum ſimpliciumque verborum natura ac varietate, moderatio cum venuſtate.

Cuius duæ ſunt partes, altera naturalis, qua vi impulſuque naturæ certa quadam ratione animi ſenſa affectuſq; efferuntur: quæ pro inſtrumentorum ratione melior peiorque exiſtit: altera artificioſa ex notatione naturalis pronuntiationis procreata: cuius cõficientes & perficientes cauſſæ quattuor eſſe cenſentur, Natura, ars, exercitatio, & imitatio. Quæ duplex eſt; altera ſcenica, altera oratoria; quæ non parum inter ſe differunt, vt quiſque ex ſe facile intelligeret: nos de oratoria acturi ſumus. Cuius partes, a quibuſdam duæ numerantur, vox, & motus: ab alijs tres, vox, vultus, & motus: ab alijs denique quattuor, vox, ſpiritus, geſtus, & linguæ motus. Nos omnia quæ dicturi ſumus ad vocem, & actionem reuocabimus: ac primum de voce agemus, de cuius natura & cauſſis quæ dici poſſent, philoſophis relinquentes, eius quaſdam diuiſiones a quantitate & qualitate ſumptas ſubijciemus.

Cic. in Bru. Streb.

Lib. 4. de offic. ora. diſput. 6. Vox igitur ratione quantitatis diuiditur in paruam, magnam, & mediam: parua ea dicitur, quæ longius exaudiri non poteſt: magna vero quæ longe lateque exauditur: media eſt inter magnam & paruam moderatus ſonus. Huc referres tres vocis tonos, quorum vnus grauis, quo aliquid canora, & ſedata, æquabilique voce pronunciatur: alter acutus, quo aliquid magna & acri voce effertur: medius inter acutum & grauem eſt interiectus: quo voce clara, expreſſa atque ſuaui aliquid pronuntiamus. Priori tono reſpondent notulæ quæ in muſica, Vt, Re, vocantur: ſecundo notulę Sol, La: tertio, Mi, Fa. Qui omnes ſpectari poſſunt in tota oratione, in ſententia, in dictione, in ſyllaba, & in litera: & rurſus, in expoſitione, in probatione, in amplificatione, & denique in omnib. partibus orationis, in exordio, in narratione, & in alijs.

Lib. 4 de offic. orat. diſpu. 3. Ratione qualitatis vox in has formas a quibuſdam diuiditur. Vox, alia eſt lenis, alia aſpera, alia continens, alia interrupta, & interciſa: alia tarda, alia velox: alia ſedata, ſiue tranquilla, alia vehemens

hemens & concitata:alia clara & canora,alia obſcura:alia expreſſa,ſiue explanata,alia non expreſſa,ſiue non explicata: alia mollis & flexibilis,alia dura quæ non facile flectitur:denique,alia firma & conſtans,& in ſua dignitate permanes;alia huic contraria,quę infirma vocatur. Atque hæ fere ſunt vocis qualitates ad recte pronuntiandum magis neceſſariæ atque obſeruandæ: quæ ſuis ſententijs,& dictionibus accommodandæ ſunt. Ex quibus colligere licet,quæ vox dicatur bona,quæ mala,ſeu apta & inepta. Apta ea dicetur,quæ rebus,perſonis,affectibus,& verbis, tum ſimplicibus,tum coniunctis eſt accommodata:inepta vero,contra.

Animaduertit Fabius in Pronũtiatione, ſicuti in Eloquutione has quattuor virtutes,quid ſit emendata,dilucida,ornata,& apta.

Erit emendata,ſi omni vitio carebit:ſi nec rudis,nec exilis,nec nimis plena fuerit:ſi nihil ruſticitatis,nihil aſperitatis,nihil incõditi,& abſoni habebit: & in ſumma,ſi nihil contra pronuntiationis canones peccabit.

Erit dilucida, ſi clara, canora, articulata, expreſſa, non velox, non tarda,non obſcura fuerit:ſi ſyllabæ, & literæ recte pronuntiabuntur;ita tamen,vt non numerentur: ſi diſtinctionum habebitur ratio: ſi pro ratione punctorum magis minuſque quieſcet: ſi facile & ſine labore dicetur:ſi ſpiritus ſuis locis antequam deficiat ſumetur.

Erit ornata,ſi facilis,firma,grauis,acuta,temperata,concitata, ſedata, & pro rerum varietate ſuis figuris & formis expreſſa: ſi ſuauis atque iucunda,non tamen effœminata,nec affectata;ſed virilis,& auctoritatis plena:ſi non nimis effuſa, aut compreſſa,vel vi expreſſa:ſi initia,progreſſus,& terminos habebit idoneos:& denique,ſi quadam grata concinnitate auditorum aures permulcebit.

Poſtremo erit apta,ſi pro rerum,ſententiarum,& verborum varietate erit formata:ſi ſe in varias figuras conuertet,vt idonee varios animi affectus exprimat,& in aures influat: ſi non diſſipata, ſed quaſi colligata fuerit: ſi non vno ſemper tenore & curſu incedet:ſi denique grandia acriter, mediocria leniter, & humilia remiſſe dicentur.

Quædam de recta pronuntiandi ratione præcepta. Cap. III.

VT adhuc multo melius pronuntiationis virtutes exponam, quæ ad bonam pronuntiationem pertinent, ad quædam pauca præcepta reuocabo, quæ ferè ex dictis colliguntur.

Lib. 4. de offic. orat. diſput. 5. Primum, vox, ſiue pronuntiatio ante omnia debet eſſe dilucida: cum ideo vox inuenta ſit, vt animi ſenſa exprimat: quem finem non aſſequetur, ſi obſcura fuerit. Erit autem dilucida, ſi verba tota exegerit, quorum pars interdum deuorari, pars deſtitui ſolet, extremis etiam ſyllabis omiſſis, dum prioribus indulgetur.

Secundum, pronuntiatio debet eſſe diſtincta: erit aut talis, ſi is qui dicit, ibi incipiat & deſinat, vbi oportet: ſine qua virtute nulla in agendo virtus eſſe poteſt. Ad diſtincte pronuntiandum, in oratione vitanda eſt coniunctionum multitudo, periodorum magnitudo; quia longis & magnis periodis vox impeditur; ſicuti corpora magnis oneribus grauantur: atque auditorum aures moleſtia afficiuntur: adhibendæ & quærendæ ſunt diſtinctiones, & interpunctiones iuxta ſenſum, non ſecundum Oratoris ſpiritum inſtituendæ: quod cum non faceret Heraclitus, qui de induſtria obſcurus eſſe volebat, ab Ariſtotele fuit reprehenſus.

Tertium, adhibenda eſt vocis mutatio & varietas; vitanda monotonia, vna ſcilicet ſpiritus & ſoni, ſine vlla intermiſſione intenſio. Hæc virtus gratiam orationi præbet, & aures quaſi renouat, Oratorem ipſum reficit, vt ſtandi, ſedendi, & ambulandi vices: cum tamen nihil horum diu pati poſſimus. Qui clamoſe omnia proferunt, inſani iudicantur: qui ſummiſſo murmure vtuntur, omni motu carent, aut ſi quid mouent, riſum mouent.

Quartum, ut varietas & mutatio vocis apta & decora ſit, rerũ, ſenteniarum, animorum motus, verborum, partium orationis, & numerorum ratio habenda eſt: quo autem modo id fieri debeat, poſtea docebo. Atque his quattuor præceptis vniuerſe totam recte pronuntiandi rationem contineri non male dixeris: quę multo melius acquiri poterit, ſi quæ in ea ſolent eſſe vitia vitabuntur.

Quæ

Quæ ſint pronuntiationis vitia. Cap. IIII.

VITIORVM, quæ in pronuntiatione notantur, alia a natura proficiſcuntur, alia ex mala conſuetudine, prauaque imitatione accedunt. *Li. 4. de offi. orat. diſp. 10*

Naturæ uitia quattuor numerantur, Iſchnotes, ſeu Iſchnophonia, id eſt uocis gracilitas, & exilitas: cum nimiũ tenuis & anguſta eſt, & ſemiclauſis labris uerba pronuntiantur. Mogilalia, hoc eſt hęſitantia quædam in uerbis: quãdo magna cum difficultate uix tandem oratio profertur; quo uitio pueri, ſenes, & ebrij laborant; ut olim Metellus Pontifex, qui multum laborauit, ut, Opipare recte pronuntiaret. *Plin. lib. 11. cap. 51.* Kœloſtomia, cum uox in ore, quaſi in quodam ſpecu obſcuratur, & tantum uelut in receſſu auditur. Poſtremum Traulotes, id eſt bleſitas, cum certa aliqua litera exprimi nequit, ut olim accidit Demoſtheni qui R, pronũtiare non poterat: ac etiam illis qui, ut in diuina narratur ſcriptura, hanc uocem Schibbolet, recte pronuntiare non poterant. *Iud. 12.* Conſuetudinis, uel prauæ imitationis hæc notantur uitia. Agreſtis & ſubruſtica pronuntiatio, ac literarum dilatatio; cũ diductis nimium labijs, & ore propatulo oratio profertur, quod qui faciunt, Platiſtomi uocantur: qui, etſi quandam ſimplicitatẽ præ ſe ferant; tamen agreſtem & ſubruſticum ſuum animum produnt. Celeritas ac uolubilitas orationis, qua dicenda confunduntur, oratio, luce ſublata, obſcura redditur, affectus pereunt, & uerba aliqua ſui parte fraudantur. Tarditas etiam in uitijs ponitur; nam, ut eſt neceſſaria uerborum explanatio atque diſtinctio, ita omnes numerare literas odioſum eſt. Hoc uitium inueniendi difficultatem indicat, animum ſegnitia diſſoluit, & tempus ad dicendum præfinitum ante labi ſinit, quam finiatur oratio. Vocis nimia contentio & clamor, græce boatiſmos: quod uitium Aeſchines Demoſtheni obiecit; quo etiam primis annis laborauit Cicero. Hoc uitium uocem maiore niſu ſuffocat; quę eliſa in cloſmon, hoc eſt, in glocitationem, qualis eſt immaturus gallorum cantus, erumpit. Damnatur etiam ſyllabarum decurtatio, græce colobotiſmos, cum ſcilicet extremæ ſyllabę non exprimuntur, ſed deglutiuntur. Vitioſa eſt ſclerotes, ſiue trachytes, hoc eſt uocis aſperitas, cum literæ quædam, ut I, L, S, R, uel aliæ ruditer, uel aſpere, & ultra decorum pronuntiantur; ut ſi more cuiuſdam Arij Chomoda, & choronam, pro commoda, & corona diceres. Cantus quoque in Oratore cuius oratio grauis eſſe debet, non laudatur;

eſtque

eſtque cantus ad affectus mouēdos minime accomodatus:admittit tamen Cicero cantum quendam, ſed obſcurum,non apertū. Vitioſa ſyllabarum productio aut correptio, pronuntiationem fœdat:quo vitio Pauſanias Grammaticus laborauit,qui vulgo Coquus eſt appellatus, quod ex multis ſumptuoſis cibis obſonium minus ſuaue præpararet. Huc pertinet vitium illud in quod nūc multi labuntur,dum finales ſyllabas acuere volunt. Denique vitioſe pronuntiant,qui maiorem ſpiritus partem per nares effundunt.

Volat.li.18

Hæc et ſi quæ ſunt alia in pronuntiando vitia corrigi poſſunt exercitatione;in qua primum animaduertendum eſt tempus, ne vox exerceatur cum humores praui adſunt,cum ſtomachus cruditate laborat;nec ſtatim poſt cibum,ſed ieiuno ore vox exercenda eſt:qui ſecus faciunt a Plutarcho reprehenduntur.Deinde cōſiderandus eſt locus. Habuerunt olim Græci & Romani ᾠδεῖα ſua,& loca theatrorum more extructa,vbi antea ſe exercebant, quam in theatro recitarent. Demoſthenes in locis concauis,vt Plutarchus ſcribit,& in litore maris ſe exercere ſolebat: qua induſtria vocis prauitates emendauit,ob quas prius a ſuis auditoribus non raro fuit exploſus.Habebant etiam ſuos phonaſcos,hoc eſt exercendæ vocis magiſtros.Sit exercitatio quotidiana, & operi ſimillima,& quæ dicuntur memoriter pronuntientur:& ea dicantur,quæ varium flexumque ſermonem requirunt.

Ariſto.ſect. 11. prob.22
Lib.de ſani. tuen.
Cęl. lib.15. c.12.
In eius vita.

Præterea,adhibeatur obſeruatio,& aliorum imitatio:ſed eorū quos imitari volumus habenda eſt ratio: quamuis non ſolum ab illis qui bene, ſed etiam ab alijs qui perperam dicunt aliquid diſcendum ſit;fugiendo ea quæ in eis diſplicere notauerimus;vt Cicero in Antonio vocem minus claram,in L.Cotta ſubruſticam,in Antiſthio ineptias & claudicationem.

Conferunt etiam comœdiarum & tragœdiarum actiones: quā ob cauſſam Cicero Roſcio & Æſopo operam dedit,& Demoſthenes Satyro.Exercendus eſt etiam ſpiritus, vt ſit quam lōgiſſimus; quod vt Demoſthenes efficeret,ſcandens in aduerſum, quam poſſet verſus quamplurimos continuabat. Atque hęc de pronuntiatione,ſiue de voce dixiſſe volui:plura pluribus diſputationibus in rhetoricis diximus.

De geſtu,ſiue motu vniuerſe. *Cap. V.*

EXPLICATA itaque vocis natura, ſequitur vt de geſtu dicamus: cuius tanta vis eſt, vt ſolo geſtu intimas animi cogitationes homines manifeſtent: qui ijdem apud omnes nationes remanſere, linguarum nata varietate. Non minus itaque geſtu & corporis motu, quibus animalia ſuas affectiones, iram, lætitiam, & adulationem oſtendunt, quam vocibus voluntas declaratur. *Li. 4. de offi. orat. diſp. 7.*

Cum ergo non ſolum voces, ſed etiam geſtus ſint animi indices, eorum magna in agendo habenda eſt ratio: & quidem, ſi Ciceroni credimus, maior geſtus atque vultus, quam vocis ipſius, cũ ſententiæ acutæ, & elegantia verba ſæpe inducton non moueant, vt geſtus faciunt: qui cum animo & vocibus conuenire debent; quibus vim quandam maiorem ſpiritumque addunt.

Eſt itaque geſtus totius corporis & partium eius pro rerum animo conceptarum, & eloquutionis, & affectuum varietate moderatio cum venuſtate. Qui partim naturalis, partim artificioſus eſt; quem in ſcenicum & oratorium diuideres: ille immodicus & in imitando nimius, hic res ipſas modica ſignificatione repręſentat. Motus autẽ ſine quo nullus eſt geſtus, vel eſt totius corporis, vel partium aliquarum; vt capitis, brachiorum, digitorum, & aliarum: quarum geſtibus certas animi notiones ſignificare ſolemus: quod latius demonſtrare poſſem, ſi hac in parte immorari vellem: ſed his omiſſis, de totius corporis, & quarundam partiũ geſtu aliquid breuiter adſcribam.

De totius corporis & ſingularum partium motu ac geſtu.
Cap. VI.

QVOD igitur ad totum corpus attinet, ſtatus ſit erectus atque celſus: non incuruatus, quia ruſticitatẽ, non vacillans, quia leuitatem, non deiectus, quia animum mollem & effœminatum indicat: contra erectus, magnum, conſtantem, & fortem demonſtrat. Deinde, trunco Orator ſeſe moderabitur, & potius totum corpus quam aliquam eius partem mouebit: ne, vna parte tantũ mota, leuitatis indicium præbeat: pectus atque ventrem, aut proijcere, aut cedere, hiſtrionicum eſt. Concitata & frequens in vtranq; partem corporis mutatio reprehendi ſolet: quod qui faciunt, quaſi e lintre loquuntur.

Quod

Li. 4. de offi orat. diſp. 7.

Quod vero ad ſingula membra attinet, Caput in actione ſit rectum: cuius deiectio humilitatem: ſupinatio, arrogãtiam: inclinatio in latus, languorem: rigor, barbariem oſtendit.

Vultus, qui hilaritatem, fiduciam, acrimoniam, & ſummiſſionem deſignat, ſit aptus, & geſtibus, ſententijſque, & rebus quę tractantur reſpondeat. Triſtis in triſtibus, ſeuerus in obiurgatione, mobilis in contentione, acris in cura & ſolicitudine, conturbatus in conqueſtione, deiectus ac demiſſus in modeſtia & verecundia: & vt imprudentia odioſa eſt, ita verecundia prudentiæ ſignificationem habere debet. Eſt etiam quidam ſubruſticus pudor, qui in agris locum habet, non tamen in vrbe, & in curia, forove.

In vultu, vitioſum eſt quidquid eſt vultuoſum, hoc eſt, immodicum & affectatum: quod non beneuolentiam conciliat, ſed oratorem ridiculum & ineptum reddit. Modus itaque in eo adhibendus, operaque danda, vt morum, prudentiæ, conſtantiæque ſignificationem præbeat.

Oculorum, qui priuatim ad animi motus declarandos ſunt a natura conceſſi, diligens habẽda eſt ratio: cũ in vultu maxime dominentur, & per eos animus emanare ſoleat; vt, vel etiam citra motũ, triſtes, læti, acres, mites, remiſſi, aſperi, & ſuperbi appareant. Quare, pro rerum quæ tractantur conditione & perſonarum quibus cum agitur, mouendi ſunt. Qui, nec rigidi & extenti, aut languidi & torpentes, aut laſciui & mobiles, aut limi eſſe debent: quia hoc argumentum leuitatis & adulationis eſt: compreſſi & operti ſtultitiam quandam indicant. Non vno obtutu auditores aſpiciant, nec ab eiſdem ſe auertant, & lacunaria ruſtico more inſpiciant, nec crebro motu leuitatem & compreſſione ſtultitiã, ſignificent.

Supercilia, oculos formant, & fronti imperant, his enim attollitur, cõtrahitur, demittitur: quorum tractatio a rebus ipſis eſt petenda: vt in triſtitia contractis, in hilaritate diductis, in pudore verecundis, in metu remiſſis ſupercilijs vtamur: quæ alleuanda aut demittenda ſunt, prout annuendum, aut renuendum aliquid fuerit.

Genæ etiam oculis inſeruiunt; quarum ſanguis, mentis habitu mouetur, & in verecundia effuſione ruborem, in metu contractione pallorem efficit: moderatus quandã ſerenitatem procreat. Genas aut frontẽ perfricare, vitioſum eſt; vt etiam ſupercilijs vultum adſtringere, quo magis toruus videatur.

Naribus nihil fere decenter oſtenditur; licet deriſum & contẽ-

ptum

ptum,faſtidiumque ſignificari ſoleat. Nares corrugare,inflare, digito inquietare, frequentius ſine cauſſa emungere, eiſque ſubito impulſu ſpiritum excutere,& ſæpius diducere indecorũ eſt.

Labia male porriguntur, ſcinduntur, aſtringuntur,deducuntur:nec laudantur qui ea mordent, lambunt; aut ore concurrente rixantur,ſi memoria fallat.

Nec etiam illi probantur, qui quaſi faucibus aliquid ſubſtiterit,clare inſonant,aut excreant, aut in aduerſum nares tergunt, aut reſiſtunt ſubito,& laudem ſilentio petunt, aut in dicendo mẽtum torquent,quaſi nucem frangant.

Ceruices erectas,non rigidas eſſe oportet, quia ſuperbiam indicant:non ſupinas,quia agreſtem:non molles & flexas,quia hoc adulatorum & mulhercularum gratiam captare volentium eſt. In demonſtratione tamen & probatione inclinãdæ ſunt: cum natura cõparatum ſit,vt quam proxime vultum auditoribus admoueamus,cum eos docere aut inſtigare volumus.

Laterum flexione virili,non molli vtetur orator: qui,ſi immotus ſtaret,ineptus & ingratus appareret. Contra vero ſi nimium latera flecteret,aut iactaret, mulierculas & ludiones imitaretur: quare potius a palæſtra,quam a ſcena hunc motum petat,vt ſuam grauitatem retineat. Et quod huc pertinet, humerorum alleuatio atque contractio raro decent: cum hoc geſtu ceruix breuior reddatur, & quiddam humile, ſeruile, & fraudulentum exprimatur.

Brachium interdum proijciendum,interdum contrahendum, ſed nunquam ad pectus incuruandum,quod eſt gladiatorum proprium:niſi aliquid ſpecioſius atque vberius ſit dicendum. Cum acriter & vehementer eſt agendum proijcitur,contrahitur vero, cum verecunde & leniter.

Manus & digiti ita actionem iuuant,vt ſine eorum motu,trũca ac debilis ſit omnis actio. Manus leuiter & cum paruis interuallis pandatæ parce & timide loquentibus ſunt aptæ:modice ſupinatæ admirationi conueniunt. Siniſtra manus ſola nunquam recte geſtum facit, ſed cum dextra,aut diſtinguit, aut abominatur.Manibus effingere quidquid dicitur, vitioſum eſt:quare potius ad ſenſus, quam ad verba geſtus eſt accommodandus. Eaſdẽ ſupra oculos attollere,aut infra pectus demitere, aut vltra ſinum proferre,non eſt laudabile.

Digitorum varij ſunt motus, quos nolo in præſentia diligẽtius explanare:in quibus vitioſæ cenſentur argutiæ,vibrationes,

& eleuationes,quæ leuitatem oſtendunt.

In pedibus procurſio eſt laudabilis, modo ſit opportuna, breuis,moderata,& rara:ſicut etiam ſupploſio, in incipiendis aut finiendis contentionibus,ſed modicam eſſe oportet.Qui in ſiniſtrũ pedem inſiſtit,dexterum non attollat,aut ſummis digitis ſuſpendat.Pedes ſupra modum variare,eius eſt qui loco ſtare neſciat. Sint ergo procurſiones raræ, moderatæ,ac breues: ne immodice diſcurſanti dici poſſit,Multa paſſuum millia declamaſſe. Qualis autem fuerit antiquorum Patrum in dicendo moderatio,ex lucu lentiſſimo Philonis Iudæi teſtimonio cognoſcere licet:qui cum diſcipulorum beati Marci vitam exponeret, eorum in ſuis ſermonibus actionem his verbis deſcripſit. Tum progreſſus in medium natu maximus, & ſacrarum literarum peritiſſimus,vultu ad grauitatem compoſito,voce moderata,non ſine magna prudẽtia,multo ſecus,quam Oratores,aut ætatis noſtræ Sophiſtæ ſolẽt, verba facit.Huc pertinet quod legimus Paulum Samoſatenſem in quodam concilio in Aſia habito, grauiſſime accuſatum fuiſſe, quod in concionibus habendis, dexteram immoderate iactaret,palmam femori illideret, pede ſuggeſtum percuteret;Sophiſtam denique,& e ſchola rhetorum,oratorem potius,quam eccleſiæ doctorem ſe præberet: cum tamen referente Æſchine, antiqui Oratores,vt Pericles,vt Themiſtocles, & Ariſtides fuerint in dicendo modeſti. Grauis itaque eſſe debet Concionatoris actio, & nõ nihil diuerſa ab humano Sophiſta:eiuſmodi nimirum,quæ nihil habeat nimis molle & delicatum,nihil ſcenicum, nihil militare,& quaſi gladiatorium:quę ſententias,non verba exprimat: quæ ex imo pectore erumpat,& non extrinſecus accedat:quę denique motum animis afferat,non ſenſibus quæſitum oblectamẽtum. In ſumma,oratio expreſſe,diſtincte, expeditę, & intelligenter pronuntianda eſt. Vox inſeruiat rei,& auditoribus. Cauenda ergo monotonia,& poekilia.Initio tardior, poſtea aliquanto cõcitatior:vniuerſe tardiuſcula probatur.Vocem ſequitur vultus,& geſtus motuſque corporis:ita vt manus,humeri,latera,ſtatus,& motus omnis cum verbis & ſententijs congruat:adhibita in omnibus modeſtia & verecundia. Vituperatur confidentia,pedum ſupploſio,clamor indecorus,& manuum pugna:ſed tamẽ,& motus,& vox,pro re nata,ſit actuoſus,acer,& ardens.

Euſeb. Cæſ.

Qua

Qua ratione actionis uitia emendanda ſint. Cap. VII.

QVAE in agendo vitia contingere ſolent, ea emẽdari poterunt, ſi qui dicturus eſt ſuam ſpectabit naturã, perſonamque; cum latenti quadam ratione, alij in alijs probentur geſtus: & qui in vno ſunt virtutes, in alio erunt vitia: Si meditatio & commentatio accedent; ita vt nihil in concione dicatur, quod domi non fuerit meditatũ; quod Roſcium facere ſolitum fuiſſe Valerius maximus refert. Accedat itaq; exercitatio, quæ vitia corrigat, & laudabilia laudabiliora reddat. Demoſthenes ad humerorum iactationem emendandam, in anguſto pulpito ſtans dicebat, haſta ad humerum pendente; vt ſi calore dicendi errorem vitare excidiſſet, illius offenſione commoneretur. Idem, grande ſpeculum intuens, ſuam actionem emendabat; vt non ſolum aliorum cenſura, ſed etiam ſuis oculis moneretur. Præceptis itaque & magiſtris, atq; optimis exemplis vtendum, & quid in alijs, aut decori, aut vitij fuerit, Ciceronis exemplo, qui decem annos oratores in foro audiuit, obſeruandum erit. *Lib. 4. de offic orat. di ſput. 11.* *Vale. Max.*

Denique, illud, in quo, vt exiſtimo, conſiſtunt omnia, animaduertendum eſt, vt non aliter nobis loquendum, agendumque eſſe exiſtimemus, quam ipſa natura nos docet, eo nimirum modo, quem, nullo docente, natura ipſa tribuit. Quare hic eſt rectæ pronuntiationis & actionis ſcopus, vt naturalem pronuntiandi formam, remotis vitijs, exprimamus; non vt aliquam nouam, vt aliqui falſo putant, inueniamus. Quare, ſi quis vult facile in pronuntiando excellere, videat qua ratione, vel ipſi infantes ſuas animi affectiones exprimant, eoſque imitetur, & nihil agendo peccabit. Toto itaque cœlo errant, qui quandam aliam pronuntiationem in hac arte quærunt, quam eam, quã homines natura docuit; remotis tamen vitijs, quæ in natura minus bona cernuntur.

Recte agendi præcepta ad vſum accommodantur. Cap. VIII.

ITAQVE pronuntiationis parte vtcunque explicata; ſequitur vt ea quæ diximus ad vſum accommodemus. *Li 4 de offi. orat. diſp. 8.*

Cum itaque Concionator ad dicendum veniet, cum dignitate & moderato greſſu ſuggeſtum aſcen

det,inque eius medio ſe collocabit,& auditoribus reuerentiam, nudato capite,exhibebit.

Antequam dicat,paululum commorabitur,& interim corpus, & veſtes componet:qua mora attentionem ſibi faciet,& auditores ſe ad audiendum comparabunt. Status,ut ſupra diximus,ſit rectus,& vultus grauis: manus in pulpito ita apponantur,ut videri poſſint. Interim obſeruabit qui adſint auditores, & in qua loci parte; vt ſi quæ facienda ſit ad hos, vel illos conuerſio, nihil peccet.

Facto ſilentio,& auditoribus ad audiendum paratis, ab eo auſpicabitur tono, qui in tota concione potiſſimum ſeruandus eſt, & ad quem poſt vocis commutationem ſuis locis factam,redire debebit.

Vocis ſonus tantus erit in principio, quantum loci,vel auditorum amplitudo poſtulabit. Principijs ſummiſſis grauis tonus eſt accommodatus:medius etiam,ſi concio fuerit frequentior:at principijs vehementioribus acutus ſonus conuenit;vt, Quare fremuerunt gentes,& populi meditati ſunt inania? Quid gloriaris in malitia?qui potens es in iniquitate? Sed ab hoc ſono ad temperationem redeundũ erit,a quo fere incepiſſe potuiſſemus. Videndum itaque eſt,vt pronuntiatio. & actio,perſonis,locis, & rebus reſpondeant.

Pſal. 2.

Tenuis materia ſummiſſam, grauem, canoramq; vocem requirit,& geſtum parciorem:grauis vero & difficilis uocem plenã,grauiorem affectum,& geſtum concitatum: at vero temperata, vocẽ ſuauem,ſonum medium,& pulchre cadentem.

Rurſus,cum in omni oratione,vel doceamus, vel delectemus, vel moueamus,varijs tonis hæc officia præſtanda erunt. Grauis tonus qui quandam vocis æquabilitatem ſeruat, ſuas tamen elationes & remiſſiones ſuis in locis habet,ſed modicas,eſt ad docẽdum accommodatus; quocũ exordimur, narramus,proponimus, & tranſimus.Medius tonus ad delectãdum eſt aptus:quo vtemur, cum laudamus, cum rem iucundam exponimus, blande monemus,amice hortamur,reprehendimus, & cum ex amore indignamur. Acutus tonus ad commouendum eſt comparatus, quo in aſpera contentione,in acriori indignatione, execratione, exclamatione,& in ſumma, cum in maiores prorumpendum eſt affectus vtimur: vbi cauendum eſt, ne nimia contetione vox frangatur;vt fit in continuis clamoribus:remittendus itaque interdum erit.

Prę̨te-

Præterea, cum omnis noſtra oratio diuidi poſſit in expoſitionem, argumentationem, & amplificationem, vniuerſè dicere poſſumus, voce tenui exponendum eſſe, media argumentandum, & acuta amplificandum; vt planius nunc docebo per ſingulas orationis partes diſcurrendo.

In exordio itaque leni & graui vtemur voce, & moderata; cum nihil, vt Fabius ait, ad conciliandum ſit gratius verecundia. Quare, grauiter errant, qui ingenij, aut libertatis oſtentandæ gratia, audacius incipiunt; cum ſuos auditores quodammodo parui facere videantur, & facile in orationis curſu deficiant, & a flamma in fumum deſinant. Geſtus ſit totius corporis cum leni laterum inflexione, eodē ſpectãtibus oculis: manus vel ſint immotæ, vel ſolum deſtera geſtu vtetur modeſtiſſimo. *Lege diſp.citatam.*

Narratio vocem ſermoni proximam, magis claram, & contentam poſtulat: geſtumque magis diſtinctum, & manum prolatam. Et cum narratio ſit minime actuoſa & ardens, eius actio ſola dicentis arte & prudentia moderanda & varianda erit, pro rerum quæ narrantur varietate: vt omnia quæ geſta, dicta, & cogitata ſunt, congruenti voce & actione exponantur. Quo fit, vt narrationis pronuntiatio difficilior ſit, quam aliarum partium.

Confirmatio vocem grauiorem acriorem, & agiliorem poſtulat, & geſtum quendam maiorem, quem animi motus ſuppeditat. In confirmatione itaque vox augẽda, geſtus variandus, vt res quæ demonſtrantur auditorum animis inſerantur.

In digreſſionibus lenis, dulcis, remiſſa, & expers contentionis vox placet: cum quæ in his afferuntur, extra quæſtionem eſſe ſoleant.

Denique, in epilogo vbi potiſſimum amplificamus, & affectus moueamus, varia omnino & vocis & actionis deſideratur figura, pro affectuum varietate: qui, ſi in nobis fuerint, ſua vi in bonam actionem erumpent, & ſingulas ſententias congruenter explanabunt: de quarum pronuntiatione nũc aliquid ſubijciemus. Quod igitur ad res & ſententias attinet in blandiendo, fatendo, ac petendo, leni & ſummiſſa eſt opus voce: in ſuadendo, monendo, promittendo, graui & forti: in conſolando triſti ac ſummiſſa: in exponendo recta, & inter acutum & grauem ſonum media: in laudatione, gratiarum actione, & his ſimilibus, læta, magnifica, ſublimi: in motu iræ vox acuta, incitata, aſpera, & reſpiratione crebra: paullo lenior in inuidia requiritur: amor inclinatam lenitatem amat: miſericordia flebilem, interruptam, & obſcuriorem exigit

metus demiſſam, hæſitantem, & abiectam deſiderat: voluptas & lætitia, plenam, effuſam, hilaratam poſtulat: triſtitia contra, grauem, vnoque ſono obductam: verecundia vero contractam flagitat. In ſumma, omnes ſententiæ quę aliquem affectum continent, aliquam certam vocis & geſtus figuram poſtulant; aliam optatiõ, aliam imprecatio, aliam conqueſtio, comminatio, indignatio, admiratio, exclamatio, adiuratio, interrogatio, dubitatio: immo eadem ſententia diuerſis locis non eodem modo pronuntianda erit; vt patet in ſententijs quę exclamationem, & interrogationem continent.

In ſingulis etiam verbis quædam enuntiandi obſeruandæ eſt varietas, quæ ex eorum ſignificatione perpendenda erit. Quare, hæ voces, Miſellus, pauper, latro, aſper, magnificus, execror, vereor, oblector, diuerſa ratione pronuntiandæ erunt; atque idem de alijs dicas.

Deniq; vt hanc de actione rudiret traditã doctrinã concludamus; ita in fine orationis pronuntiandũ eſt, vt auditor eam ad finẽ properare animaduertat, & vbi ad terminum peruenerit, plane intelligat, niſi aliter finiendum eſſe ipſa prudentia demonſtret; vt ſi qua de cauſſa per præciſionem terminanda eſſet oratio: in qua pronuntianda ea adhibenda eſt diligentia, vt dum actoris captamus elegantiam, prudentis viri non perdamus auctoritatem. Atque de actione hæc pauca dixiſſe volui: plura qui volet, ea legat, quæ late toto libro quarto de Officio Oratoris de pronuntiatione diſputauimus.

De memoriæ neceſſitate, quid et quotuplex ſit memoria.
Cap. IX.

SI qui multa ediſcere, & apte vtiliterque apud multitudinem dicere velit, bonam memoriam eſſe neceſſariam, vt multis demonſtremus, nihil eſt neceſſe.
In Theat. Recte itaque a Platone μουσῶν μήτηρ, id eſt Muſarum mater, & a Poetis ſapientiæ genetrix, & ab alijs eloquentiæ theſaurus eſt appellata. Huc pertinet dictatum illud,
Li. 5. de offi. orat. diſp. 2. Nos tantum ſcire, quantum memoriæ mandamus: Omnis itaque diſciplina memoria conſiſtit: & fruſtra docemur, ſi quæ audiuimus præterfluant. Et vt de oratore dicamus, quomodo ſine memoria erit copioſus? quo pacto quid, & quatenus, & quomodo ſit dicturus ſciet, ſi memoria ſit deſtitutus? & denique qua ratione

recte.

recte pronuntiabit, ſi inter agendum, quæ dicenda ſunt, ei quærẽda erunt? Quare, omni oratori & maxime Chriſtiano neceſſaria eſt hæc poſtrema Rhetoricæ pars, cum ei nunquam ex ſcripto dicere liceat, vt politico olim licebat: Vnde Cicero, ipſo in Planciana referente, ad ſenatum poſt reditum, & interdum ſenatorias ſententias ex ſcripto dixit.

Et quamuis memoria ſit naturæ donum: tamen præceptis non parum iuuari, exercitationeque perfici poterit. Neque omnes ita ſunt hoc munere a natura donati, vt cum Themiſtocle obliuionis artem deſiderare debeãt: qui, vel ob ſingularem memorandi vim qua præditus erat, hoc dixit; vel quia obliuione obliterare poſſe deſiderabat quæ perperam aut feciſſet, aut perpeſſus fuiſſet. *Cice. in Lucul. 2. orat.* Huc facit erudita illa apud Platonem ſententia, Quando, inquit, denſum alicuius eſt cor, quod ſapientiſſimus poeta laudauit, vel lutulentum, nec ex defecata cera, vel molle nimis, vel durum, non recte omnino ſe habet. *In Theat.* Nam mollis nimium cera celeres quidem ad percipiendum efficit, ſed eoſdem obliuioſos: dura vero contra diu memores, ſed ineptos tardoſque ad percipiendum, &c. Ex habitu itaque corporis magis minuſque aliqui memoria pollent. Et quoniam nemo fere eſt ita a natura factus, vt cultura hac in parte non egeat, aut excoli non poſſit; quædam de memoria iuuãda & excolenda præcepta non inutiliter traduntur; id quod nos nunc breuiter facturi ſumus: ſi prius quid & quotuplex ſit memoria indicauerimus.

Memoria, duplex eſt; altera naturalis quæ nihil aliud eſt, quam vis quædam a natura tributa, qua facile res comprehenduntur, ac retinentur: altera artificioſa, quæ præceptis quibuſdam comparatur, quam aliqui hunc in modum deſcribunt. *Li. 5. de offi. orat. diſp. 2* Memoria eſt firma rerum & verborum diſpoſitionis, eloquutionis, & obſeruatæ pronuntiationis comprehenſio: harum enim rerum cuſtos eſt memoria; *Herb.* vel hoc pacto, Memoria eſt facultas arte & exercitatione acquiſita, qua cito res comprehenduntur, firmiter retinentur, ac facile promuntur. Hæc enim tria ad perfectam memoriam conſtituendam neceſſaria eſſe videntur; vt quis cito apprehendat, bene retineat, et quæ retinet facile promat. De qua etſi multa a multis ſcribuntur; nos tamen hic paucis agentes, primum quædam trademus præcepta ad facilius ediſcendum accommodata: poſtea de artificioſa memoria aliquid ſummatim præcipiemus.

Traduntur obſeruationes nonnullæ ad facilius ediſcendum utiles.
Cap. X.

Li. 3. de offi. orat. diſp. 3.

MVLTAE ſunt obſeruationes, quas qui de excolenda memoria ſcripſerunt, adnotarunt: e quibus, nos meliores colligendo, quod primo loco dicendum propoſuimus, breuiter perſoluemus.

Prima itaque obſeruatio eſt de tempore, quo exercenda eſt memoria: ad quod faciendum nullum tempus magis idoneum eſſe putatur, quam matutinum, vbi cibus eſt bene concoctus, animus a cogitationibus magis liber, ac proinde minus euagatur. Verũ, & nox ipſa & noctis aliqua pars interpoſita, memoriam adiuuat atque confirmat: quare ſub ſomnum aliquid ediſcere, quod matutino tempore repetas, non eſt inutile. Maturatur enim & quaſi concoquitur firmiſſima memoriæ pars recordatio: & quæ ſtatim referri non poterant, contexuntur aliquo interiecto tempore: ac proinde poſtea facilius redduntur. Et ſane illa nimis velox memoria fere cito effluit, & quaſi præſenti functa officio, nihil in poſterum debeat, tanquam dimiſſa, diſcedit. Quare, vt cibus iam iam ingeſtus magis ſtomachum grauat, quam quod vires augeat, tantiſper dum concoctus in venas & corpus digeritur; ita lectio vix dum audita, parum prodeſt, donec in mentis ventriculo conficiatur. Quæ igitur ſub ſomnum ediſcuntur, ea tibi mane promptius a memoria repræſentabuntur, quam quouis alio tempore, ni nimia crapula, aut inedia obſit.

Secunda obſeruatio eſt de loco, qui debet eſſe ſolitarius, ab omni ſtrepitu liber: quoniam quæ audiuntur memoriam diſtrahunt, & rerum ediſcẽdarum perceptionem, & earum quæ percepimus recitationem claram impediunt.

Tertia de eo quod eſt ediſcendum, facilius diſcimus lecta quã audita, & ſcripta, quam lecta, & noſtra quam aliena, & quæ intelliguntur, quam quæ non intelliguntur, & quæ numero continẽtur, quam quæ ſunt numero ſoluta. Danda itaque opera erit, vt in ediſcenda intelligantur, ſæpius legantur, attente ſcribantur; cum per ſtylum non modo in cartham, ſed etiam in memoriam infingantur, & certo ordine ſcribantur; cum rerum numerus & ordo, quibus omnis tollitur confuſio, mirum in modum memoriam iuuet atque confirmet. Quare, qui ſua facile ediſcere vult, ea cum ordine & numero componat, & in alienis ordinem inueniat,

niat, & diſcenda in partes ſecet,& ad certa capita reuocet, & quaſi tabulam conficiat.

Quarta,ſi quis locus, aut ſententia aliqua difficilius memoriæ hæreat,aliqua apponatur notula: cum nemo ſit ita memoria deſtitutus,vt ſigno a ſe poſito,eius rei non recordetur, ad quam repręſentandam aliquid deſtinauit:cum etiam alligatus, vel tranſlatus annulus,cur id fecerimus,nos commoneat. Signum autem tunc magis ſuo fungetur munere,ſi cum re cuius meminiſſe volumus, ſimilitudinem,aut affinitatem aliquam habebit;vt anchora cum naui,haſta cum prælio,& ſic de alijs. *Plat.in Th.*

Quincta circa modum,in quo notari poſſunt plura.Primum, an oratio aliqua tota ſimul, an per partes memoriæ mandanda ſit: & quidem ſi longior erit, ſatius eſt per partes ediſcere,modo partes non ſint perexiguæ; quia multitudo mentem obruit. Præſtat itaque per partes ediſcere, quia minore onere memoria grauatur,& illa partium varietate reficitur:omnis enim varietas iucunditatem parit.

Deinde,an aliquid ad verbum ediſcendum ſit, an vero potius expediat ſolum rerum vim ordinemque complecti: ſed omnino ſtatuendum eſt,multo melius eſſe pueris & adoleſcentibus ad verbum ediſcere:atque idem de adultis dicas,ſi quid latino ſermone pronuntiandum ſit.Verum Concionatori,qui materno vtitur ſermone, ſi ſit in dicendo verſatus, non expediret ad omnia verba ſeſe alligare:cum vnius verbi obliuio,vel deformem hæſitationē, vel etiam ſilentium inducat:nec enim facile aliud reponitur verbum eo in loco,vbi aliud poſitum fuerat: vt omittam nonnulla alia quæ ex iſta nimia ſeruitute naſcuntur incommoda. Qui vero vel tempore,vel memoria deſtituuntur, ne ad ſingula verba ſe alligent,diligenter caueant.

Poſtea, clara ne voce, an vero tacite ediſcere præſtet,a quibuſdam quæri ſolet: & nos libenter in eorum imus ſententiam,qui potius voce,quam tacite ediſcēdum putant; cum ei qui tacite aliquid memoriæ mandat, veluti otioſo aliæ cogitationes ſubeant:adde etiā,quod qui clare dicendo memoriā exercet,alacrior & erectior redditur,& minus impeditur, ſi quid forte aliud exaudiatur,atq; etiam melius deprehendit, ſi quo in loco hęreat: vt omittam,quod vno eodemque tempore actionem & memoriam poteſt exercere.

Sexta, circa perſonam eius qui vult memoriæ aliquid facilius mandare,animus curis, perturbationibus vacuus,& ab occupa-

cupationibus liber eſſe debet: cum qui mœrore ſunt affecti, & negotijs diſtracti, mentem habeant diſſipatam. Obeſt etiam memoriæ alias firmæ nimia verecundia, atque timor ex auditorum præſentia contractus; quo fit, vt interdum in dicendo deficiant, & obmuteſcant; quod Demoſtheni in legatione ad Philippum accidiſſe legimus. Minuet hunc timorem ſpes de humanitate & candore auditorum, ac multo magis exercitatio dicendi a puero coram alijs.

Denique, ne plures obſeruationes adultis quibus ſcribimus minus neceſſarias adſcribam, nihil eſt quod magis memoriam iuuet atque confirmet, quam quotidiana exercitatio: præſertim à primis annis ſuſcepta; quam tamẽ ars quædam memorandi, quę in locorum & figurarum notatione eſt poſita, non parum iuuat, de qua aliquid ſequenti capite dicemus. *Auct. Here.*

Traduntur quædam de artificioſa memoria præcepta.
Cap. XI.

ARTIFICIOSAM itaque memoriam, omnes qui de ea ſcribunt auctores, locis & imaginibus conſtare affirmant. Loca ſunt inſtar tabulæ, vel chartæ, vel ceræ, vel membranæ in qua ſcribimus: imagines vero tanquam ſcriptura, ſeu literę, & aliarum rerum ſimilitudines, quas memoriæ mandare contendimus. Quare, omnia quæ de hac memorandi arte dicenda ſunt, ad loca & imagines reuocantur: & quidem de locis has obſeruationes ſtatuo. *Li. 2. de offi. orat. diſp. 4.*

Prima, loca debent eſſe maxime notata & inſignia & aliqua ratione diuerſa; vt ſunt feneſtræ, ianuæ, columnæ, anguli, & vniuerſe, quæ aliquam diſtinctionem in communi loco habent. Cõmunis autem locus poteſt eſſe aliqua domus, eccleſia, atrium, maior vel minor pro ratione locorum quæ notanda ſunt.

Secunda, mediocri diſtantia ſint ſeiuncta, ne nimia compreſſio memoriam conturbet, aut maior diſtantia mentem diſtrahat, & vagam reddat: minimum quinque, aut ſex pedes diſtent: ſimiliter, non ſint ab aſpectu nimis remota, nec nimis nobis vicina, ſicuti nec a terra multum eleuata.

Tertia, loca ſint ſubobſcura, & ab hominum frequentia ſeparata: nam illuſtris & frequens locus mentem non colligit, ſed vagare & diffluere ſinit: obſcurus vero imagines obcęcat.

Quarta,

Quarta, quidam in locis conſtituendis hunc ordinem ſeruandum putant, vt a ſiniſtra incipiamus; alij a dextra, quod nobis magis placet. *Cic. Quinct.*

Quincta, quo plura ſunt diſcenda, eo plura loca erunt notanda: & vt quidam monent, quinctus quiſque locus aliqua priuata nota, vt cruce, manu, vel alia ratione diſtinguendus erit. Locus autem in quo loca notantur, ſæpius repetendus, ac frequentandus eſt, vt quæ in eo priuata notantur loca perpetuo in memoria hæreant, & quaſi fixæ tabulæ permaneant, cum ea delere non ſit neceſſe, vt imagines, quæ quaſi literæ delendæ ſunt, vt aliæ inſcribātur, cum alia de nouo diſcenea erunt; ni plura habuerimus priuata loca. Atque de locis hæc pauca adnotaſſe ſufficiat: nunc de imaginibus dicamus.

Imagines, aut ſunt rerum ſimilitudines, aut verborum: vt ſi vellem meminiſſe prælij, aut huius vocis, Ludouicus. Rerum ſimilitudo facilis eſt, cū vna ſimplici nota & ſigno ſummatim aliquod factum, reſve tota repræſentari poſſit: verborum vero difficilior. Ea autem eſt cuiuſcunque imaginis functio, & huius totius artis vis, vt memoriam excitet naturalem: quare, illæ ſunt inueniendæ imagines, quæ hoc præſtare maxime poſſint: de quibus has obſeruationes ſubijcio. *Li. ſ. de offi. orat. diſp. ſ.*

Prima, ſint rebus & verbis quorum ſunt notæ maxime ſimiles, & aliqua affinitate, vel affectu aliquo, vel vocis ſono coniunctæ. *Li. ſ de offi. orat. diſp. 6.*

Secunda, ſint acres, & energiam quandam habeant ad aſpectū commouendum, quo maxime excitatur memoria. Mouent autē res nouæ, admirabiles, inſigniter pulchræ & deformes: quæ geſtum aut motum aliquem faciunt; res maxime notæ, non tamen vagæ.

Tertia, perſonæ deſignentur per earum attributiones, ætates, & habitus; vt artes per eorum inſtrumenta.

Quarta, perſonarum affectus, vt amor, lętitia, iracundia & ſimiles per perſonas quæ his permotionibus affici ſolent: ac etiā per bruta animalia ſignificari poſſunt: at vero perſonarum effectus & operationes, per geſtus; vt ſi ſpoliare, rapere, ſcribere ſignificare velles.

Quincta, res omnes per earum effectus & proprietates, & figuras facile repræſentantur; vt cœli, ſol, luna, elementa, & aliæ: ſimiliter per eorum ſubiecta; vt albedo per cygnum, calor per ignem, ulcedo per mel, & ſic de alijs: ac etiam per eorum contraria,

quorum.

quorum eadem eſt notitia; & denique per relata, quorum vnum non eſt ſine altero.

Poſtrema, nomina & voces per eorum etymologiam, & per ſos vnde ducuntur, & per ea quæ eaſdem habent literas. Hæ itaque imagines ſuis in locis ponũtur; quæ, veluti ſigna eorum quorum meminiſſe uolumus, nos commonebunt.

Et quoniam integram hac de re artem conficere nolumus, hæc pauca, quæ ſatis eſſe poſſunt, de memoria ſcripſiſſe ſufficiat: de qua copioſius in libro quinto de officio oratoris nouem diſputationibus egi. Plura igitur qui uolet, citatum librum legat.

Libri ſexti finis.

DE RHETORICA
DIVINA
Liber Septimus:

IN QVO, QVA RATIONE eloquentia acquiri, ad vſum traduci, & in diuinis literis obſeruari poſſit, docetur.

Quibus rebus diuina ſapientia, ſiue eloquentia acquiratur.

CAPVT PRIMVM.

CVM ſuperioribus libris omnes artis bene dicendi partes expoſuiſſem, profecto ſuſcepto operi finem facere potuiſſem; feciſſemque, ni, dum ad finem properabã, in quandam ſacrę ſcripturę ſententiam incidiſſem; in qua diuinæ ſciẽtiæ, hoc eſt vere copioſeque lequentis ſapientię acquirendæ ratio explicatur: quæ ad hunc alium librum ſuperioribus addendum mihi occaſionem præbuit; in quo ea quæ propoſita ſunt, nõ ſine vtilitate explicarem: cum fruſtra ijs de rebus quæ in actione verſantur, omnis ſuſcipiatur diſputatio, ni modus quo acquiri & ad vſum traduci queant exponatur. In primo itaque huius libri capite, locum quendam ſacræ paginæ exponendo, ea omnia quæ ad eloquentiam diuinam comparandam valent, proponam, de quibus poſtea ſeorſim diſputabo.

Eccleſiaſtici itaque libri auctor, cum miris laudibus diuinam ſapien-

Cap.30. ſapientiam ac doctrinam celebraſſet, de eius cultore agendo, qua ratione acquiratur, ad vſum traducatur, & quænam inde exoriatur laus, luculenter ſequentibus verbis expoſuit.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens. id eſt qui quęrit ſapientiam, ad eum modum, quo dictum eſt, Beati qui lugent: Matth. 5. ſiquidem initijs finis nomẽ, & viæ termini appellationem tribuere ſolemus. Qui igitur ad Dei legẽ animum applicuit, per lectionem, quæ eſt vna ad ſapientiam acquirẽdam uia, omnem antiquitatis ſapientiam explorabit, & a veterum ſcriptorum monumẽtis exhauriet; quia, vt eſt apud Iobum, In antiquis eſt ſapientia. *Et in prophetis,* hoc eſt in eorum oraculis, *Vacabit;* nuſquam enim magis Dei ſapientia elucet: vbi, & rem ipſam, & docendi modum diſcet.

Narrationem virorum nominatorum conſeruabit; diſputationes nimirum quas audiet: quibus verbis alia manifeſtatur acquirendę ſapientiæ ratio, celebrium virorum auſcultatio. *Et in verſutias parabolarum ſimul introibit,* ideſt dictorum reconditorum inuolucra, explicationes parabolis & ſimilibus cõtentas: tegebant enim Pet. Crin. veteres animi ſui ſenſa parabolis, ne nimia perſpicuitate uileſcerent. Per verſutias autem, intelligit prudentes & circũſpectas ſententias, in quas audiendo penetrabit: quare non eſt tutum ſine duce in diuinis verſari. *Occulta,* eandem repetit ſententiam.

In medio magnatorum miniſtrabit, ideſt inter proceres munia obibit. Putant aliqui hoc loco deſignari tertiam acquirendæ ſapiẽ Ianſ. tiæ rationem, per conſuetudinem vſumq; cum Principibus: Alij vero cenſent, potius deſignari ſapientiæ adeptę fructum. Non Boter. enim diſcitur ſapientia regum aulas luſtrando: Huc facit illud Sa Eccl. 38. pientis dictum, Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis; ideſt ſapientia per otij opportunitatem quæritur: & qui minoratur actu, id eſt qui negotij ſui minus habet, ſapientiam percipiet. Vnde Magdalena ſecus pedes domini ſedebat: Martha vero turbabatur circa frequens miniſterium in re domeſtica. Docet itaque hoc loco, ſapientem ob uariam rerum cognitionem Principibus carũ fore, & eius conſilium eos magni facturos.

In terram alienigenarum gentium pertranſiet: tertiam indicat rationem, nimirum uſum & experientiam: *Bona enim et mala in omnibus,* id eſt inter omnes, *tentabit,* hoc eſt experietur. Non ſatis itaque eſt lectio & auditio, niſi accedat uſus & experientia, omnium doctrinarum inuentrix. Exteras itaq; terras adibit, mores cognoſcet, rerum varietatem vt bonus negotiator perpendet.

Cor

Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum. Hic alia deſignatur ratio, nimirum diligentia, in qua vna virtute Cicero ponebat omnia. Non enim vt eſt apud Iobum, ſapientia inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Diligentia itaque vtetur, quæ in eo primum eſt occupata, vt in primis Dei regnum quæratur: ideo, *cor dabit*, ideſt animum inſtituet, toto pectore incumbet. *Lib. 1. orat.*

Et in conſpectu Altiſsimi deprecabitur: alia inſinuatur ratio, nimirum precatio: quia, vt Iacobus ait, Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. *In conſpectu*, hoc eſt ſummiſſionem, & reuerentiam in orando adhibebit. *Aperiet os ſuum*, id eſt, ſummo deſiderio omnique contentione orabit: quod deſiderium oris dilatatione oſtenditur; quam Deus a nobis requirit, cum ait, Dilata os tuum, & implebo illud: *Et pro delictis ſuis deprecabitur*: Quoniã in maleuolam animam non introibit ſapientia; nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Pro peccatis igitur deprecabitur, quia peccatum eſt parens ſtultitiæ. Vnde in diuinis literis peccator dicitur ſtultus, inſipiens, filius noctis & tenebrarum. *Si enim*, rationem reddit cur ſapientia a Deo petenda ſit. *Cap. 1.* *Sap. 1.*

Et ipſe tanquam imbres emittet eloquia ſapientiæ ſuæ. Hactenus docuit modum acquirendæ ſapientiæ, hic vſum effectumque demonſtrat. Effundet itaque, & communicabit adeptam ſapientiã cum alijs: non ſecus ac cœlum terram imbribus irrigat & fœcundat; vt faciebat Sapiens ille, qui aiebat, Fluat ut ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina. Sed nulla alia in re ita ſapientia vtetur, atque in laudando Deo, & ideo, *In oratione*, id eſt ſermone ſuo, *confitebitur*, hoc eſt laudibus celebrabit Dominum. En igitur primum ſapientiæ vſum erga Deum. *Deut. 32.*

Et ipſe. manifeſtat vſum vtilitatemque ſapientiæ erga ipſum ſapientem; cuius actiones, & vitæ curſum Deus inſtituet, & diuinas literas meditabitur, ex illiſque viuet; vt faciebat ille, qui aiebat, Teſtimonia tua meditatio mea: idque Deus Ioſue monuit faciendum. *In abſconditis*, id eſt in rebus recõditis, & dubijs, & in abſtruſis Dei iudicijs conſiderabit, ne quid erret, ne ſcandalum patiatur, ne labatur. *Pſal. 118.* *Ioſ. 1.*

Ipſe palam. manifeſtat ſapientiæ vſum erga alios, hoc eſt quę dicit, alios palam docebit, vt ille fecit, qui dicebat, Audite hęc omnes gentes, auribus, &c. Os meum loquetur, &c. Nam, vt Sapiens ait, Sapientia enim abſcondita & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas *Pſal. 48.* *Eccl. 41.*

in vtriſque. *Et in lege teſtamenti Domini gloriabitur*, id eſt, vt gloriam capiat ex vna hac re: & ita ex nulla alia re gloriabitur, quã ex diuinæ legis meditatione: hanc ſuam gloriam ducet, quod Dei legem meditetur & doceat: ac proinde dicere poterit, Beati ſumus Iſrael; quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis. *Collaudabunt multi*: exponit fructum qui ſapientiam, adeptam, & ad vſum redactam conſequitur, perpetua nimirum laus, atq; æterna apud poſteros memoria. Ex hoc itaque diuinæ ſcripturæ loco omnia fere colligere licet quæ ad eloquentiam diuinam comparandam ſunt neceſſaria; de quibus nos deinceps paullo explicatius agemus, & a natura quæ eſt totius ædificij fundamentum initium ſumemus: poſtea de arte, auſcultatione, lectione, commẽtatione, ſtylo, declamatione, & imitatione ſuo ordine agemus.

Bar. 4.

De natura, eloquentiave naturali. *Cap. II.*

PEruetus fuit, & perpetuo vſu omnino retinẽda cõſuetudo, vt ad eam quiſque artem capeſcendam admittatur, ad quam a natura quodammodo ſit factus. Hoc, ſi qua in arte conſequenda facere eſt neceſſe, in ea profecto, quæ plura & maiora a natura poſtulat præſidia; cuiuſmodi eſt recte dicendi diſciplina: quippequæ, tum ex parte animi, tum corporis multas ſupponit dotes. Ne igitur quiſpiam in arte concionatoria perdiſcenda inutiliter verſetur, fruſtraque laboret; primum ſuam naturam, nõ ſolum ſuo, ſed etiam prudentium hominum iudicio diligenter exploret: ne ſi ineptus accedet, cum natura pugnare velle videatur. Quæ in futuro Concionatore deſiderantur naturæ bona, ſunt fere iſta.

Lege lib. de cauſſis eloq.

Lib. 1 de cauſ. eloqu. diſp. 3. & 4

Ex parte animi propenſio ad res præclaras & ad egregia facinora, qua alijs honeſte præſtare, & multum prodeſſe velit: celeres animi motus, apti ad inueniendum, cauti ad diſponendum, & vberes ad explicandum: memoria, prompta ad percipiendum, firma ad retinendum, & expedita ad enuntiandum: ac denique indoles ad religionem pietatemque facta.

Cic. 1. de orat.

Ex parte corporis, habitus bonus, latera firma, vox canora, quędam aſpectus, geſtuſq; dignitas. Quo fit, vt tres notare poſſimus naturæ gradus: vnum optimum, cum iſta omnia erunt in aliquo ſumma: alterum mediocrem, cum erunt mediocria, aut ſi quid deerit, ſtudio adſciſci haud difficile poterit: tertium malum atque omnino ineptum, cum aliquid aberit, quod eſt omnino neceſſarium,

tium,& nulla cura poterit accedere;vt ſi quis penitus eſſet memoria deſtitutus,aut voce omnino abſona & ingratiſſima,aut prepedita lingua,aut facie deformi,ingeniove prorſus obtuſo.Rurſus, alia poteſt in natura notari varietas;quod alia ſit lenis,alia grauis, alia aſpera,alia copioſa,alia ſicca,alia remiſſa,alia contentioſa, alia denique velox,alia tarda. Cum itaque hominum naturæ ſint diuerſæ,& ad varias artes factæ atque propenſæ;cum in omni arte perdiſcenda,tum in eloquentia comparanda, natura primum ſpectanda erit. Quoniam hæc vna ars longe plura & maiora naturæ dona requirit,quam vlla fortaſſe alia: vt in libro de cauſſis eloquentiæ primo plane demonſtraui, quem locum qui hac de re plura cognoſcere voluerit,conſulere poterit,& omnino conſulēdum putamus. Cic. 3. de orat.

Hæc admonitio eſt quidem in promptu;ſed tamen nullo modo prætermittenda:cuius neglectu, multi ſunt qui inutiliter tempus,laboreſque in artibus perdiſcendis ponunt.Naturæ bonitas, non ſolum ex ijs quæ ſunt a natiuitate inſerta,ſed etiam,vt ſapienter monebat Plutarchus, ex ijs quæ ſtudio ac diligentia accedere poſſunt,perpendenda eſt.Quare iudicium de naturæ bonitate,nō ſolum ex ijs quæ in natura cernuntur,ſed etiā ex eo quod per culturam poteſt acquiri,eſt faciendum.

In eo qui bonus ſit futurus concionator, deſideratur quædam eloquentia naturalis,quaſi totius ædificij fundamentum. Datur enim,vt libro citato plane docuimus,vis quædam dicendi a natura tributa;quę tamen magis in vno,quam in alio elucet:ſine qua, non ſecus in dicendi ratione fruſtra laboratur,atque ſi quis agrū omnino ſterilem coleret.Cæterum,hæc dicendi vis a natura conceſſa,in nullo homine tanta eſt,vt ea ſola ad bonum Concionatorem efficiendum ſit ſufficiens;etiam ſi exercitatio quædam non artificioſa accedat.Quoniam,vt agri fertiliores multas inutiles herbas efferunt:ita ingenia vberiora multa gignunt,quæ,vel reſecanda,vel extirpanda ſunt.Toto itaque errant cœlo, qui ſua meliori natura nixi,in dicendo ſe præſtare poſſe confidunt;ni ars certior dux quam natura accedat; vt omnes dicendi artifices vno cō ſenſu docent,& ipſa experientia demonſtrat.Quare,iſti poſſunt quidem fieri loquaces,ſed eloquentes minime;vt ex ijs quæ capite ſequenti docebo multo manifeſtius fiet.Cum ergo non omnes aptam ad eloquentiam indolem ſint ſortiti,non omnes ad cōcionandi artem admittendi erunt. Conſtat enim multis eas deeſſe dotes,quæ a parente natura,vel a Deo dono accipiendæ ſunt:

quibus qui ſunt deſtituti,quantum velint laborent;nihil tamen, ſine miraculo efficient:ad quod faciendum,Deum tentare minime debemus.

Aug. in prol. lib. 1. de doctr. Christ.

Qui itaque naturam optimam aut bonam ſunt ſortiti, hi ad rhetoricam diuinam perdiſcendam admittantur;quam poſtea arte & exercitatione perficiãt:qua perfecta, perfectum ad homines perficiendos inſtitutum officium,perfecte exequi poſſint. Qui vero naturam mediocrem ſunt conſequuti, quam ſtudio, & diuino auxilio bonam licet efficere,nullo modo ab hoc munere ſunt repellendi,ſed potius ſpe proficiendi,rei præſtantia,vtilitate,neceſſitate,alijſque rationibus excitandi,atque inflammandi: cum in rebus optimis, & in ijs quæ proxime ad diuinitatem accedunt, & in ſecundis,& in tertijs eſſe ſit glorioſum,ac maxime deſiderabile. At,qui naturam omnino ineptam atque contrariam acceperunt,eos monere par eſt,ne in id contendere velint, quod ſibi negatum vident:ſed ad alia ſtudia ſe conferant,in quibus vtiliter ſuos labores collocent,ne cum natura,ac etiam cũ Deo ipſo quodammodo pugnare videantur;cum Deus pro ſua immenſa prouidentia,alios atque alios,ad alia, & alia officia exercenda idoneos faciat,& uocet. Agnoſcant vna cum Moſe ſuam ineptitudinem: vires ſuas non modo ſuo,ſed etiam prudentium iudicio mentiantur,& illud iter ſuſcipiant, quod cũ diligentia & contentione,diuinaq; ope eos conficere poſſe iudicatũ fuerit: ne,cum temere cœperint ędificare,nō poſſint poſtea perficere: quod ſine magno ſui detrimento,& ſine magna exiſtimationis iactura fieri non poteſt.

Cic. In Bru. Quinct. lib. 2.c.28.

Atque vtinam hic fieret ingeniorum delectus,& hoc naturarum examen ab ijs quorum hac in parte deſideratur cura: quæ ſi adhiberetur,longe meliores haberemus Concionatores & diuini verbi miniſtros.

Veruntamen,vt exiſtimo, rari erũt,qui ob naturę vitiũ ab hac arte repellendi ſint,ſi id quod ſtudio & diligentia acquiri poteſt, animaduerterimus. Neque enim qui ſummi extiterunt Oratores omnia a natura acceperunt,ſed arte & induſtria nonnulla ſibi acquiſiuerunt.Cicero non habuit omnia, & idcirco aliquando dixit,Nam,quo minus ingenio poſſum,ſubſidium mihi diligentia comparaui:ac proinde, cum iam in foro eſſet verſatus,& populi iudicio quædam ſibi deeſſe intellexiſſet,ab optimis magiſtris,& perpetuis exercitationibus,patria relicta,in Græciam & in Aſiam profectus,ea ſibi accipienda iudicauit. Plura defuerũt Demoſtheni,qui,vt Suidas ſcribit,potius diligẽs,quam Euphyis, ideſt bona

Pro Quint. *In Bruti*

natura

natura præditus fuit. Et,vt cum Quinctiliano concludam, raro eſt inuentus qui cum ſtudio non profecerit. Requirimus itaque ad diuinam eloquentiam comparandam ea in natura munera, quæ Deus ijs tribuere ſolet,quos in ſuos miniſtros ſit adſciturus: ſed cum ſint imperfecta,arte & induſtria expolienda erunt;ea ratione quam deinceps explicabimus.Plura qui de natura volet,librum citatum legat.

Ad acquirendam rhetoricam diuinam artem neceſſariam eſſe. Cap. III.

SI verum eſſet, quod quidam parum hac in parte prudentes,neſcio qua ratione ducti, ſibi perſuadent; naturalem eloquentiam ad bene dicendum ſatis per ſe ſufficere;omnem profecto artem contemnere,aut non magnifacere liceret. Cantamus a natura,ſaltamus,pingimus,canes feras inſequuntur, germinantque ſemina:at iſta omnia quam imperfecte ſola naturæ vi fiant, quis non videt?niſi muſicæ,gymnaſticæ,picturæ,venatoriæ, & agriculturæ ars accedat. Nec mihi iſti exercitationem ſine arte factã obijciant, cũ omnis inartificioſa exercitatio non poſſit non eſſe mala, ac proinde potius nocere quam iuuare,& quod erat in natura potius imminuere,quam augere.Gratulemur igitur iſtis natura eloquẽtibus,cum ea ſine vllo labore & ſtudio habuerint, quę pauci indole non mala ornati,vix poſt multos labores longũque vſum ex arte petitum ſunt conſequuti;Baſilij,Chryſoſtomi, Gregorij,Tertulliani,Cypriani,& Auguſtini. Cęterum,iſtis honeſte dimiſſis,arte,induſtria,imitatione,& artificioſa exercitatione,ne Deum tentare, & ab eo miraculum expectare velle videamur,id nobis comparemus,quod natura non dedit,& id perficiamus,quod inchoatum tribuit. Quæ autem ars naturæ perfectrix præbere poſſit,ea breuiter hoc capite indicabimus, quæ alibi latius proſequuti ſumus.

Lib. 2. de cauſ. eloqu. diſput. 1.

Ars ergo quæ nihil aliud eſt,quam recta alicuius rei faciendę ratio,quæ certas præſcribit vias,quę in agendo non patiuntur errare,primum ea bona expolit,& meliora reddit,quæ ſunt a natura tributa.Deinde,quæ in natura erant vitia,ea corrigit,& in cõtrariam partem naturam flectit;vt merito,de Demoſthene,in quẽ natura non fuit omnino benigna,ſcriptum fuerit, Alterum Demoſthenem matrem,alterum induſtriam enixam fuiſſe. Poſtea,

Lib. 1. de arte dicendi.

quæ abſunt bona, ea eiuſdem artis beneficio parantur, & naturæ inſeruntur. Præterea, quod ſane plurimum valet, indicat ars, an quæ a natura ſunt data, & naturali exercitatione acquiſita, recta ſint: & quid addendum, quid minuendum ſit demonſtrat. Iam vero, ars locos indicat, in quibus inuenire liceat, quæ ad docendum, quæ ad delectandum, quæ ad mouendum ſunt idonea, & quo omnia referenda ſint oſtendit: eadem inuenta prudenter diſtribuere, honeſte expolire, facile memoriæ commendare, & apte pronuntiare docet. Qui artem tenet omnia, omni tempore, ſubito, expedite, & ſine errore facit, & eius quod facit, poteſt rationẽ reddere. Qui artem tenet, artificioſum ab inartificioſo diſtinguit, errores a virtutibus ſecernit, quod eſt in diuinis ſcriptorib. artificij, illud notare, & imitari poteſt: quæ ſane ratio omnes ad artem dicendi comparandam omnino commouere deberet, ne diuinæ ſapientiæ ars eos lateat: & ne ea maxima voluptate quæ ex artificij notatione naſcitur, priuentur. At vero qui artis dicendi eſt expers, quomodo inueniat, quid eligat, vbi ponat, & qua ratione ornet, ignorat: vnde incipiat, quorſum, & quouſque eat, non videt: nihil ad alterius imitationem efficit, ſed omnia temere dicit, & dum diuina legit, quaſi ſtupidus, quod ad artem attinet, nihil admiratur. Hæc itaque ſunt, præter multa alia breuitatis cauſſa omiſſa, artis emolumenta: quæ, ſi iſti naturæ dono eloquentes animaduerterent, magno, credo, labore ea ſibi compararent. Et, vt cum optimo dicendi magiſtro concludam, Iſti ingenioſi uocentur, vt libet: dum tamen conſtet, contumelioſe ſic laudari diſertũ. Nihilominus confitendum eſt, etiam detrahere doctrinam aliquid, vt limam rudibus, & cotes hebetibus, & vino vetuſtatem; ſed vitia detrahit: atque eo ſolo minus eſt, quod literæ perpoliuerunt, quo melius. At, qui ex natura dicunt, abundantius, celerius, impetuoſius, & concitatius dicunt; dum manus collidunt, pede terram & manibus pectus percutiunt, & vbique exclamant, ac proinde a vulgo etiam meliores habentur; & ea uis eſſe cenſetur, quæ potius eſt violentia. Is itaque, qui a bonis & prudentibus bonus haberi Concionator vult; non ſola ſit natura contentus, nec exercitatione ſine arte adhibita: cum nihil poſſit ad bonum vſum redigi, ni prius habeatur, & quid ſit, quidq; valeat cognoſcatur: ſed ad artem dicendi perdiſcendam ſe conferat: quam ſane paruo tempore acquiret, ſi diligentiam omnium artium parentem adhibuerit: quam, ni a profanis ſcriptoribus vult accipere, ex diuinis literis hauriat, aut ex hoc noſtro opere, in quo omnia

Lib. 2 de caeſ. eloq.

Quint.

quæ

quæ ad bene dicendum ſunt neceſſaria ex ſacra pagina deprompſimus.

Quod ſi ex me quæreres, qui ſit præceptorum artis vſus, qui modus,vna cum egregio dicendi artifice hunc in modum reſponderem,Artis præceptiones, non eſſe quaſi leges immutabili neceſſitate conſtrictas,ita, vt vno & eodem modo ſemper oratio ſit texenda,ſemper ex ijſdem partibus conflanda, & eodem dicendi genere formanda,vt qnidam inepti, arbitrantur: ac proinde orationes,quæ ſunt in diuinis libris, vt minus artificioſe factas,mancas,aut non omnino perfectas eſſe male arbitrantur:Cum orationem ex duabus tantum partibus,ex breui nimirum propoſitione, & apta atque ad finem propoſitum conſequendum accommodata confirmatione,aliquo lumine illuſtrata,neruiſque roborata, conſtare ſit ſatis.Eſſet itaq; ars rhetorica prorſus facilis & parua, ſi vno & breui præſcripto contineretur:Sed mutantur,ait quidã, pleraque cauſſis,temporibus, occaſione, neceſſitate: atque adeo res in Oratore præcipua conſilium eſt, quia varie ad rerum momenta conuertitur. Quid ſi enim præcipias Imperatori, quoties aciem inſtruet,dirigat frontem,cornua vtrinq; permoueat,equites pro cornibus locet?Erit hęc quidem rectiſſima fortaſſe ratio, quoties licebit:ſed mutabitur natura loci,ſi mons occurret,ſi flumen obſtabit,ſi collibus,ſyluis,aſperitate alia prohibeatur. Non ſunt itaque ſancta artis huius pręcepta,ſed quidquid ſunt,vtilitas excogitauit:quæ,ſi aliud ſuadebit,hanc,relictis magiſtrorum legibus,ſequamur. Equidem,idem ait,id maxime præcipiam ac repetens iterum atque iterum monebo,Res duas in omni actu ſpectet Orator,quid deceat,quid expediat. Expedit autem ſæpe mutare ex illo conſtituto traditoque ordine aliqua,& interim decet: vt in ſtatuis atque picturis videmus variari habitus,vultus,ſtatus: Nam recti quidem corporis minima gratia eſt. Nempe enim aduerſa ſit facies,& demiſſa brachia,& iuncti pedes,& a ſummis ad ima rigens corpus:flexus ille,&, vt ſic dixerim, motus,dat actum quendam effictis.Ideo nec ad vnum modum formatæ manus, & in vultu mille ſpecies. Curſum habent quædam & impetum,ſedent alia,vel incumbunt:nuda hæc,illa velata ſunt,quædam miſta ex vtroque. Quæ ſingularis ac prope diuina doctrina, ſi ab illis qui facile in publicum ad dicendum prodeunt animaduerteretur,quam varium, quamque difficile ſit concionatorium munus facile intelligerent:cum ſæpenumero ſubito, pro circunſtantiarum ratione,tota pene ſit commutanda oratio:quod qui ſe facile

Fab.

Ariſt.

Fab.

Fab.

facere poſſe credit, is ſane multum ſibi arrogat: is, inquam, qui in dicendo diu multumque non eſt exercitatus, & prudentia pene diuina non eſt ornatus.

De conſuetudine & auſcultatione. *Cap. IIII.*

Li. 4 de cauſ ſis eloq. auſp. 1. & 2.

VT illi qui artem nihili, aut parui faciunt, grauiter errant; ita alij qui cum nudam artem teneant, ſe in eloquentium numero eſſe arbitrantur, non parum decipiuntur: cum quam a magiſtro acceperunt doctrinam in animo incluſam & otioſam, ad vſum nondum traduxerint, & exercitatione, conſuetudine, imitationeque, non perfecerint. Ideo quidam de artis vi loquendo dixit, Inter ingenium quidem & diligentiam perpaululum loci reliquũ eſt arti. Ars demonſtrat tantum vbi quæras, atq; vbi ſit illud quod ſtudeas inuenire: reliqua ſunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, aſſiduitate, labore; complectar vno verbo, quo ſæpe vſi ſumus, diligentia; qua vna virtute omnes virtutes reliquæ cõtinentur. Et alio loco, Subacto mihi ingenio opus eſt, vt agro nõ ſemel arato, ſed nouato, & iterato, quo meliores fœtus poſſit, & grandiores edere. Subactio autem, eſt vſus, auditio, lectio, literæ. Ad artem igitur expoliendam conſuetudinem & vſum accedere neceſſe eſt.

Ci. li. 2. ora.

Idem eodem loco.

Conſuetudinis nomine ea omnia complector, quæ ad artem perficiendam & ad abſolutam concionandi rationem ſunt neceſſaria; vt, auditio, lectio, commentatio, ſtylus, declamatio, & vſus; in quibus omnibus ſpectari poteſt imitatio. Ex his, auditio quæ cognitionem gignit, partim eſt artis dicẽdi, quæ præcepta tradit, partim aliarum rerum, & diſciplinarum, ſine quibus docta & erudita fieri non poteſt oratio; quę ex philoſophię, & Theologię, ac priuatim ex ſacræ ſcripturæ fontibus haurienda eſt. Illa oratoria, hæc honoraria dicitur cognitio: illa ad eloquentiæ vſum quaſi dux eſt neceſſaria, hæc vero vt comes. Modus enim dicẽdi prius cognitus atq; perſpectus eſſe debet: res vero, ſaltem aliqua parte, ſatis eſt ſi antequam dicamus cognoſcantur.

Eorum autem qui artem tenent, quam conſuetudo vſque ſupponit, tres ſunt gradus: Nam alij ſunt, qui ab vno ſolo auctore vel magiſtro ſimpliciter dicendi præcepta acceperunt, vt Herennius a Cornificio: Alij, qui nõ ſola auditione contenti, quę audiuerũt, literis cõmẽdarũt, vt Cicero, ĩ libris de Inuẽtione fecit: Alij deniq;

qui ex omnibus omnia collegerunt, emendarũt, & meliore ratione poſteris tradiderunt; & hoc, vel ſummatim & per capita per modum inſtitutionis & iſagoge, vel per amplam collectorum explicationem; vt idem Cicero in Partitionibus, & in ſermonibus oratorijs fecit: quod qui faciunt non modo alios, ſed etiam ſeipſos quodammodo docent: & hi demum ſunt, qui optime artem tenent: quam qui aliquo paruo libello incluſam eſſe putat, is in magno verſatur errore. Cum in nullo compendiolo omnia contineantur, quæ ſunt ad omnes eloquentiæ partes penitus cognoſcẽdas neceſſaria, & ad rectam atque omnino ſecurã in omni cauſſarum genere orationem conficiendam, & quod omnino veriſſimum eſt, ad artificia in alienis ſcriptis obſeruanda, & detegenda. Quo fit, vt rari ſint, quod omnino exploratum habeo, qui artem dicendi abſolutam teneant: Cuius tripartitam rationem cum quibuſdam facerem: quarum vna præcepta nouit: altera vſum præceptorum in oratione cõficienda perſpectum habet: tertia, quę qua ratione a bonis ſcriptoribus præcepta adhibita fuerint, videre & explicare poteſt. Quare, inchoati ſunt Rhetores, & prorſus imperfecti, qui ſola præceptorum capita & artis ſummam tenent. Atque hanc triplicem artis rationem in eo qui ſit bonus futurus Concionator, & diuini artificij obſeruator, & imitator requirerem. *Cic. in Par.*

Supponit itaque conſuetudo & artis & rerum aliquam cognitionem: quæ primum auditione paratur; de qua illud breuiter dixerim, debere eſſe aſſiduam, attentam, & firmam: vt non interrũpatur, vt intelligẽter audiatur, & vt intellecta, memoria, vel quod ſecurius eſt ſcriptione retineantur: qua qui non vtitur, is parum in omni diſciplina proficit.

Atqui, ſi de auſcultatione diuini verbi & ſacrę doctrinę loquamur, etiam humilitatem requirerem: hic enim eſt vnus ex illis ſeptem gradibus, quibus ad rerum diuinarum cognitionem peruenitur, vt Auguſtinus docet. Nam, qui ſuperbię uitio ſunt elati, vel in domum ſapientiæ non ingrediuntur, cum Deus ſuperbis reſiſtat, nec quicquam magis ei doctrinæ quæ eſt in humilitate fundata, quam arrogantia repugnet; vel ſi ingrediuntur, nihil percipiunt, vacuam inueniunt: iuxta illud, Tenentes legem neſcierũt me. Superbi itaque, iuſta Dei punitione, rerum intelligentia priuantur: quam pœnam his grauiſſimis verbis aliquando comminatus eſt Iſaias, Obſtupeſcite & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini, & non a vino, & non ab ebrietate. Quoniam mi- *Lib. 2. de do Ar. c. 7.* *Ierem. 2.* *Cap. 29. & Cap. 6.*

ſcuit nobis Dominus ſpiritũ ſoporis:claudet oculos veſtros: prophetas & principes veſtros qui vident viſiones operiet. Et erit vobis viſio omnium ſicuti verba libri ſignati: quem cum dederint ſcienti literas, dicent, Lege iſtum, & reſpondebit, Non poſſum, ſignatus eſt enim. Et alio loco, Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi
Iere.33. inquiſitor huius ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hu-
1.Cor,1. ius mundi? Propterea Ioannes in ſacra Apocalypſi flebat, quod
Cap.5. nemo dignus inuentus eſſet, qui librum ligatum ſolueret, & aperiret: ſed conſolatione affectus fuit, quod adeſſet Agnus quaſi occiſus, qui libri ſignacula religaret. Vnde colliges, eum qui res diuinas eſt percepturus, eſſe debere quaſi agnum mortuum, qui
Gal. 2. de ſe nihil ſentiat, qui non in ſe, ſed in Chriſto viuat; vt cum Paulo dicere poſſit, Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus:
1 Cor. 2. Item, Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chri-
Ezech 3 ſtum, & hunc crucifixum. Ideo Deus aliquando Concionatorem quendam ligauit, & mutum reddidit, ut Concionatores per humilitatem diſcant, quam parum ſuis viribus poſſint, niſi Deus ad eos loquutus fuerit, & eorum os aperuerit: & vt totam ſuam doctrinam quodammodo abijciant, ut Paulus fecit, qui ſe Chriſto induit, & hunc vnum ſe ſcire confeſſus eſt: cui aliquando in terrã proſtratus dixit, Domine, quid vis me facere? Huc pertinet, quod diuinæ reuelationes de nocte potiſſimum factæ fuerunt; vt homines intelligerent, ſe a Deo fuiſſe edoctos, & ut nihil ſibi arrogarent. Quare, qui per humilitatem ſuam intelligentiam ſubijcit, diuino ſpiritu a ſuis ſenſibus, quaſi a proprio ſolo reuocatus, in alias regiones ducitur, vbi alias opes, alia myſteria uidet, dum diuinum ſacrarium circumſpicit. At vero qui ſuperbe diuina audiunt & tractant, diuinarum rerum luce obcęcantur, & in grauiſſimos errores impingunt, vt Arius, vt Neſtorius, vt Macedonius, vt Pelagius, vt Lutherus, & vt omnium peſſimus Caluinus, quos carnis libertas, ſanguis, & diabolus in Angelum lucis transformatus docuit: at vero Petro & eius ſucceſſorib. nec caro, nec sã-
Mat.16. guis reuelat quicquam, ſed Pater ille qui in cœlis eſt.

Acquiret autem hanc animi deiectionem, qui diuinæ ſcripturæ admirabilem ſapientiam conſiderabit; qua perſpecta, ſe nihil ſcire intelliget, & ingenue fatebitur. Quare, vt quidam prudenter
Bud. & pie dixit, Si vniuerſam Ariſtotelis de moribus doctrinam, cum ea quam nobis Sapiens diuinitus edoctus tradidit conferres, nugas appellare tibi liceret. Ideo Moſes, licet eſſet homo nõ infans,

poſt.

poſt habitum cum Deo ſermonem,ſe infantem eſſe confeſſus eſt. *Exod. 4.*
Et animalia illa quæ vidit Ezechiel,caput ſuum ſummittebant, *Cap. 1.*
& alas ad vocem ſuperuenientem deponebant:id quod Conciona- *Lege Grego. in hûc locû.*
tores optimos, Iſaiam, Ieremiam,& alios feciſſe legimus; & nos *Cap. 6.*
alibi faciendum docuimus.Vt omitam Iobum virum eloquentiſ- *Cap. 1.*
ſimum,qui cum a Deo laudatus fuiſſet,alas deponendo,hoc eſt,ni- *Dan 8.*
hil de ſe ſentiendo,parui ſuam doctrinam faciendo,dixit,Ideo in- *Cap. 42.*
ſipienter loquutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiã
meam.Prudens itaque Concionator ſe ſua ſcientia,per humilita-
tem euacuet,vt diuinitus repleri queat;& de omnibus quæ nouit
det gloriam Deo,ante cuius thronum proiectus dicat,Dignus es *Apoc. 4.*
Domine Deus noſter accipere gloriam & honorem,& virtutem.
Id etiam ad humiliter de ſe ſentiendum excitabit,ſi in diuina ſcri-
ptura,quaſi in quodam lucidiſſimo ſpeculo omnes ſuorum pecca-
torum ſordes Concionator videbit.Sed de his hactenus.

De lectione. Cap. V.

QVONIAM is qui varijs de rebus varie eſt dicturus, id pro dignitate efficere nequit,niſi variæ lectionis doctrina fuerit imbutus, quia Concionator ob ſuum varium munus ornatus eſſe profecto debet;ideo de lectionis conſuetudine ad diuinam eloquentiam comparandam aliquid præcipiendum duximus. *Lib. 4. de cauſ. eloqu. diſp. 3.*

Qui itaque bonus diuini verbi miniſter eſt futurus,aſſidue legat,& non tam multa,quam multum, vel multa & omnia,nõ tamen omnia multũ,ſed meliora:multa legere eſt quantitatis,multum vero rationis, & modi,atque conſtantiæ. Legat humiliter, & quidem multo magis,quam qui audit:legat intelligenter,cum negligentis ſit,legere ea quæ non curat intelligere: & quæ legit, cuſtodiat,cum hominis diſſoluti ſit,lecta non conſeruare. Intelligentia perficitur attentione, commentatione, librorum lectione,& prudentium interrogatione:Quamuis non ſit neceſſe omnia ſemper enucleate intelligere;& præſertim ea,quorum cauſſa potiſſimum non eſt ſuſcepta lectio:& hoc omnino animaduerti velim;in quo maxima quædã latet vtilitas: qua ego admonitione perpetuo vtor.Intelligentia autem,ſi de eloquentia acquirenda loquamur,adhibenda erit in verbis,in ſententijs, & in artificij obſeruatione.Cuſtodiẽdi modus duplex eſt:alter per memoriam, vel totius lectionis & orationis,vel ſummæ & vniuerſæ rei: alter

per

per ſcripturam,qui eſt longe ſecurior: verum ad ea quæ ſcripta ſunt,ſæpe facienda eſt reditio. Vnde,omnia audita,lecta,quæſita, cuſtodienda,& ad fines,ſiue ad munera oratoria accommodanda erunt.

Lectionis itaque vſus triplex eſt,vnus verborum, ſermonis nimirum puri obſeruatio:alter rerum, quarum ſcientiam habere volumus:tertius tractationis; cuius notatio in dicendo & in imitando pernecеſſaria eſt. Id autem quo perpetuo legere oportet eum qui rhetoricam diuinam perdiſcere cupit, eſt ſacra ſcriptura;quæ nihil aliud eſt , quam Doctrina de rebus diuinis a ſpiritu ſancto non humano more inſpiratis,eiuſdemque afflatu abſque vllo errore in communem Eccleſiæ vtilitatem conſcripta. Cuius definitionis alias non obſcuræ declarationem ex capite ſecundo libri quincti noſtrę Introductionis in ſacram Theologiam qui volet repetat. Nec me latet,paullo aliter ſacram doctrinam a quibuſdam alijs definitam fuiſſe;cuius hæ aſſignantur prerogatiuæ, quod ſit diuinitus inſpirata,infallibilis, ſtabilis,& integra. Pro huius doctrinæ lectione quaſdam breues ſubijciam admonitiones;cum hac de re iam multos ſcripſerim libros quos, Deo fauente,aliquando in lucem dabo.

Driedon. Can.

Prima,tenenda eſt ſenſuum diuinæ ſcripturæ varietas,vis & natura,& ex illis argumentandi ratio,ac regulę in ſenſibus inueſtigandis neceſſariæ:de quibus libro quincto Introductionis citatæ breuiter perſpicuique egimus.

Secunda,tota & vniuerſa ſcriptura eſt legenda , non tantum vna pars:cum illud vnum, quod in ea tractatur negocium , Filij nimirum Dei propter hominum ſalutem incarnatio, quod varijs modis,& libris,quaſi coloribus,pictum fuit, ni tota legatur, plene intelligi non queat. Ideo legimus , Vmbram enim habens lex futurorum bonorum,non ipſam imaginem rerum:ac etiam, Multipharie multiſque modis olim Deus loquens in patribus, in prophetis: nouiſſime diebus iſtis in Filio . Imperfectus igitur eſt Concionator,qui tantum aliquas non omnes huius doctrinæ, & ſui libri partes nouit:nō ſecus ac Logicus ille,qui analyticos Ariſtotelis libros nunquam legiſſet. Hanc admonitionem libro ſecundo de doctrina Chriſtiana tradidit Auguſtinus.

Heb. 10. 1.

Cap. 8.

Tertia, huius doctrinæ lectio debet eſſe aſſidua & perpetua, ita vt nunquam de manibus ſacer codex deponatur,nunquam diſpliceat. Non ſecus itaque qui bonus vult fieri Concionator,ad hanc diuinam ſapientiam ſeſe habeat, ac puer ad ſuæ matris hubera;

bera; vt cum Sapiente dicere poſſit, Hanc amaui & exquiſiui eã a iuuentute mea:& quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere,& ama tor factus ſum formæ illius. A iuuentute,inquit, non a ſenectu-te,vt multi faciunt: qui toto reliquo tempore ſunt imperfecti. Si diu homini cum homine eſt verſandum,vt eius cognoſcatur cor; quandiu cum Deo, vt eius intimas cogitationes in ſuis oraculis incluſas penetremus,verſandũ erit? aut,vt bonus ille patriarcha fecit,etiam colluctandum. *Sap.8.* *Lege lib. F. de vita & ſap. Greg. 2. par. paſt. ca. 11. & li 4. Moral. c. 8.*

Quarta,ita in diuina pagina verſandum eſt, vt non vbiq; quærantur myſteria: quæ admonitio eſt multis Concionatoribus neceſſaria. Vbi autem quærenda, aut non quærenda ſint, non eſt huius loci exponere: Quod ſi quis dicat,ideo myſticas expoſitiones vbique eſſe inueſtigandas,vt maior habeatur ad dicendum copia; dicerem,ſolum literalem ſenſum ſemper amplam materiam præbere ijs,qui nec rerum ignari,nec verborum pauperes, nec artificij inſcij fuerint. *Greg. lib. 4. Mor. c. 4.*

Quincta,præcipua cura in literali ſenſu perueſtigando ponẽda eſt,cum veluti ſepultus & prorſus incognitus apud multos ſit: & tamen quaſi totius concionis fundamentum eſſe debet; de quo prius cogitandum eſt, antequam orationis incipiatur ædificium.

Sexta,in ſenſu diuinæ legis inueſtigando,vt & in omni alia re,modus eſt ſeruandus;& potius ſcribentis ſententia,quærenda, quam myſterium accuratius ſcrutãdum. De melle inuento, quod ſatis eſt,edere oportet:& agnus,ita edendus eſt,vt reliquiæ comburantur. *Gregor. 20. Mor. c. 8. Pro. 25. 16. Exod. 12.*

Septima,ſit huius libri lector cautus, ne ob ignorantiam modi loquendi,& conſuetudinum diuinæ ſcripturæ,atq; ob rerum, temporum,locorum,& perſonarum varias attributiones aliquid minus bene intelligat,aut etiã in errorem incidat. Atq; huc pertinet contrarietatum apparentium obſeruatio,& explicatio,atque ambiguorum verborum notatio:ob quarum rerum ignorationẽ, aut neglectum multi in errores labuntur.

Denique,qui in aliquo loco hærebit, qui inuentum nodum ſoluere neſciet, ad ſacros expoſitores, ad concilia, & ad Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum magiſtram confugiat: multaque ſibi tenenda putet; quæ in ſacro codice non ſunt expreſſa.

Poſt diuinam ſcripturam, ſecunda & quotidiana lectio ſit ſanctorum Patrum;qui ideo accuratius, quam alij ſcriptores legendi ſunt,

di ſunt,quia ipſi fuerunt Chiſto & Apoſtolis viniciores,& ab eis ſcripturæ diuinæ intelligentiam acceperunt:quia ſunt noſtri magiſtri:quia vt homines ſpirituales, melius diuina myſteria percipere & de veritate iudicare potuerunt:quia, vt pij & religioſi viri fideliter diuina tractarunt,& incorrupta ſeruarunt:& ne qua in parte Deum offenderent,diligenter cauerunt:denique,quia ſumma cura atque diligentia dies noctesque legem Dei ſunt meditati:quippe qui hac vna in re huius vitę fœlicitatem poſitam eſſe putarunt: Illi vero a Concionatore frequentius voluendi erunt, qui ſuis ſcriptis diuinam eloquentiam clarius expreſſerunt,vt ex noſtris,Tertullianus,Cyprianus,Arnobius,Lactantius,Hieronymus,& Auguſtinus:in Tertulliano granditatem, in Cypriano ornatum,in Arnobio copiam,in Lactantio puritatem,in Hieronymo ſubtilitatem,in Auguſtino acumen aut potius omnia, ſuis in locis,in omnibus obſeruabit.

1.Cor.2. 2.Cor.4. Gregor.libr. 4.Reg c.1.

Atque ex his colligere licet,quam parum prudenter faciant, qui relictis ſacrarum literarum fontibus, & puriſſimis ſanctorũ patrum riuulis ex illis proxime deriuatis, quorundam, ni corruptam,ſaltem turbidam,inſipidam ex eorum ſcrobibus aquã hauriunt:eorum,inquam,qui obſcure,incondite,& ruſtice prorſus loquuntur,quos dimittendos conſulerem , vt meliora legantur;aut ſemel tantum videantur. Sed id ij faciunt,qui cum ad dicendum nudi accedant,quibuſcunque ſe veſtibus induunt ;cum bonas eligere ob ignorantiam dicendi nequeant, & tanquam corniculę alienis pennis inductæ in medium prodeunt, & pſitacorum more ea ſæpe canunt,quæ non intelligunt.Quos etiam mendicibus cõparares,qui hoſtiatim,& fruſtulatim panem quærunt:cum tamen longe melius & facilius domeſtico vti pane liceat,quam aliunde parum vtiliter quæſito.

Nec propterea diuino Oratori externorum auctorum interdi collectionem,ex quibus,& phyſiologiæ, & morum,bonarumque artium doctrinam,ſine qua diuinæ ſcripturæ recte intelligi & conciones apte fieri non poſſunt,ſumere licet. Veritati,cum omnis veritas ſit a diuino ſpiritu tradita,vbi vbi illa ſit,honor eſt habẽdus: nec proptera ſuam dignitatẽ amittit, quod ab hominibus alias impuris prolata fuerit : ſicuti nec res naturales,licet in loco non naſcantur nobili;vt aurum in terra , roſa inter ſpinas,lapilli in mari,ſericum ex vili vermiculo:& feræ cicuratione ad manſuetudinem informantur,vt ex illis vtilitas capiatur aliqua.Cum ergo iſti doctores vtiles leges bonaſque doctrinas nobis dederint,

ab illis tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus eas repetere, & vna cũ ſanctis Patribus Ægyptios ſpoliare licet. Quorum ſcriptorũ, profanorum inquam, qui minus recte vixerunt, ita miſereri oportet, vt eius nos miſereret, quem pretioſis veſtibus indutum in cęnũ cecidiſſe videremus. Vt hic omittam, quod Chriſti doctrina eſt veluti legis naturæ flos, & rerum naturalium ſcientia eſt tanquã ſcala, qua ad Dei cognitionem aſcenditur; vt infra, cum quandam Sapientis concionem explanabo, plane intelligetur. Itaque cum ſine totius phyſiologiæ intelligentia diuinam ſcripturam, in qua ſunt omnium doctrinarum ſparta ſemina, & ipſius ſcripturæ auctorem Deum plane cognoſcere non liceat; nemo earum rerum notitiam reijciendam putet, quæ Dei nutu ſunt procreatæ, quæ Dei maieſtatem prædicant, quæ ſunt maxima bonitate præditæ, diuina gloria illuſtratæ, (gloria enim Domini plenum eſt opus eius) diuina ſapientia ordinatæ & temperatæ (attingit enim a fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuàuiter) plenæ diuino ſpiritu, qui repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis, hoc eſt, hæc rerum vniuerſitas, vocalem habet ſcientiam: Cœli nanque enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat verbum, id eſt concionatur, & nox nocti, omnes nimirum noctes, indicat ſcientiam, hoc eſt, qua ſi magiſtri cunctos mortales docent. In ſumma, Inuiſibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Vt itaque regina Saba ex admirabili apparatu & ordine regiæ Salomonis eius ſapiẽtiam cognouit, & admirata eſt, eoſq; beatos appellauit, qui ei adſtabant; ita nos ex hac magna & admirabili mundi fabrica, & quaſi diuinę maieſtatis regia immortalem Deum cognoſcere, celebrare, & eius aſpectum cupere deberemus, vt nos diuina oracula monent. Vt ſicuti ſagaces canes, vbi feræ odorem perceperunt, eam velociter ſequuntur; ita nos ad Deum ex creaturis cognitum vehementer aſpirare deberemus; & cum propheta canere, Quemadmodum ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Vt ergo natura ad immortalem Deum a quo eſt ſua ſponte refertur, & ad eum, vt ad ſuam perfectionem, tacito quodam inſtinctu, contendit; ita omnium rerum natura conſtantium doctrina ad Dei gloriam amplificandam referenda eſt: ne ſi ſecus fiat, iſta ſapientia inanis fallacia, hominum traditio ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum, ſcientia inquam inflans, & ſtulta ſapientia appellari poſſit; &, ne qui eam tenent,

Aug.

Eccl. 39.42

Pſal. 18.

Rom. 1.

3 Reg. 10.

Eccl. 43.

Pſal. 41.

nent,euaneſcant in cogitationibus ſuis:vt omnes illi faciunt,qui 1 Tim. 1.
quidquid ſciunt,ad caritatem quæ eſt omnium doctrinarum,omnium legum,& præceptorum omnium finis non referunt. 1 Tim. 1.

Ex omnibus autem externis ſcriptoribus illi potiſſimum a Cócionatore legendi ſunt,ex quibus phyſiologię morum,& rerum agendarum notitiā haurire licet.In quibus, Plato,Ariſtoteles,Plutarchus,Epictetus, & ea ſpeciatim quæ ex Epicteti doctrina ſcripſit Arianus,Seneca præ omnibus, & M.Tullius,cuius lectio,nō modo ad eloquentiam,ſed etiam ad ſapientiam comparādam eſt fructuoſa:qui quanti faciendus ſit,pauci ſunt qui videant: cum quot quantaque nouerit, multi non animaduertant: cum de rebus ad Dei cognitionem pertinentibus,& ad bene beateque viuendum, non minus bene quam Ariſtoteles fecerit, philoſophatus ſit:quod meum de hoc ſingulari Italiæ lumine iudicium a viris prudētibus probatum iri exiſtimo. Verum,hi omnes auctores, quantum ſat eſt,legendi,& quæ ex ipſis notantur, ad vſum & cōmunem vtilitatem,pro re nata,referenda ſunt.

Quod vero attinet ad hæreticorum lectionem, ſi quis facultatem habuerit,ſemel poterit eos percurrere, vt eorū fraudes agnoſcat,& ſi quid boni habent,colligat.Nec ideo leget,vt in concione eorum doctrinam refellendam afferat; cum id apud eos qui fidem intactam ſeruant,nec cur corrumpi poſſint vllum eſt periculum,imprudentiſſime,ni fallor,fiat: cuius rei multæ poſſent firmiſſimæ reddi rationes,quas nunc miſſas facio.

Sed peteret hoc loco quiſpiam,qui nam ſcriptores poſt ſacros libros debeant eſſe Cōcionatori maxime familiares. Ex antiquioribus patribus,quidam, Gregorium Papam præ omnibus legendum & perlegendum putant;tum ob eius ſingularem ſanctitatē, tum ob doctrinæ puritatem ad ſpiritualem fructum maxime accommodatam,atque ob nonnullas alias prærogatiuas. Quod ſane conſilium nullo modo improbo;vt eos omnino damno,& tanquam parum pios reijcio,qui,ne mihi quidem ſuppreſſo,aperte tamen myſticas eius expoſitiones,o hominum ſtupiditatem,non probant.Qua in re, & ſuam ignorantiam demonſtrant, cum Dei conſilium in ſcripturarum reuelatione non intelligant,& virum ſanctum doctum, concionatorum & bonorum paſtorum magiſtrum optimum,vt par erat,non laudant, eique pro tot laboribus gratias non habent.Quod ſi literarum rudibus eſt aliquanto obſcurior,iſti literas diſcant. Sunt & alij Patres nullo modo contēnendi,& ſi magis placuerint ſequendi,vt ex latinis Hieronymus,

Augu-

Auguſtinus, Cyprianus, ex Græcis, Chryſoſtomus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Origenes; & ex ijs qui ſermones fecerunt, Leo, Zeno Veronenſis epiſcopus, Cęſarius Arelatenſis, beatus Ephręm, & alij. At vero e Scholaſticis ad dogmata pernoſcenda, vnus eligatur diuus Thomas; qui vbique eſt tutus, vbique planus, & abſolutus: qui omnia quæ in concionem venire poſſunt ſubtiliter & perſpicue docet, articulos fidei, præcepta decalogi, virtutes, vitia, hominum ſtatus, Chriſti vitam & mortem, ſacramenta & quattuor nouiſſima; & hęc omnia in ſumma: vt hic omittam nonnulla vtilia opuſcula, & quæ contra gentes, ad refellendos errores, doctiſſime ſcripſit. Habent itaque Concionatores in hoc vno auctore concionum materias accurate explicatas: addant ipſi orationis formam, & bonas facient conciones. Quare, ſi quis librorum multitudinem faſtidiret, duos ſaltem habeat, ſacrum codicem, & diui Thomæ ſummam, aut ſummæ quod nos in lucem dedimus Compendium. Ex illis vero qui de concionandi ratione ſcripſere eos legat, qui melius & abſolutius hanc arté tractarunt: ni quis hoc noſtro opere vti velit, in quo quæ ab alijs vtiliter dicta ſunt, omnia inueniet. Quod ſi quis de me quærat, legendi ne ſint auctores illi, qui minus latine ſcribunt, res tamen bonas & ad vſum accommodatas diligenter exponunt; eum remitterem ad diſputationem quartam quarti libri de Cauſſis eloquentiæ; vbi ſacros Theologos a quorundam imprudentium hominum calumnijs defendi. Sed de ijs qui legendi ſint, hactenus.

Quod vero attinet ad legendi rationem, & ad obſeruationem eorum quæ leguntur, notentur dogmata, loci communes virtutum & vitiorum, argumenta ad docendum & permouendum idonea, amplificationes, ſimilia, illuſtria quædã ornamenta, inſignes locorum expoſitiones, eo ordine & modo, qui magis placuerit, qua de re alibi late ſcribam. *Li. diui. inſt.*

Quod ſi quis legédo defatigetur, habeat, ſi modo poteſt, ſuum agnoſtam, hoc eſt recitatorem, qui dum cibus ſumitur, dũ deambulatur, ſimpliciter legat, & legendi laborem minuat: vel etiam aliquem non ineruditum, qui ad intelligendum, iudicandum, & emendandum adhiberi poſſit; cuiuſmodi ſuum Tironem habebat Cicero, quem aliquando ſuorum ſcriptorum canonem appellare non dubitauit. Quod ſi huiuſcemodi hominem habere non licet, non deſint ſocij quibus cum ſuas cogitationes & ſtudia cõmunicet. Socij autem ſint eiuſdem uoluntatis, ijſdem delectentur ſtudijs, quãuis non ſint eodé modo docti. Eſt enim hæc ſtudiorum com-

communicatio valde vtilis: quia non omnia per nos poſſumus; quia doctrinæ cumulus communicatione fit maior: quia ſuauitate reficit, & facilitate animum addit. Hoc præſidio vſi ſunt antiqui patres eremi cultores in ſuis collationibus, & ij qui in Alexādrina academia a diuo Marco inſtituta ſapientiæ & eloquentiæ operam dabant: quorum conſuetudines, ſi nobis eſſent plane perſpectæ, eas imitari poſſemus: ſed quando eas ignoramus, aliquid ſimile præſtare debemus. Idque factu facile eſſet ijs, qui in Monaſterijs viuunt, ſi in hac re aliqua poneretur cura; quæ omnino ponenda eſſet, ab ijs præſertim, qui concionandi munus exercent, & congrua exercitationum adhiberetur ratio. Qua in re, non ſine magno detrimento, an per negligentiam peccetur, quorum intereſt, ij videant: qui, ſi bonas conſuetudines, & priuatas exercitationes inſtituerent, bonos, & dignos qui in publicum venirent Concionatores haberent. Sed de his hactenus; nunc de cōmentatione dicamus.

De Commentatione & diligentia. *Cap. VI.*

VT lectio parat materiam ad conciones conficiēdas, ita commentatio eam digerit, & format: eſt etiam ſcriptionis, declamationis, & vſus quaſi dux & magiſtra: ex qua quæ proficiſcitur oratio, ea Oratoré commendatiorem reddit. Poteſt autem commentatio dupliciter ſumi: vno modo, vt idem eſt cum inuentione, cum ſcilicet ideo animo commentamur, vt aliquid inueniamus: altero modo, pro cogitatione, & animi cura atque diligentia, qua, pro ratione officiorum artis dicendi, omnia accurate prius perpendimus, quam aliquid ſcribamus, aut dicamus; quam virtutem Greci Meleten appellant: atque hoc poſteriore modo in præſentia potiſſimum commentationis nomen ſumitur.

Lib 4 de cauſ. eloqu. diſput. 10.

Quæ nihil aliud eſt, quam diligentiſſima cauſſæ, ſiue materiæ ſubiectæ conſideratio, & accurata quæſtionis propoſitæ perpenſio: Quam iuxta quinque Oratoris munera in quinque partes diſtribueres. Nam, qui accuratam orationem conficere vult, is primum diligenter inuenit, & inuenta perpendit: quo ordine & qua diſpoſitione vtendum ſit videt: formam genuſque dicendi quo vti debeat animaduertit: & denique quid in ediſcendo, & agendo faciendum ſit, hoc eſt, qua voce, quo geſtu pronuntiare debeat, conſiderat. Et licet antiqui Oratores per commentationem præuidere

dere ac ſtatuere potuiſſent, an de ſcripto, an memoriter dicere deberent: tamen noſtro Concionatori id non conceditur, cum ei ſemper memoriter dicendum ſit. Omnes itaque partes ei per commentationem perpendendæ erunt: quarum ſingulæ in ordinem ad tres artis dicendi fines conſiderandæ ſunt; ita ut videat, quid aptum ſit ad docendum, ad delectandum, & ad mouendum, & ſimpliciter ad perſuadendum. Qui ergo non temere ſcribere, aut dicere voluerit Concionator, is de inuentione, de diſpoſitione, de eloquutione, de memoria, & pronũtiatione commentetur; vt apte doceat, honeſte delectet, & efficaciter moueat.

Prima itaque commentationis cura ponenda eſt in materia, quæ non debet eſſe falſa, non inhoneſta, non inutilis, non humilis, non incognita, non a communi ſenſu remota; vt ſunt logicæ, phyſicæ, & theologicæ diſputationes, non denique ſterilis, & affectus expers; ſed vera, honeſta, vtilis, cognitu digna, perſpecta, popularis, moralis, copioſa, & vt ita dicam affectuoſa, viua, & eloquens; quæ denique ſententias habeat ad docendum, ad delectandum, & ad permouendũ idoneas. Quæ autem materiæ ſtyli exercendi, aut declamandi gratia ab eo qui in Rhetorica diuina ſe ſe exercere volet ſumendæ ſint, infra docebo.

Quod de cauſſis falſis & malis non ſuſcipiendis diximus, id de defenſione, non de refutatione intelligendum eſt; cum confutationis gratia ſuſcipi poſſint, & interdum debeant. Refutabant itaque olim boni & veri illi oratores Antonius, Craſſus, Sulpitius, Hortenſis, & Cicero, inutiles, & eloquentiæ ſplendore indignas materias, vt etiam ſibi ignotas, obſcuras, & quę vires ſuperabant; videbantque quodnam dicendi genus cauſſa poſtularet, an grãde, an mediocre, an temperatum, vt intelligerent, an illud genus poſſent attingere. Nam, vt in carmine ſcribendo videndum eſt, an quis heroicum, vel elegiacum, vel lyricum, vel tragicum, vel comicum carmen poſſit exprimere, cum non omnes in omni genere valeant; idem in oratione ſoluta dicas.

Atque hic eſt primus commentationis in materia ſeligenda labor: ſequitur ſecundus, qui eſt de argumentorum inuentione. Cauſſa itaque per commentationem conſtituta, ad argumenta inuenienda cogitatio conuertenda eſt; per quam non tantum bona, ſed etiam optima ſunt inueſtiganda, idonea ad tria Oratoris munera præſtanda. Nam dialectica valent ad docendum, moralia ad delectandum, pathetica ad permouendum: quæ ex varijs, tum philoſophiæ, tum ſacræ doctrinæ partibus ſumenda, & non ſolũ

ab arte, ſed etiam ab ijs apud quos dicimus, & pro quibus dicimus petenda ſunt. Ideo olim illi boni Oratores ſuos clientes & alios a quibus aliquid diſcere poſſent, conſulebant; vt Cicero qui Roſcium Comœdum conſuluit, & Siciliam peragrauit, vt Verrē efficacius accuſaret: ac etiam cum reis, aliam perſonam ſumēdo, diſceptabant. Prudens itaque Concionator non ſecus facere debet, ac bonus medicus, qui antequam aliquid medicamenti paret, ægrotos interrogat, & conſulit. Quare, non ſolum artificioſos, ſed etiam arte carentes locos adibit; ita vt omnes argumentorum cellas cogitatione perluſtret: cellas inquam locorum dialecticorum qui communes vocantur: ſingularum cauſſarum demōſtrationis, deliberationis, & iudicij: item ſingulorum ſtatuum, coniecturæ, definitionis, qualitatis, & partium eius: ac demum circūſtantiarum. Locos pro genere demonſtratiuo ſuppeditat doctrina ethica, pro deliberatiuo politica diſciplina, & pro iudiciali, legum ſcientia. Quare vtilem ſuſciperet laborem, qui legendis, diuinis oraculis, locos ſibi cōmunes conficeret, qui ad ſingula cauſſarum genera, & ſingulos ſtatus tractandos conferrent, & ſingulis officijs inſeruirent: quod homini induſtrio eſſet factu facile; vnde maximam profecto vtilitatem caperet. Ex hac commentatione maxima exorietur argumentorum copia: quæ & colligēda, & deligenda ſunt: quorum bonus delectus ex trium officiorū conſideratione pendebit.

Omnis autem commentationis labor circa argumenta in tres partes diſtributus erit: quorum vna erit locorum, altera numeri, tertia qualitatis per inquiſitionem, collectionē, & ſelectum; qui faciendus eſt argumentorum pondere, quaſi pretio. Nam argumentorum quædam neceſſario probant & victoriam pariunt; vt teſtimonia, & certa indicia: quædā ſūt grauia, quæ animos permouent: quædam leuia quæ reijcienda ſunt: quædam mediocria, quę vno periodo, aut pneumate, ſiue ſpiritu condenſanda erunt. In argumentorum perueſtigatione, non ſolum ea colligēda ſunt, quibus vti volumus, ſed etiam alia quibus vti nolumus, vt per prę teritionem ea adhibeamus.

Cic. in Mil. Nec depreca tur.

Et quamuis certa dari regula non poſſit, vnde prius inueſtigatio incipere debeat: tamen in cauſſis, pręſertim coniecturæ, & in deliberationibus, a circunſtantijs auſpicari licebit; cum hic locus ſit facilior, & valde copioſus, & ad hypotheſes, ſeu cauſſas finitas maxime accommodatus: Et poſtea ad locos ſtatus propoſitæ controuerſiæ accedendum eſſet. Sed, ne de his rebus nimis ſub

tiliter

tiliter ſcribere videamur, ad alia pergamus: quæ, vt breuitati con ſulamus, paucis perſtringemus.

Inuentis ergo & ſelectis locis, de eorum collocatione cogitandum erit, iuxta illa tria officia ſæpe repetita. Qua in re diligens eſſe debet Concionatoris cogitatio; cum ex argumentorum, & ſententiarum, partiumque orationis diſtributione potiſſimum, vt alibi diximus, pendeat victoria: quam ſibi hac vna diligentia parare ſolebat Demoſthenes. Atque idem de exornatione, de genere eloquutionis, deque forma vocis & actionis dictum puta: quę omnia cuiuſmodi, pro cauſſarum & circunſtantiarum varietate, eſſe debeant, cogitatione præuidendum eſt; ne quicquam temere & oſcitanter fiat. Hanc, qui in dicendo verſari uolunt, ſi adhiberent curam, orationem efficerent laude & admiratione dignam, & acuminis in docendo, ſuauitatis in delectando, & virium in mouendo ſpecimẽ darent, & quod ſibi propoſitum eſt, iuuante Deo, efficerent.

Commentationis tempus ſit illud omne, quo non legimus, aut non ſcribimus: quod ſi faceremus, nunquam non ſtuderemus, ſedendo, ſtando, ambulando, in lecto, in cubiculo, extra domum; &, vt C. Carbo faciebat, etiam in tabernaculo: ex qua diligentia magnus accederet doctrinæ cumulus, & ad dicendum magna facilitas, ac promptitudo: verum eſt enim illud quod vulgo dici ſolet, Sedendò animus fit ſapiens. Et quoniam in deſcriptione Commentationis mentio facta eſt diligentiæ, quæ in commentãdo eſt maxime neceſſaria, vt etiam in ſtyli vſu, de quo ſtatim dicemus, ideo hic breuiter aliquid de diligentia adſcribam.

Diligentia ergo nihil aliud eſſe videtur, quam ſedula ac perpetua ad id quod efficere volumus animi applicatio: Virtus, cum omni artifici, tum Oratori maxime neceſſaria, cum eloquentiæ nihil ſit magis contrarium, quam negligentia: ac proinde Cicero, qui maximam ſibi gloriam apud omnem poſteritatem hac vna virtute comparauit, omnia in ea poſita eſſe dixit: eaque cum ingenio non valeret, ſibi auxilium quærebat. Eſt autem diligentia duplex: altera totius vitæ & ſtudiorũ in artibus & diſciplinis perdiſcendis: altera quæ ſuſcipitur in ſingulis cauſſis, ſiue concionibus: & hęc rurſus diuidi poteſt pro ratione quinque munerũ, quę ab Oratore pręſtanda ſunt. Quæ diligentia, non tã copia & celeritate, quã rerũ bonitate, conſtantia, & aſſiduitate æſtimãda eſt: Celeritas. n. nõ bonitatẽ & facilitatẽ, ſed cõtraria procreat. Suũ itaq; modum diligentiam habere oportet, vt vtilitatem aſſerat. *Lib. 2. orat.*

De ſtyli exercitatione. Cap. VII.

COMMENTATIO, ſiue meditatio eſt veluti ſcriptionis ancilla, non pediſſequa: quia eam præire debet. Cum ergo de commentatione egerimus, ſequitur vt deſcriptione, ſiue ſtylo dicamus.

Lib. 4. de cauſ. eloqu. c. 6. 7. & 8. Stylus, ſi nomen proprie ſumatur, ſignificat inſtrumentum quo antiqui in tabulis ceratis ſcribebant, ac etiam nunc in quibuſdam tabulis ſcribitur. Per metonymiam aliquando pro ipſa ſcriptione, aliquando pro ipſo dicendi genere ſumitur; vt cum dicimus, alicuius ſtylum eſſe bonũ, vel purum: in præſentia pro ſcriptione accipitur. Cicero ab effectu & vtilitate ſtylum deſcribendo, aut potius laudando dixit, Eſſe optimum artificem, ſiue opificem, effectorem, perfectoremve dicendi. Quem rurſus ſic deſcriberes; Stylus, eſt diligens & artificioſa ratio ſcribendi; non tantum diligens, ſed etiam artificioſa, vt in ſcribendo ſeruentur artis præcepta.

Rerat.. Eſt autem ſtylus, hoc eſt ſcribendi conſuetudo, multo melior quam meditatio, a qua tamen multum iuuatur; cum rem præuiſam verba non inuita ſequantur: qui orationem faciliorem & ſuauiorem facit. Eſt enim meditatio celer & velox, quam ſtylus continet & retardat: & ita mens expectat, & dum expectat, vegetatur, acutior fit, pluraque videt, dum adhibetur iudicium, oculi, & aures: quibus ſenſibus membrorum paritas, & orationis curſus ac facilitas ſentitur. Stylo itaque mentis cogitatio eſt retinẽda, vt dicendi bonitate comparata, celeritas, & facilitas ſecura ſequatur.

Exercetur ſtylus, tum ſcribendo, tum dictando: ſed tamẽ prius ſcribendum, quam dictandum eſt. Sunt autem ſtyli prima præcepta tria: ſcribere quam diligentiſſime, quam pulcherrime, & quam plurimum, hoc eſt, ſæpe & quotidie. Diligentiæ vero in ſtylo exercendo gradus ſunt tres: Primus, vt diligentia adhibeatur in omnibus, hoc eſt vt omnia diligenter fiant: Secundus, in aliquibus: ſunt enim quædam concinne & pulcherrime ſcribenda: Tertius in certis generibus. Appareat itaque communis quædam diligentia in tota oratione, in partibus, in periodis, in membris, in verbis, & in puritate ſermonis, & in grammaticæ regulis, quãtum ſat eſt, & decorum, ſiue apta dicendi ratio flagitat. Cum ergo quæ ſtylo exarantur permaneant, & acriori noſtro & aliorum iudicio ſubijciantur, maiorem diligentiam poſtulant: quam in

duas rurſus partes diſtribueres; vt vna ſit vniuerſæ rei quæ ſcribitur in omnibus dicendi partibus, quæ a ſtylo delineantur; altera concinnitatis figurarum: illa vbique, hæc certis in locis adhibenda eſt. Quæ non æſtimatur multitudine & copia, vlnisve, neque celeritate, ſed bonitate maturitateque operis & cura: cum, vt ſupra diximus, celeritas nec bonitatem, nec facultatem pariat. Diligentiæ itaque modus poſitus eſt in ſententiarum & verborum delectu, in appoſitione, detractione, commutatione, varietate, & collocatione; fieri enim poteſt vt bona male collocentur: quę omnia accommodantur omnibus partibus orationis, & periodis, vt infra planius docebo, cum de imitatione agam.

Quod autem de multa diligentia, multaq; ſcriptione diximus, harum rerum magnitudo, ex viribus, ex tempore, & ex rebus æſtimanda eſt: Neque enim eadem omnes poſſunt, nec ſi quidam poſſint, per negotia licet: quippe, non ſemper vt volumus, ſed vt poſſumus agimus. Atqui aliquid temporis negocijs ſuffurandum eſt, quod ſtylo tribuatur; & ad ſucciſſiuas horas confugiendum. *Lib. 4. à b caſſi. eloqu.*

Tempus idoneum natura perpenditur, & nullum eſt opportunius, quam matutinum, & antemeridianum. Cęterum ſpectandus eſt etiam hominum habitus, cum aliqui melius ſaturi, quam ieiuni ſcribant: atqui ſtylus ſaturitate potius langueſcit, ſicuti eſuritione debilitatur, & laſſitudine remittitur.

Quod vero ad locum attinet, ſolitudinem ac ſilentium requirit: de quibus omnibus alibi latius ſcripſimus. Sed iam de materia ac forma, modove aliquid dicamus: quæ autem dicturi ſumus ad ſtylum latini ſermonis erunt proxime accommodata.

Quod attinet ad materiam, idem dicendum eſt, quod ſupra de commentatione agentes diximus: hic illud addiderim, Concionatorem ex ipſis diuinis literis debere ſumere communes locos tractandos, vt ſtylum exerceat; vt de Abrahami obedientia, & Iſaci immolatione, de Ioſephi cōtinētia, de Iobi patientia, de Tobię in mortuos caritate, de Iudith fortitudine, de Machabæorum conſtātia, de diuinis operibus & miraculis, ac denique de Chriſti recuperatoris geſtis.

Sumat itaque tractandam aliquam theſim, ſiue communem locum. Eſt autem Theſis ſententia, vel doctrina in genere, id eſt communiter aliquid docens ſine mentione cuiuſque perſonæ; Quæ dicitur locus communis, quod communiter ad omnes ſpectet. Huiuſmodi ſunt capita doctrinæ in qualibet arte: vt, in Theologia, Deus, Trinitas, creatio, Angeli, Homo, virtus, peccatum, &

alia. Vnde locus communis eſt doctrinæ caput,& veluti pars primaria. Huiuſmodi etiam ſunt Gnomæ, hoc eſt ſententiæ, quæ continent doctrinam, ſeu præceptum dictumve commune de moribus, vel de aliquo vitæ caſu: vt,

Non facile eſt æqua commoda mente capi.

Item prouerbia, apophthegmata, hoc eſt breuiter & ſapienter di-
3.Reg.20. cta clarorum virorum; vt illud Acabi, Induens arma non glorietur, ſicuti exuens. Item Chria, id eſt dictum cum auctoris nomine citatum. Subtheſi continetur hypotheſis, hoc eſt ſpecialis ſententia, ſiue oratio, vel doctrina ad certam perſonam directa. Theſis ſæpe tenet locum prioris propoſitionis in ſyllogiſmo, hypotheſis vero poſterioris: illa eſt veluti genus, hæc quaſi generis pars: illa aliquid generatim dicitur, exponitur, petitur, hæc vero ſpecia-
1.Para c.6. Pſalm.103. 106.148. tim: quarum exempla ſæpe in diuinis literis occurrunt.

Ierem.c.3. Et vt ſtyli difficultatem paulatim ſuperet, primum auſpicari poſſet ab aliqua illuſtri & copioſa diuinæ ſcripturæ ſententia, eã breuiter tractando ad eum modum, quo antiqui Rhetores ſuas tractarunt chrias, de quibus libro quarto de Eloquutione oratoria ſcripſimus. Deinde accedere poteſt ad ſermones, quorum faciendorum formam a ſanctis patribus ſumere ei licebit; vt ab Ephræm, Nilo Abbate, Auguſtino, Leone, Antiocho, Zenone, Cæſario, & ab alijs. Deniq; ad plenas & abſolutas conciones ſe conferat: in quibus conficiendis Patrum homeliæ exemplo eſſe poterunt; vt etiam nonnullæ, quæ in ſacris oraculis leguntur orationes, & ſermones. Erit etiam vtile prius auſpicari a faciliori dicendi genere, vt eſt laudationis genus, tum ad alia progrediendum. Et vt maiorem ſibi facultatem in vtramque partem comparet, aliquando contrarias cauſſas, exercitationis gratia, ſuſcipiat, & probabilia in vtranque partem diſputet.

Rurſus, exerceri poteſt ſtylus in vertendo, vt ſi græca, aut italica in Latinum verterentur: ſi, quæ oratione numeris conſtricta fuere dicta, ſoluto dicendi genere copioſus explicarentur: aut per paraphraſim diuinæ ſcripturæ loca obſcuriora traducerentur: aut, ſi quæ profani ſcriptores ornate copioſeque dixerunt, ad vsũ concionis accommodarentur: vt, ſi quæ de philoſophia dixit Tullius, ad Theologiam & diuinam ſapientiam, & quæ de virtutib. moralibus, ad Chriſtianas aptarentur. Ex omni itaque ſuſcepta materia fit aliquod opus, vel nouum & proprium, non alias factum, vel non nouum, ſed conuerſum: vel denique commutatum in eadem lingua. Verſum, non eſt aliud, ſed differens & diuer-

ſum;vt ſi Demoſthenis oratio palliata, ab homine Latino fieret togata;quæ eſſet eadem,ſed aliter veſtita:commutatio vero facit diuerſum,ſed non in diuerſa lingua.

Denique circa ſtylum,vt alibi dicta,hic miſſa faciam,illud ad notauerim,nihil eſſe in ratione dicēdi magis odioſum, quam ſtyli exercitationem;idque ob has præcipue cauſſas.Primum,ob imperitiam, & male inſtitutam ſcribendi rationem : cum non animaduertatur,non plurima, ſed plurimum ſcribere oportere,ne ſcribendo quis defatigetur. Deinde,ob prępoſterū ordinem;quia prius ſtylus ſumitur,quam cogitatio & commentatio : quæ ratio neglecta,inopiam & confuſionem parit . Et qui abſque copia ad ſtylum accedunt,non ſecus faciunt,ac illi, qui ad mercatum ſine nummis proficiſcuntur.Denique,ob ignorationem methodi & facilitatis,quæ voluptatem in agendo affert : cuius ſeptem ſunt partes,Delectus,appoſitio,aphęreſis,commutatio,collocatio,verborum & ſententiarum varietas,& varia eorundem ornamenta. Sententiæ igitur eligendæ,addendæ,remouendæ,commutandæ, collocandæ,variandæ,& ornandæ ſunt. Atque idem de verbis dicas;quorum maxima & ampliſſima eſt variandi ratio, vt libro quarto de Eloquutione oratoria late docuimus. Idē etiam de periodis,membris,pedibuſq; diceres. Quam doctrinam qui tenuerit,is ſtylum multo faciliorem eſſe certiſſime inueniet.

Lib. 4. de cauſ. eloqu. qui locus eſt legendus.

De Declamatione. Cap. VIII.

QVONIAM ſepe contingere poteſt,vt,aut nullum,aut paruum tempus,non modo ad ſcribendum,ſed etiā ad cogitandum Cōcionatori detur, cum nimirum ſtatim eſt dicendum , quod ſane non facile is faceret,qui nunquam ſubito, & ſine ſcripto, aut multa commentatione dixiſſet;ideo etiam in ſubita dicendi ratione ſe Concionator exercere debet , quod declamatione fit:de qua hoc capite aliqua breuiter dicemus.

Vt declamationis vocabulum ante Ciceronis tempora nō fuit in vſu,ita nec res ipſa,vt aliqui ſcriptum reliquerunt.Eſt autem declamatio,vt quidam Rhetores ſcribunt , actionum forenſium meditatio:per hoc autem actionum genus,reliqua omnia intelligunt,quæ in foro,in curia,& in concione habentur. Alij hoc pacto deſcribunt, Eſt verarum cauſſarum imitatio , adhibita actione & voce vociſque moderatione,geſtuque corporis tali, qualem

forenſes,ſeu publicæ cauſſæ deſiderant. Sic dicta a clamore,quod in fictis,priuatiſque cauſſis eadem voce,vultu,contentione,& clamore vti debemus,qua in veris. In quo dicendi genere olim apud Græcos Sophiſtæ ſeſe exercebant;quorum orationes Plato δημηγορίας,quaſi diceres,populares;poſteriores vero, meletas, hoc eſt meditationes,a cogitando appellarunt:quamuis poſtremum nomen concioni proprie conueniat. Latinum vocabulum oſtendit cuiuſmodi debeat eſſe actio:græcum adoleſcentes de cogitatione & meditatione monet:illud itaque actionem reſpicit,hoc vero ſtudium & exercitationem.

Multæ ſunt declamationis ex arte factæ vtilitates,quas in præſentia recenſere nolo,id vnum ſolum dixerim, excellentes Oratores declamando maximas in arte dicendi progreſſiones feciſſe; vt Demoſthenes,qui hac conſuetudine naturæ vitia emendauit, linguam expediuit,latera confirmauit, ſpiritum auxit & ſtabiliuit,omnia denique agendo conſummauit:Hac eadem Tullius vocem actionemq; temperauit, orationis ſegetem reſecuit,& Hortenſium fori regem ſuperauit.

Sunt qui putent hoc exercitationis genus inſtitutum fuiſſe a Demetrio Phalereo:ſed tamen,vt ex Platone diſcimus, etiam téporibus Gorgiæ Leontini & Protagoræ in vſu fuit : cum iſti de vnaquaque re propoſita ſubito diſſerere ſoliti fuerint. Durauit autem vſque ad Libanij & Iuliani tempora. At vero apud Romanos Ciceronis ætate extitit, & ad Quinctiliani tempora,aut etiã aliquanto vlterius perſeuerauit,ſed non omnino feliciter. Apud noſtros, credendum eſt fuiſſe in vſu ab eo tempore , quo diuus Marcus Alexandriæ academiam cõſtituit,qui mos ad Baſilij,Gregorij Nazianzeni , & Auguſtini tempora pertinuit. Et hinc eſt quod tempora illa optimos omni ætate Concionatores tulerunt.

Quod attinet ad materias ad declamandum ſumendas, idem diceres;quod ſupra de commentatione & ſtylo dixi;cum commẽtatio,& ad ſcribendum,& ad declamandum materiam preparet: Illud tamen nunc monuerim,ab eo qui Cócionator ſit futurus, ſemper ſumendas eſſe cauſſas ad religionem pertinentes, & eas quæ nonnihil habeant affectus & motus.

Et quamuis declamandi vſum admittamus, rariſſime tamen ſubito ſine vlla ſcriptione,aut commẽtatione dici nolumus:cum vix poſſit bene dicere,qui ex tempore dicit. Id,cum optimi illi Oratores intelligerent,rariſſime,aut nunquam ſubito dicebant, ſed prius,aut ſcribebant, aut cogitabant. Itaque ſæpius ſcribebant,

bant, alias commentatione tãtum vtebantur, alias ſubito dicebãtq; & ſæpius memoriter, quam de ſcripto: & alias breuiter, alias fuſius. Et quidem non ſoli, non ſine duce & magiſtro, vt nunc a multis fit; ſed ſimul plures, quorum alij veterani, alij tirones, alij medij erant: pro quorum diuerſitate cauſſas diſtinguebant: quos præceptores iuuabant, dando eis themata, oſtendendo ordinem, capita, & communes locos, atque ſcriptionem actionemque corrigebant.

Quod vero ad tempus attinet, quotidie declamabant, aut audiebant; non raro, vt quidam inepti faciunt, qui vnam declamationem ſingulis, aut vni toto anno demandant. Atque in hoc exercitationis genere maxime extare debet virtus illa de qua ſupra diximus continere omnia, diligentia nimirum, atque honeſta quædam æmulatio, qua alijs preſtare velimus. Cum omnis frigida & ſine ardore ſuſcepta exercitatio, potius obeſſe, quam prodeſſe ſoleat; vt ipſa plane experientia docet.

Et quoniam declamandi conſuetudo non ſolum inuẽtionem, diſpoſitionem, eloquutionemque, ſed etiam duas alias eloquentiæ partes ad vſum traducit, propterea Declamator & memoriæ & actionis rationem habebit. Quare, Chriſtianus orator cui non licet publice de ſcripto dicere, diligenter cum declamitat memoriam excolere curabit; & ea ad vſum traducet præcepta, quæ ſupra tradidimus & alias, in libris de officio Oratoris late expoſuimus. Atque idem de actione dixerim, cuius maxima habenda eſt ratio, cum non ſolum vocibus, ſed & nutibus motibuſque corporis loquamur, & intima animi ſenſa exprimamus: & quidem aliquando efficacius, ac etiam gratius; vt in brutis quoque animalibus patet. Omnis itaque pronuntiatio eſt quaſi mortua & immobilis, niſi corporis geſtibus, & vocis varietate viua & mobilis redatur: vt, ſi pro rebus ipſis de quibus dicitur manus extollantur, deprimantur, contrahantur, & vox nunc acuta, nunc grauis, nunc remiſſa, nunc cita, nunc tarda, nũc parua, nunc magna ſit. Quod qui non faciunt, vel ſemper clamoſe, vel celeriter, vel tarde, vel remiſſe dicunt. Propterea M. Tullius de illuſtribus oratoribus agẽdo diligenter eorum agendi & pronuntiandi rationem obſeruauit. Carbo fuit canorus & volubilis, hoc eſt celer: Hortenſius acris, incenſus, actuoſus: S. Titius ſolutus & mollis: M. Craſſus voce parua, & fere vno modo dicebat: Catulus ſuaui, & leni: L. Craſſus, non multa corporis iactatione, nec uocis inclinatione: Denique ipſe Tullius iuuenis omnia ſine remiſſione & varietate, vi ſũma

Lib. 3. & 4. de offi. orat.

In Brut.

ma vocis & corporis contentione dicebat:ſed poſtea,ſub optimis præceptoribus declamando,omnia emendauit, & ex Aſia,quo vt perfectus euaderet,profectus erat,prope mutatus redijt.

De imitatione,quid & quotuplex ſit. *Cap. IX.*

Lege totum li.3.de cau. eloqu.

NEcessaria eſt ad eloquentiam comparandam natura bona,neceſſaria doctrina, neceſſaria exercitatio;ſed ni accedat bonorum oratorum imitatio,nihil vnquam in hoc genere perfectum fiet. De qua nunc acturi, pauca ideo dicemus, quia integro libro pluribus diſputationibus de ea alias ſcripſimus: quem locum qui plura volet,poterit conſulere.

Imitatio igitur,quæ ſignificantius æmulatio dicitur,ſimilitudinem continet,debet eſſe exercitationis moderatrix, artiſque non modo ſocia,ſed & dux & domina.Ars eſt puerilis,& dum oſtentare ſeſe vult,veritatis fidem mimuit:imitatio virili habitu veſtit & natiuo colore imbuit: quod natura nequit,vt Orator ſimilitudi nem adipiſcatur,efficit imitatio;quæ vltra naturam ducit: natura eſt ſemper ſui ſimilis,imitatio varietatem adiungit:natura non habet quo ſe tueatur, imitatio maxime:natura ſpectantium iudicium timet, imitatio legentium & vituperantium conténit voces.

Eſt autem imitatio,ſtudioſa erecti animi ad aliquid ad alterius ſimilitudinem efficiẽdum applicatio.Dico ſtudioſam,hoc eſt,diligentem,vehementem, non temere ſed cum ratione ſuſceptam: erecti animi,magna nimirum ſpectantis,& bene ſperantis.Debet itaque æmulator naturam ac uires ſuas perpendere, ut uideat quo ſit propenſa,quid poſſit,vt intelligat, quid, & quem imitandum ſuſcipere,quid comparare,quid abijcere,aut immutare,perficereve debeat. Nec cuiuſquam præſtantia naturam mediocrem habentem deterreat; cum in Demoſthene perſpicuum ſit, ingenium,non modo naſci, ſed etiam fieri; præſertim oratoriũ,quod non ſolum debet eſſe expeditum, ſolutum, hoc eſt,non durum, non aſperum,& ſine impedimento;ſed etiam aptum ad docendũ, & delectandum, quæ tamen cum alijs ſunt communia: ideo illud debet habere proprium,vt ſit commouens,inflammans, & æſtuoſum.

Eſt autem imitatio iuxta ea quæ imitari oportet,triplex; conſuetudinis,actionis,& orationis. Conſuetudinis ſiue exercitatio-

nis

nis imitatio ea dicitur, qua veteres illos bonarum artium cultores, & antiquos Patres in bonis artibus diſcendis, tractandis, aliquis imitari conatur: quorum induſtriam ac ſtudendi rationem cum non videamus, nec omnino perſpectam habeamus, eos hac in parte imitari non poſſumus: cum nobis non conſtet qua diligentia, quo ordine, e quibus rationibus in diſciplinis acquirendis antiqui Oratores vterentur, de quibus nonnihil ſcribitur a Cicerone in libro de claris oratoribus; & quo modo academici Alexandrini, & Baſilius atque Gregorius Athenis eloquentię boniſque literis operam darent: de quibus tamen Eccleſiaſticæ hiſtoriæ aliquid memorię prodiderunt. Quare hęc imitationis pars non eſt nobis in promptu; vt ſane eſſet, ſi eorum conſuetudines oculis cerneremus. Similiter, cum eoſdem antiquos magiſtros agentes ſpectare & audire non liceat; eorum agendi rationem recuperare, & imitari non eſt nobis facile: quamuis de hac etiam aliquid litteris traditum fuerit. Sed cum recte pronuntiandi & agendi doctrina non tam verbis, quam re ipſa doceri poſſit, antiquorum imitatio nō eſt hac in parte facilis. Quamobrem, aliquis bonus actor inueniendus erit, quem tamen his temporibus non facile inuenies, vt agentem ſpectes, & obſerues. Illud autem diligenter cauendum eſt, ne ineptos inſpiciamus, vt ſunt qui vbique clamant, qui magis digitis, quam ore loquuntur, qui non ſecus corpore agitantur, quam ſi e lintre verba facerent, qui, vt hyſtriones, vt vetulæ, vt pueri pronuntiant, & agunt. Ideo autem recta agendi forma orbati ſumus, quod ſublata ſit comitiorum, & ſenatus conſuetudo: quod non amplius vigeat declamandi priuatus vſus: quod oculi & aures exempla deſiderent, nec ſint boni actores quos imitemur.

Rurſus, imitatio duplex eſt, altera libera, altera ſeruilis: illa bona; hæc vero non bona. Libera ea cenſetur, quæ non eadem prorſus veſtigia terit, quę non idem efficit; ſed aliquid aliud, aut diuerſum, ſimile tamen: quæ non vnum aliquem ſemper & in omnib. ſequitur, ſed plura a pluribus imitanda accipit: quæ in vnius magiſtri verba non iurauit, ſed varias uirtutes, quando vnus non occurrit in quo ſint omnes, a pluribus ſumit: ne, ſi ad vnius formam ſeſe effingere nitatur, in eum errorem incidat, in quem olim Atticorum imitatores inciderunt, cum alij Lyſiani, alij Thucididei, alij Iſocratei videri volebant. Quod qui faciūt, omnia eodem modo dicunt, vel remiſſe, vel concitate, vel læte, vel iracunde; cum varij ſint hominum ſpiritus, & indoles diuerſæ. Vnde a multis mul-

ta,

ta,ſumantur,ni ab vno poſſint;vt in varias formas ſeſe commutare queat orator.Cicero in Iſocrate ſuauitatem, in Lyſia ſubtilitatem,in Hyperide acumen, in Æſchine ſonum, & in Demoſthene vim quæſiuit,& in libro de claris Oratorib.varias in varijs virtutes obſeruauit:Quas etiam in diuinis ſcriptoribus diuinus notabit Orator,vt in Moſe, Iſaia,Ieremia,Iobo, Dauide,& Paulo.

Quo loco illud animaduertendum eſt, aliud eſſe imitari,aliud extra ordiné ab aliquo opem petere,& arma accipere:hoc eſt,licere a pluribus,pro re nata,aliquid ſumere, ſed aliquem optimum ſequendum eſſe. Atque ex his intelligi licet quæ ſit imitatio ſeruilis, illa nimirum quæ ſolum verba quædam cõmutat, quæ potius furtum,quam æmulatio dici poteſt.

Rurſus imitatio triplex,vna eſt facilis, altera difficilis, tertia impoſſibilis: quo etiam modo diſtingueres imitabile, vt aliud ſit facile;vt ſunt res quotidianæ,& quæ vbique apparent; vt bucolica,& georgica:aliud difficile, vt eſt illud quod non a quouis videtur,ſed a paucis obſeruatur, quod non habet expreſſa veſtigia, quod dignitate & excellentia præſtat; vt ſunt carmina Pindari, quem Horatius amimeton,id eſt inimitabilem eſſe dixit;nõ quod non poſſis, & liceat eum imitari,ſed non facile: quare imitandus quidem eſt,ſed occulte,ſine oſtentatione,vt Horatius fecit,idque Ode 1.lib.1 prudenter diſſimulauit:quem aliquando æquauit, aliquando ſuperauit.Aliud denique impoſſibile; vt illud quod eſt naturæ negatum,quod non eſt in natura poſitum, quod omnino naturam tuam ſuperat.Nam,ſi paruus natura ſis, etiam ſi te in pedes erigas,non poteris fieri maior. Ad hoc genus reuocares mala,quę dici poſſunt inimitabilia,quia imitanda non ſunt.

Rurſus imitatio duplex eſt,altera aperta, cum quis palam aliquid ad alterius imitationem ſcribit, quod ab omnibus animaduerti poteſt: qualis eſt imitatio eorum qui volunt æmulari, id eſt aperte imitari,& cum alio contendere;vt non ſolum fiant pares, ſed etiam ſuperiores: quo pacto in bucolicis Virgilius imitatus eſt Theocritũ,vt multis exemplis demonſtrari poſſet:& nonnullis in locis Homerum,in quibus eum pene interpretatur: addit tamen ſemper aliquid de ſuo per tractationem, quæ plurimum in imitando poteſt.Altera occulta,quæ non cernitur niſi ab exercitatis: quo modo Cicero ſæpe imitatus eſt Demoſthenem, Maro Homerum,& Horatius Pindarum.Et quidem magis probatur imitatio occulta,quam manifeſta.

Rurſus, imitatio duplex, altera imperfecta, & quaſi puerilis,

qua ij vtuntur, qui paucis mutatis verbis, quod eſt alterius ſuum facere volunt:vt illi ſolent,qui cum rerum cognitione & artis doctrina ſint vacui,alienas lineas ſequuntur. Altera perfecta,virilis, ex facultate dicendi,& ex doctrina bene imitandi profecta: qua aliquis ad eum modum de re aliqua dicere poteſt,quo optimi Oratores ſolent:quæ non mendicat verba,non clauſulas, non ornamenta,ſed dicendi præceptis ita vtitur, vt exercitati, & in dicendo detriti:& ſi quid accipit,ita tractationis genere variat, ut aliã, non tamen diſſimilem inducat formam.

Plura qui de imitationis diuiſione volet,citatum librum legat. Atque ex ijs quæ diximus,vtilitas,natura,partes, ac etiam qualis debeat eſſe imitatio,& quid imitandum ſit aliqua parte conſtat: de quibus latius ſequenti capite dicetur.

Quid,& qui ſint imitandi. Cap. X.

DE eo igitur quod ad imitandum ſuſcipiendum eſt,ſi vniuerſe loquamur,tria ſunt quæ ſub imitationem cadunt,conſuetudo,actio,oratio. Quid ſit conſuetudo,& quæ eius partes,ſupra expoſuimus. In tota ita que dicendi ratione, atque adeo in toto ſtudiorum curſu,aliquem inſpicere debemus, cuius veſtigia ſequamur; ſi tamen nunc occurrat:aut ea obſeruemus quæ olim homines illi bonarum artium amatores,& ſancti Patres diuinarum rerum cognitione cupidiſſimi fecerunt: vt eorum veſtigia ſequentes,in doctrina & eloquentia maiores progreſſus faciamus. Atque idem de actione dicas,vt nos etiam ſupra diximus.

Reſtat ergo oratio in qua imitatio præcipue eſt occupata: Cuius æmulatio ideo eſt facilior, quia bonorũ ſcriptorum oratio ad nos peruenit,quæ ſola nunc cernitur: quæ ſuas habet partes,ſua membra,ſuum motum, ſuumque colorem: ac proinde ſeſe omni ex parte imitãdam præbet. Oratio enim eſt expreſſa oratoris imago,oculis ſubiecta:quo fit,vt in Iſaiæ concionibus,in Pauli epiſtolis,in Dauidis carminibus eius ſpiritum mentemque videam; & denique in ſingulis diuinis ſcriptoribus ſuas indoles,atque naturas,& varias formas,in quas eorum animus dicendo ſeſe commutabat,ac proinde eas imitari poſſum.

Rurſus,vniuerſe loquendo,omnia quæ ad artis dicendi partes pertinent,imitationem recipiunt; vt inuentio, diſpoſitio,& aliæ; ſimiliter omnes orationis partes,exordia,narrationes,& reliquæ:

& in-

& in ſumma, quidquid in dicendi diſciplina docetur, ſententiæ, periodi, membra, & ornamenta. Cæterum in ipſo dicendi genere & charactere formaque, & in ijs rebus, ex quibus orationis ideæ conſtant, imitatio, potiſſimum eſt occupata, atque in virtutibus; vt deinceps exponemus.

Qui ergo cuiuſpiam orationem imitari voluerit, is primum perſpecta habere debet orationis genera, ita vt eorum vim vſumque teneat: quæ, vt ſupra ex Auguſtino docuimus, tria ſunt, ſubtile, graue, temperatum. Genus dicendi tale eſſe debet, quale Oratoris officium, quod eſt de magnis rebus grauiter dicere, de paruis preſſe, de mediocribus & intermedijs temperate. Grauitas loca difficilia & ardua habet: alta petit, ſuſcipit, inuadit: Preſſa oratio, ſic dicta, metaphora a lacte preſſo ſumpta, quaſi ſine humore aqueo, ſummiſſa nimirum, non alte, ſed humi incedit: Temperata vero vtriuſque extrema ſapit. Cæterum, nulla eſt tam grauis oratio quæ non habeat ſummiſſionem & mediocritatem; nec tã humilis, quæ aliquando non aſſurgat, etiam ad grauitatem. Quare, illud genus dicendi erit imitandum, quod hac triplici forma fuerit temperatum, & quattuor orationis virtutibus de quibus ſtatim dicemus ornatum. Poteſt autem orationis genus dupliciter conſiderari: vno modo vniuerſe, ſecundum quam conſideratioñ dicitur idea, & a Tullio libro de perfecto oratore explicatur: altero modo, vt eſt in hoc, vel illo ſcriptore, vt in Iſaia, in Dauide, & in Paulo.

Et quoniam imitatio aliquod priuatum exemplar requirit, ideo antequam imitemur, cognoſcendum erit genus dicendi illius quem imitari volumus, vt ſi quis vellet imitari Tullium, eius dicendi genus, quod pro exemplari ſumere vult, cognoſcendum eſſet: alias fruſtra ſuſciperetur imitatio. Eſt enim imitatio natura quædam relata, ſiue affecta, reſpicitque exemplar.

Sunt autem exemplorum genera tria: vnum eorum qui primo aliquid inuenerunt; vt eſt exempli gratia Homeri poema: alterum eorũ qui alios imitati ſunt; vt Virgilij, qui imitatus eſt Homerũ: tertium aliorum, qui Virgilium approbarunt, & ſecuti ſunt: Primi inuentores, ſecundi imitatores tertij, ſecundarij imitatores vocari poſſunt. Quare, ſi quis Ciceronem imitari vellet, cum ipſe imitatus fuerit Demoſthenem, cum recte imitari nõ poterit, qui Demoſthenem non nouerit, & cum eo Ciceronem non contulerit: & qui hunc approbat, illum approbare debebit. Vt ergo ſecundarios imitatores æmulari poſſimus, eos cum primis conſer-

fer

ferre debemus,vt videamus quonam modo illi imitati ſint; vt recta᷑ imitandi rationem ab illis diſcamus.

Rurſus,de generibus orationis,quæ imitanda ſuſcipiuntur,diſtinguendum eſt de eo, quod ſolum domi & in vmbra ſcribitur, & de eo quod etiam in foro, vel in cõcione habetur. Quare,aliud genus dicendi in orationibus Iſocraticis & Liuianis, aliud in Demoſthenicis & Tullianis inuenies.

Denique,genus dicendi dupliciter conferri poteſt: vel cum vna tota oratio cum oratione cõparatur,& ſic vna poteſt dici grauis,vt prima Iſaiæ concio:alia temperata,vt laudatio auctoris Ecclesiaſtici,qua Deum ex creaturis celebrauit: vel cum pars vnius orationis cum alia parte confertur;& ſic,narrationes ſummiſſæ, amplificationes graues,& exordia mediocria dicentur. Similiter ex argumentationibus,quæ docent ſummiſſum,quæ mouent graue,quæ delectant vel leniter mouent temperatum requirunt genus.Subtili itaque vtimur in docendo,refutando,& in rationibus noſtris conficiendis:graui,in inflammando,in permouendis animis,in contentionibus,& amplificationibus: temperato in auditoribus leniter tractandis,conciliandis,& delectandis.

Sunt autem in quocunque genere quattuor animaduertendæ ac notandæ virtutes, puritas, perſpicuitas, ornatus,& aptitudo,ſiue decorum.Qui ergo imitari voluerit,primum ſermonis puritatem obſeruet,quæ in verborum conſiſtit delectu:vt ſi Ciceronem in lingua latina imitari velles,eius obſeruabis verba: quæ vero in eo non inueniuntur,ab alijs ſumenda ſunt,vt a Cæſare,Salluſtio, Varrone, Catone, Celſo, Plinio, Liuio,Lucano,& a iure ciuili:a quibus militaria,ruſtica,medica, phyſica, & forenſia accipiemus verba. In quo Ciceronis imitanda eſt diligentia,qui verborum diligens ſelector fuit:& ideo de quibuſdam dubitauit,alia damnauit,nonnulla molliuit,alia fecit,ſed non ſine cura: Vnde,non ſubſtantiam,ſed naturam,non circunſtantias, ſed attributa dixit. Imitanda itaq; eſt orationis puritas,vt nihil barbare, nihil incongrue,tum in ſingulis,tum in coniunctis verbis dicamus. Nam,ſi turpes figuræ in pingendo non placent, non probantur; quanto magis in ſcribendo,aut dicendo non placebit impuritas?

Deinde,oculi conuertendi ſunt ad perſpicuitatem, quæ ſua luce orationem illuſtrat,& claram reddit.Quam uirtutem is retinebit,qui obſcuritatem uitabit: hanc is uitare poterit,qui uocabula impura,uetuſta,inuſitata,impropria, homonyma, ſeu polyſema, id eſt quæ multa ſignificant, male verſa, longe tranſlata fugiet:

item

item, qui membrorum & periodorum longitudinem, verborum inuerſionem, tractationem, malam collocationem, & in ſumma omnem perturbationem: & vt pane vtimur populari, ita verbis vti debemus quibus populus vtitur. Verba verbis iam enumeratis contraria, orationem perſpicuam facient; vt pura, propria, bene verſa, & alia. Verum, verbis proprijs obſcura fieri poteſt oratio, compoſitione, longa traiectione, periodorum magnitudine, & ſententiarum genere.

Dicit perſpicue, qui quæ vniuerſe dixit, poſtea ſpeciatim exponit; vt fecit Moſes, cum ſcripſit, In principio Deus creauit cœlum & terram: terra autem, &c. Qui vniuerſa diſtinguit, vt idem eadē in narratione fecit: Qui rationem ſubijcit; vt Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, &c. In ſumma, plena perſpicuitas, in numero, ſeu quantitate, in diſtinctione, expoſitione, & in amplificatione conſiſtit. Quæ virtus mirifice, cum oportet, in diuinis ſcriptoribus, & in ſermonibus Chriſti elucet. Quam illi non retinent, non imitantur Concionatores, qui dum ad populum dicūt, verbis latinis, & reconditis, res obſcuras, quas etiam qui in ſcholis verſantur, non ſatis percipiunt, vel nullo modo attingunt, imprudentiſſime, contra omnem caritatem, contra artem, contra bonorum Concionatorum conſuetudinem tractant: quorum abuſus omnino tollendus eſſet: in quo ſuperiorum requirerem diligentiam.

Gen. 1. *Matth. 5.*

Qui hanc virtutem imitaturus eſt, genera perſpicuæ orationis debet habere perſpecta; ſiue loca, in quibus perſpicue dicendum eſt: quorum primus eſt narratio. Narrationum autem, aliæ ſunt ſimplices, hoc eſt nudæ rei expoſitiones, cuius generis multæ in ſacro codice occurrunt: aliæ non ſimplices, cum nō modo res, ſed etiam mores explicantur; vel, vt Hermogenes loquitur, cum ſunt argumentoſæ; vt illæ quę facta, factorum cauſſas, & attributiones continent: cuiuſmodi nonnullæ in diuinis ſermonibus reperiuntur. Quibus duobus generibus, citatus auctor, aliud addit, quod ſuffiguratum vocat; cum res ita exponitur, vt ob oculos poni videatur: quod non raro cœleſtes ſcriptores faciunt. Secundus perſpicuitatis locus, eſt partitio, id eſt cum partimur, ac diſtribuimus, vbi claritate opus eſt. Tertius, cum leniter mouere & conciliare debemus. Poſtremus, in argumentando, & commouendo.

Rurſus duo ſunt perſpicuitatis genera, vnum poſitum in breuitate, quo fere vtimur in mandatis; vt cum Dominus dixit, Euntes parate nobis paſcha, vt manducemus: alterum, quod in explicatione

Luc. 22.

tione conſiſtit;vt,Conuerte gladium tuum in locum ſuum.Omnes enim qui acceperint gladium,gladio peribũt. An putas,quia non poſſum rogare Patrem meum,&c. *Mat. 26.*

Rurſus, duo ſunt perſpicuitatis formæ, altera ſimplicis ornatus,altera ornatus illuſtris atq; inſignis, de quibus ſtatim dicetur. Deinque,diſtribui poteſt perſpicuitas pro triplici dicendi genere;quod alia ſit generis ſummiſſi,alia mediocris,alia grauis. Bonus itaque imitator, in omnibus iam dictis generibus dilucidita tem obſeruabit,& vſu retinebit. Tunc maxime apparet perſpicuitas,cum non ſolum quod dicitur intelligitur, ſed etiam quale & quantum ſit,& quorſum dicatur cognoſcitur.

Quod ſi quis Concionator in latine ſcribendo ſeſe exercere vellet,cui quæ hoc libro docemus, priuatim inſeruiunt,& huius præcipuæ virtutis ex Tullio exẽpla deſideraret,lucidæ diſtinctionis exemplum habet in exordio Quintiano de eloquentia Hortenſij,& de gratia Sextij.In argumentando, in prima Verrina,vbi ait,Quas res luxuries in flagitijs,&c. & in Quintiana,Etenim, ſi veritate,amicitia,&c.Et pro Roſcio Comœdo,Quęre,quare ab ſolutus, &c. In conciliando & ſuauiter mouendo, in Quintiana, vbi cogitata Næuij exponit,Huic tu moleſtus es,&c. In commouendo,in ſex ta verrina,Non ego in Sicilia tota,&c.

Tertia orationis virtus eſt ornatus; quæ virtus eſt honoris & dignitatis,vt duæ priores ſunt neceſſitatis:hac tamẽ Orator alios ſuperat ſcriptores,& quaſi inter homines Deus habetur.

Eſt autem ornatus duplex;alter domeſticus,quotidianus, & communis:alter magnificus,qui hominem admirabilẽ facit,eumque omnia legiſſe,& vidiſſe demonſtrat, atque optimum bonarũ cauſſarum patronum eſſe oſtendit: qui non ſolum eſt contentus munditie & verborum flore, ſed etiam dignitatem requirit; qui non in rebus quotidianis & conſuetis,ſed in magnis & ſingulari bus adhibetur. Debet eſſe hic ornatus concinnus,prudens,ſapiẽs, aptus,accommodatus rebus,perſonis,locis,temporibus,ac tribus oratoris officijs; vt doceat,vt moueat,vt delectet,ſuauiterque affi ciat: & quoniam fucatus ornatus non docet,ideo debet eſſe natu ralis,non adſcititius.

Rurſus,ornatus ſpectatur in tribus cauſſarum generibus,cum quodcunque genus ſuum ornatum requirat:& idcirco alius erit ſubtilis,alius grauis,alius moderatus;tum in verbis, tum in ſentẽ tijs. Grauis adhibetur ad inflammandum in magnis: moderatus ad delectandum in mediocribus: & ſubtilis;ad docendum in te-

nuibus. Quos ornatus, qui apte ſit adhibiturus, is doctus & prudens eſſe debebit: vt qui multa didicerit, nouerit. Hunc conuenientem ornatus vſum, hæ vtilitates ſequentur: vt oratio ſit ſuauis ac proinde iucunda & grata: fide digna, & ita in aures auditorum facile influet: & ob rerum notitiam prudens.

Hunc itaque tripartitum ornatum in eo quem volueris imitari obſeruare neceſſe eſt; vt pro varijs dicendi generibus, varijſque orationis partibus ſit varius, & rebus ipſis accommodatus. Nam qui vnum tantum ornatum exprimunt, ij non imitantur perfecte

Matth. 5. perfectos; nec ſunt omnino in dicendo abſoluti. Subtilem ornatũ obſeruares in ſermone Chriſti habito in monte: mediocrem in multis pſalmis Dauidis; graue atque copioſum in encomio ſapien-

Cap. 27. tiæ apud Sapientem, in laudatione Tyri apud Ezechielem, & multis alijs in locis apud diuinos ſcriptores. Si quis vero vellet huius tripartitæ facultatis profana exempla, ſubtilem ornatum apud Tullium eſt in Cæcinniana, grauis in Miloniana & Sextiana, mediocris in oratione pro Marcello, Ligario, & Deiotaro: & in vna atque eadem cauſſa, in Philippica ſecunda. Sed de hac virtute hactenus.

Quod vero attinet ad decorum, nihil hoc loco priuate ſcribẽdum occurrit, præter ea quæ quincto libro diximus: quod in concionibus prophetarũ, in ſermonibus Chriſti, in canonicis epiſtolis, & in alijs diuinæ ſcripturæ locis omnino obſeruandum atque imitandum eſt: ſine quo qui dicit, is non poteſt non peſſime dicere; vt qui de rebus obſcuris agunt, qui inutilia tractant, qui de rebus ſcholaſticis in concione diſputant, qui denique circunſtantiarum dicendo rationem non habent.

Quod vero ad eum quem imitari debemus attinet, ſi ipſum diuinum ſpiritum, qui linguas infantium facit diſertas imitandum proponã, ſane non errabo. Hunc igitur bene dicẽdi magiſtrũ imitemur, qui oẽs orationis formas, oẽs virtutes per ſuos ſcribas, quibus ad cœleſtem doctrinam ſcribendam eſt vſus, planiſſime expreſſit, & aliquid maius atque præclarius vltra humanam artem. Quare, non poſſum non admirari eorum ſtupiditatem, qui cum diuinos ſcriptores tractent, eorum dicendi artificium vna cum Auguſtino & viris eruditis non admirantur, non vident.

Ex quibus colligeres, qua reprehenſione ſint digni Concionatores illi, qui in tanta eloquentiæ diuinæ copia, bene & eloquenter dicendi facultatem, ſolum ex Rhetoricis humanis ſumere volunt: & quanta pœna afficiendi eſſent impij illi, qui diuinum ſer-

monem,

monem, vt rudem, vt diſſipatum, vt inconditum irrident, quod, vt ipſi vellent, aliqua parte, humanis de bene dicendo non reſpondeat præceptis: quaſi non ſit alia quædam maior eloquentia, quã ea, quam humana potuit obſeruare prudentia.

Quod ſi quis dum eloquentiam diſcit humanam, vt poſtea melius poſſit percipere diuinam, aliquem humanum vellet imitari ſcriptorem, is vnum M. Tullium ſibi eligat, & non errabit: cum in hoc vno omnia dicendi genera, omnibus virtutibus admirabili quadam ratione temperata reperiantur. Qui ideo ſummus eua ſit Orator, quod perfectum oratorem Demoſthenem ſibi imitãdum propoſuit: quem, qui familiarem haberet, multo melius imitandi rationem perciperet, animaduertendo quonam pacto Cicero eum æmulatus fuerit. In quo obſeruauit probabilitatem in docendo, voluptatem & delectationem in conciliando, & in flectendis animis motum. In docendo ſubtilitatem per enthymemata & breues concluſiones: in mouendo robur, vires, & arma: in delectando ſuauitatem, gratiam, ac virtutum ſignificationem. Ac proinde non omnia ſubtiliter dixit, vt Cotta: non omnia grauiter, vt Sulpitius: non omnia temperate & mediocriter, vt Hortenſius; ſed quod eſt maxime laudabile & perfecti Oratoris proprium, in omnibus excelluit, & vnam cauſſam tribus dicendi formis temperauit, ac triplici varietate diſtinxit. Quibus autem rebus hoc tripartitum dicendi genus conflauerit, ſequenti capite explanabo.

Lib. 4. de cauſ. eloqu.

Quomodo varia dicendi genera comparanda, & variæ orationis ideæ exprimendæ ſint. *Cap. XI.*

IN eo priuatim occupata eſt imitandi ratio, vt formã & characterem orationis eius, qui imitandus ſuſcipitur exprimat. Vt ergo adhuc planius imitationis viam demonſtremus, de dicendi generibus in gratiam eorum qui ſtylum præſertim latinum, ſcribendis ſacris concionibus, exercere vellent, aliquid accuratius ijs quę diximus adijciemus.

Cum itaque tres ſint orationis formæ ad eas plane imitandas, quibus ex partibus conficiantur cognoſcere neceſſe eſt. Et quidem, ſi Ciceronis hac de re doctrinam, vna cum diuo Auguſtino ſequi velimus, quodcunque dicendi genus ex ſeptem rebus conflatum eſſe aſſeuerabimus. Hic itaque auctor priuatim de ſubtili-

Lib. 4. de doctrin.

Lege lib 2. de quæſ. ora.

li genere loquendo,& quod de hoc dixit,de alijs intelligendũ eſt,in eo ſeptem aſſignauit partes,Sententias,verba,collocationẽ, ornamenta verborum,ſententiarum ornatum, numerum,& vrbanitatem.Nomine ſententiæ intelligitur quoduis argumentum & propoſitiones omnes,quarum aliæ familiares,aliæ graues,aliæ intermediæ ſunt. Verba ſunt ſententiarum ſigna & notæ,quę cum ſententijs debent eſſe conformia: quorum alia natiua,alia cõuerſa ſunt.Collocatio eſt verborum coagmentatio,nõ grammatica, ſed oratoria;vt ecce,hęc eſſet grammatica collocatio,Omnis,Gallia diuiſa eſt in tres partes:at vero hæc Cęſariana, & oratoria Gallia eſt omnis diuiſa in partes treis.Ornamẽta verborum continẽt quandam venuſtatem & gratiam in ipſis verbis poſitam;vt patet ex ijs quæ de verborum figuris ſupra ſcripſimus. Sentẽtiarum lumina,in ipſarum tractatione apparent.Numerus in pedũ quantitate temperationeque conſiſtit: de quo libro de Eloquutione oratoria late diſſeruimus. Vrbanitas deniq; in orationis lepore, ſuauitate,& morum ſignificatione ſita eſt. Hæ trium generum virtutes ſunt inter ſe contrariæ:quoniam diuerſa genera diuerſis virtutibus gaudent:& ideo quæ in vno retinendæ, in alio fugiendæ ſunt;vt ſententiæ graues in ſubtili genere.

Lib. de bello Gal.

In oratione itaque acuta leni,& exili,ſententiæ non debent eſſe graues,non ſplendidæ,non magnæ,ſed communes,populares, de rebus minoribus & minimis:poſſunt tamen eſſe acutæ;& quę rerum diſtinctionem habeant. Verba,trita,quotidiana: metaphoræ,communes,pudicæ,non inſolentes, quæ verborum propriorũ vicem gerant:non itaque grandia,non audaciter innouata. Verborum collocatio,non accurata,ſed vſitata,cõmunis, & quaſi ſua ſponte facta.Ornamenta verborum non illuſtria,ſed remiſſa, & quæ aliquem leporem habeant,non nimis crebra. Sententiarum figuræ non amplæ,non grandes:ſubtiles tamen & acutas ſuis in locis non reſpuit:breues digreſſiones, & amplificationes, nudas tranſitiones,correctiones,& interrogationes. Illæ itaque vitandæ ſunt figuræ, quæ apparatam ac domi meditatam orationem demonſtrant; vt ſunt membra paria, ſimiliter cadentia, & id genus aliæ.Numerus,non accuratus, non grandis:aliquis tamen, ſed minutus,qualis in comœdijs cernitur:qui,ne maior appareat, compoſitione occultandus & diſſoluendus erit:quæ vocaliũ concurſum atque hiatum non vitabit. Has virtutes ſi tenuis oratio habebit,erit etiam ſuauis,& vrbana.

Generis vero intermedij ſententiæ,ſint eruditæ,prudentes,ſuaues,

ues,ad delectandum,quod eſt huius generis proprium, accommo datæ;non humiles,neque magnificæ,ſplendidæ tamen. Verba propria,perſpicua,translata,non tamen a rebus ignotis, ſed a cō mnibus:cum quotidianus ſermo multas habeat metaphoras,ac prouerbia,quæ lucem habent natiuam:interdum immutata & flexa,ſiue diminuta,cum res ipſa poſtulabit: vnde ornatus non le uidenſis,ſed elegans naſcatur. Erunt itaque in hoc genere tranſlationes crebriores, & innouationes, & omnes verborum tropi frequentiores. Collocatio paullo accuratior & comptior; ita tamen,vt in ea magis negligentia quædam, quam maior appareat induſtria. Verborum ſchemata ea adhibenda ſunt, quæ aliquam ſapiant curam;vt verborum geminationes,alluſiones,ſimiles ſoni,& deſinentiæ:& in ſumma omnia verborum lumina, quæ aliquam laudem & leporem habent:cum huius generis priuata virtus ſit ſuauitas.

Sententiarum inſignia illuſtriora vitanda ſunt; vt diſtributiones,enumerationes magnæ,proſopopœiæ, quæ tamen leuiter attingi poterūt;vt fecit bonus poeta,cum dixit, Vos coryli teſtes,ſēſum ijs rebus tribuendo,quæ ſenſu carent: loquentes tamen perſonæ introducendæ non erunt.Similiter argumentorum expolitiones,amplificationes,digreſſioneſque maiores. Adhibeantur itaque inciſę ſententiæ,non dilatatæ, digreſſiones breues,probandi cauſſa factæ,in argumentorum confutatione:amplificatiunculæ quę non tā motū,quam fidem faciant:partitiones quæ doceāt, non quæ multum dilatent:traductiones iucundæ, correctiones, poſtulationes,laudationes,antitheſes, enthymemata breuiter cō ſtricta,& concluſiones, nō tamen exornatæ & commorationibus exaggeratę ironiæ,liberales & vrbanæ,ſales non acres,ſed amici, lepidi,faceti. Cum itaque in hoc genere nouas opiniones inſerere,aut inſitas reuellere non ſit neceſſe, ornamentis vtetur mediocribus,ita vt oratio,nec humi incedat, nec ſaltet,aut ſcandat; ſed erecto corpore gradiatur. Denique,hæc dicendi forma locorum communium & infinitarum quæſtionum tractationes non reſpuit;modo coaceruatio & acrimonia abſint. De numero,idem diceres quod de preſſo genere diximus,qui maiori arte & diligētia quærendus non eſt. Aderit itaque,ſed moderatus,qui in membris & periodis appareat non longis,ſed breuioribus. His omnibus adhibitis,propria huius generis exorietur ſuauitas;cuius duo ſunt genera:vnum floridum, quo Sophiſtæ & cauſſarum ſcriptores vtuntur:alterum temperatum & dignum,quod in concionē,

ſorumque venit, vt eſt illud, quod in laudandis antiquis patribus vſus eſt Eccleſiaſticus ſcriptor, & Tullius in laudando Pompeio: illud vero quod in ſuo panegyrico adhibuit Plinius ad accuratũ atque ſophiſticum accedit genus. *Plin.*

At vero grauis generis partes debent eſſe huiuſmodi: Sententiæ, graues, copioſæ, de rebus magnis, cum ſuis confotmationibus. Verba, grauia, numeroſa, ſonantia, etiam durius tranſlata, & interdum nouata. Collocatio, nõ multam requirit curam; cum hoc dicendi genus concitatius, potius ex natura, quam ex arte erumpat. Verborum inſignia, grauiora & vehementiora hic deſiderantur, vt relata, complexa, ſimiliter cadentia, ſimiliter deſinentia, duplicata, iterata, paria, gradatim aſcendentia, caſu variata. Similiter ſententiarum lumina quæ plus habent roboris & dignitatis; vt vrgens interrogatio, numeroſa partitio, reticentia, obiurgatio, execratio, perſonæ fictæ introductio, cõmoratio amplificationis cauſſa facta, & extenuatio. Sed in eadem cauſſa hæc variãda erunt, ne vbique adſit contentio, vel remiſſio, vt bonorum Oratorum conſuetudo & Magiſtri dicẽdi docẽt; vt in Roſciana fecit Cicero, vbi quædam ſunt grauia, quædam attenuata, & hilariora. Permiſcenda itaque ſunt copioſa & exurgentia ſummiſſis & compreſſis: vt etiam in ſubtili & tenui genere maiora, tum verborum, tum ſententiarum adhibentur ornamenta; vt in carmine bucolico, quo nihil eſt tenuius; quod in prima Ecloga apud Virgilium, & in nonnullis ſacris epiſtolis facile obſeruares, & in quibuſdam Domini ſermonibus. *Cic. de per. orat.*

Ex quibus intelligi poteſt, omnia ornamenta eſſe omnibus generibus communia, ſed ſolum vſum eſſe diuerſum, exilem, graue, & medium, pro triplici tractationis genere. Quod attinet ad numerum, hic maiores & ampliores pedes requiruntur, & pro rerũ varietate, tardiores & celeriores. Quod vero ad ſuauitatem attinet, ſi ornatum inſignem, locupletem, ac varium habebit, & copiam cum viribus, & dignitate; ita vt hic eloquentia magno feratur curſu, permoueat animos, irrepat in ſenſus, nouas opiniones inſerat, & inſitas reuelat, lacrymas excutiat, acclamationes excitet, huius generis grata extabit forma: quæ in copia, in varietate, in dignitate, in motu, in numeroque maiore, ac velocitate apparet.

Atque hæc cum ijs quæ ſupra de tribus generibus orationis agendo ſcripſimus, ſatis eſſe poterunt ad has formas in bonis auctoribus obſeruandas, & vſu imitandas; vt ſubtiliter, mediocriter, & ſub-

& ſublimiter dicendo docere, delectare, & mouere, in tota oratione, vel in certis partibus Concionator valeat; & vt nunc ſubtilis, nunc mediocris, nunc grauis appareat. Subtiliter & enucleate, vniuerſe loquendo, docebat Chriſtus: mediocriter canebat Dauid, ſublimiter arguebant & minabantur prophetæ: ſed vt hi interdum humi incedebant, aut medio modo aſſurgebant, ita & illi, ſeſe extollebant, cum aptiſſime omnia dicerent; quod nemo niſi eloquentiæ ignarus negaret: Et cum in hoc, vt ſæpe dixi, & vbique repetendum eſſet, ſita ſit tota eloquentiæ vis, quid diuinis literis eloquentius inueniri poſſit, nihil inuenio. Quod, vt adhuc manifeſtius appareat, non pigebit breuiter eas dicendi formas adnotare, quas in Demoſthene obſeruauit Hermogenes: vt eas diligens Concionator in diuinis oraculis notare, ac etiam, ſi libuerit, ad vſum per imitationem traducere queat.

Explicantur ſeptem orationis ideæ ex Hermogenis ſententia. Cap. XII.

HERMOGENES igitur accuratiſſimus hac in parte bene dicendi magiſter, paullo ſubtilius atq; callidius ſeptem notauit dicendi formas, quas ideas nominauit, quæ ſunt iſtæ.

Prima, Perſpicuitas, cuius duæ aſſignantur partes, vna quæ puritas nominatur, per quam nude ſine vlla aſſumptione aliquid dicitur: cuius exemplum habes in initio ſacræ geneſis, & in nonnullis ſermonibus Chriſti, in oratione dominica, & in omnibus locis, vbi nude res aliqua exponitur: altera, Intelligentia, ſiue claritas, & euidentia, græce, eucrinia, quam ibi obſeruares, vbi res diſtinguitur, enucleatur, & aperte per diſtinctiones & diſtributiones exprimitur: talis eſt ſermo ille, quem Chriſtus habuit in monte: quo nihil apertius, nihil enucleatius fieri poteſt. Et apud Paulum, Nō omnis caro eadem caro: ſed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piſcium: & corpora cœleſtia, &c. *1. Cor. 15.*

Secunda, Magnitudo, ſiue amplitudo, cui ſex aſſignantur partes: Dignitas, quam ibi obſeruares, vbi de rebus magnis, grauibus ac dignis agitur: qualis eſt oratio Ioannis initio ſui euangelij, ſermo Chriſti in cena ad diſcipulos, & initium epiſtolæ ad Hebræos, aut potius tota fere epiſtola: oratio Sapientis in laudem ſapiētiæ, vt alia innumera omittam exempla.

Aſpetitas,quæ ibi exprimitur,vbi acrius maiores,vel quales re darguuntur,quam in prophetis obſeruares;vt in prima Iſaiæ concione:& in illa Ioannis reprehéſione,Progenies viperarum, quis
Matt.3. demóſtrauit vobis fugere a ventura ira: & in orationibus Machabæorum contra Antiochum.

Acrimoniæ,qua vtimur in arguendis inferioribus;qua dicendi forma aliquando vſus eſt Paulus in Galatas,vt cum dixit,O inſen
1.Cor.4. ſati Galatæ,qui vos faſcinauit non obedire veritati, &c. & non
2.Cor.11. vno in loco in Corinthios: Ac etiam Iacobus cum ad diuites cō
Cap.5. uerſus,in hæc verba prorupit,Agite nunc diuites,plorate,vlulantes in miſerijs veſtris,quæ adueniet vobis,&c.

Splendor,quam formam ibi notares, vbi res pulchræ & elegātes oratione ſplendida laudantur:quam formam ſingulari quadā ratione inuenies expreſſam multis in locis eius orationis qua Sapiens ſapiētiam laudauit,ac etiam in ea, in qua ſapientia ſeipſam commēdauit:Similiter in encomio antiquorum patrum apud Ec-
Cap.41. cleſiaſtici libri ſcriptorem; ac etiam in Canticis, & multis in locis apud Dauidem.

Vigor,quæ idea ibi cernitur, vbi oratio habet neruos,& contētionem,vt ſæpe apud Paulum, cum acriter diſputat,& vrget; vt
1.Cor.9. hoc in loco,Non ſum liber? non ſum Apoſtolus? nōne Chriſtum Ieſum dominum noſtrum vidi?nonne opus meum vos eſtis in domino?& quæ ibi neruoſiſſime ſequuntur.

Circumductio,quæ ibi eſt expreſſa,vbi oratio non pure procedit,ſed multa aſſumit, & pluribus verbis & ſententijs ſe veſtit, ac modo non naturali, ſed artificioſo contexitur :qua ſcribendi forma Paulus ſuas epiſtolas exordiri ſolet : quale eſt principium libri primi Officiorum Ciceronis, exordium Milonianum, & multa alia.

Tertia forma vocatur Pulchritudo, quam obſeruares illis in locis,vbi res aliqua eleganter pingitur, & variis ornamentis illuſtratur;vt in orationibus ſupra allatis, in quibus ſplendorem notari poſſe diximus;& hoc in loco priuatim, vbi ſapientia ſeipſam
Ecci.24. elegantiſſime ornat, Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion,Quaſi palma,& quæ ibi pulcherrime ſequuntur. Ac etiam in ea oratione,qua Ezechiel laudauit Tyrum: vt multa loca quæ in Iobo, in Dauide notari poſſent omittam.

Quarta,Celeritas,quæ orationi tribuit motum, ne videatur ignaua, ſicut Pulchritudo dat venuſtatem, ne videatur deformis,

&.

& Amplitudo magnitudinem,ne videatur parua & extenuata,& Puritas lucem,ne ſit cæca atque obſcura. Hanc ideam ibi inuenies expreſſam,vbi oratio quaſi torrens velociſſime currit,vt hoc in loco apud Dauidem, Quid gloriaris in malitia,qui potens es in iniquitate?Tota die,&c.Et apud Paulum, Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia;tradidit illos in reprobum ſenſũ; vt faciant ea quæ non conueniunt:repletos omni iniquitate,malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio,&c.Item,Nũquid omnes apoſtoli?Nunquid omnes prophetę? nunquid omnes doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur?nunquid omnes interpretantur? *Pſal. 51.* *Rom.1.* *1.Cor.12.*

Quincta, Affecta, ſiue morata oratio,in qua morum datur ſignificatio,cui quattuor ſubiecit partes Hermogenes, quæ ſunt iſtæ.

Simplicitas, quæ dicendi forma ibi eſt expreſſa, vbi homines minime mali ſua cogitata,dicta,& acta,ſine vlla calliditate exponunt, ſed ingenue & aperte,vt fecit Regius Vates,cum dixit,Erraui ſicut ouis quæ perit, quære ſeruum tuum: Vt iumentum factus ſum apud te,& ego ſemper tecum:In Domino confido,quomodo dicitis animæ meæ tranſmigra in montem ſicut paſſer?Eſt autem ſimplicitas duplex;altera,quæ ex animo profecta eſt;vera, non ſimulata,non fucata,& ceruſſata:altera huic contraria fucata & ficta;vt illa Sinonis apud Virgilium, *Pſ.118.72. & 10.* *Lib.2.Aen.*

Cuncta equidem tibi,Rex,fuerint quæcunque fatebor.

Vera,inquit,&c.

Hac eadem vſus eſt Dauid,cum apud Regem Achis os ſuum immutauit.Illa prima eſt naturæ & veritatis,hæc vero artis. *1.Reg.21.*

Suauitas,ſiue voluptas,quæ ibi reperitur, vbi morum,virtutũ, & animi bene affecti datur ſignificatio: qua forma ſæpe canonicarum epiſtolarum vtuntur ſcriptores;vt Ioannes cum ait, Filioli mei,hæc ſcribo vobis, vt non peccetis.Sed,& ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem,Ieſum Chriſtum,&c.vbi duplex latet ſuauitatis ratio,morum ſcilicet,& rerum. Item, Senior Gaio cariſſimo,quem ego diligo in veritate.Cariſſime,de omnib. orationem facio proſpere te ingredi, valere:& apud Paulum,Tu ergo,fili mi,confortare in gratia,quæ eſt in Chriſto Ieſu:Atque apud Tullium,Ego omni officio,ac potius pietate,&c.Hæc igitur ſuauitas ſumitur ex bene affecti animi ſignificatione. Altera eſt ſuauitatis forma quæ in rebus ipſis cernitur; vt in ſententijs *Epiſt.1.c.3.* *Epiſt.3.*

de rebus iucundis, lætis, de muneribus, de gratijs: vt apud Virgiliũ Corydonis dona: de fontibus, & locis amœnis, vt Siracuſarum deſcriptio apud Tullium: Eſt etiam ipſa beneficiorum memoria & gratia ſuauis; vt illa Tityris oratio, O Melibœe, Deus nobis hęc otia fecit: ac etiam ſimplicitas; vt illa eiuſdem, Stultus ego huic noſtræ ſimilem, &c. In diuinis literis ſæpe occurrit hæc dicendi forma; vt his in locis, Ecce quam bonum & quam iucundum fra-
Pſal.132. tres, & quæ in hoc pſalmo ſuauitatis pleno ſequuntur. Item, Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti cor
Matt.25. de. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum
Matt.11. a conſtitutione mundi: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Iuſtus vt palma florebit, & ſicut cedrus Libani multiplicabitur; plantatus in domo Domini.

Acumen, ſiue acris & ſublimis oratio, genus dicẽdi mordicãs, vellicãs, auditoribus ingratũ: huiuſmodi erant orationes amicorũ Iobi contra ipſum inſtitutæ, & maxime Eliu: ideo aliquãdo dixit, Vſquequo affligitis animã meã, & atteritis me ſermonibus, &c.

Æquitas & Modeſtia, quæ habet ſignificationem clementiæ, lenitatis, & bonitatis; quam formam paſſim in ſacris ſcriptoribus expreſſam inuenies, vt his in locis, Non enim audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant: ſed ipſi
1.Cor.10. in nobis, noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis. Nos autem non in immenſum gloriabimur, &c. Cum poſſe-
1.Theſſ.2. mus vobis oneri eſſe, vt Chriſti Apoſtoli: ſed facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos, &c.

Sexta forma principalis eſt Veritas, quæ ibi cernitur, vbi oratio eſt, vt Græci loquuntur, empſycos, id eſt ex animo expreſſa, non ficta. Efficit itaque veritas, vt animi motus & effectus videatur verus; & ideo in ea orationis parte reperitur, in qua ſunt ſententiæ veræ, probabiles, aſſeueranter pronuntiatæ, & adiudicatione iureiurandoque confirmatæ: huius formæ hæc ſunt exempla. Quod
1.Ioan.1. fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt, &c. Non creditis quia ego in Patre, & pater in me eſt? Verba quæ ego loquor vo-
Ioan.14. bis, a me ipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioquin propter ipſa opera credite. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Empſycos, id eſt ex animo loquens debet eſſe Concionator, vt omnes ſcriptores diuini, & præſertim

Ioan-

Ioannes in ſuis canonicis epiſtolis, & Concionatorum magiſter Chriſtus; cum vbique, tum in ſermone, quem in cœna habuit: & hoc loco Dauid, Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis: ſi reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis: proſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terram vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat. Pſal. 7.

Septima idea eſt Decorum, ſiue aptitudo, quæ in recto aliarũ formarum vſu conſiſtit, atque in circunſtantiarum obſeruatione; de qua virtute, cum ſupra late dixerimus, nihil eſt cur plura hoc loco dicamus: Quam nullibi diuini ſcriptores non ſeruant, ac proinde vbique obſeruanda, & imitanda erit: quam qui ignorant, qui ſeruare nequeunt, in publicum ad dicendum non veniant: cuius vnicum ſubijcio ex Dauide exemplum, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui Ieruſalẽ, obliuioni detur dextera mea: Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui: ſi non propoſuero Ieruſalẽ in principio lætitiæ meę: vbi decorum ex parte loci, & perſonæ loquentis mirifice obſeruauit artificioſiſſimus Vates: ac etiam veritatis ideam expreſſit. Pſal. 136.

Atque hę ſunt ſeptem formę cum ſuis ſpeciebus quas obſeruauit Hermogenes, & ex octo partibus conflari docuit, Ex ſententijs, methodo ſiue tractationis modo, verbis, ornamentis ſiue figuris, membris, collocatione ſiue ſtructura, clauſula, & numero: De quibus nihil in præſentia ſcribere volumus. Si quis autẽ quę de ideis, & earum partibus dici poſſunt late explicata videre voluerit, noſtrum de Eloquutione oratoria opus legat; vbi multis diſputationibus Hermogenis obſcuram de ideis doctrinam plane expoſuimus. Lib. 3.

Ad extremum illud admonuerim, nullam fere eſſe orationem in qua plures non ſint expreſſę ideę, vt facile quiſque in allatis obſeruaret exemplis.

De recta imitandi ratione. *Cap.* XIII.

CVm quę libro tertio de cauſſis eloquentiæ de imitatione late ſcripſi, hoc loco repetere nolim, breuiter nunc de re propoſita dicam.

Qui ergo recte imitari voluerit, is primum debet dicendi artem tenere, vt poſſit artificioſe imitari. Ars enim du-

ducit imitatorem oſtenditque ei virtutes quæ ſunt in exemplari, & quo progrediendum ſit,& per quæ loca.

Deinde,opus eſt vt aliquem ſibi eligat ducem,quem ſequatur, iuxta ea quæ ſupra docuimus: cuius dicendi genus debet habere perſpectum, vt & omnia quæ ſub imitationem cadunt: in quo, quæ ſunt bona,ea æmulabitur;ſi quid vitij,illud vitabit: Poſtea, eligat materiam ſuæ naturæ,ſuiſque viribus aptam;ne,ſi id quod omnino eſt ſuæ naturæ repugnans ſuſcipiendo,fruſtra laboret. Ad hæc, animaduertat imitationem non eſſe poſitam in ſola aliquorum verborum mutatione,aut inuerſione,vt aliqui putant: Eſt enim puerilis imitatio eorum,qui,paucis mutatis,alicuius boni auctoris locum,ſiue integram orationem,aut epiſtolam faciũt ſuam,vel hiſtoriam in epiſtolam conuertunt.Illa autem perfecta, in qua nec res,nec ſententia, nec verba ſunt eadem,ſed iſta omnia ſimilia. Quare,non eſt neceſſe vt imitator in eodem partium, periodorum, & membrorum numero magnitudineque reſpondeat:cum debeat eſſe liber,non ſeruus,æmulator,non fur:ac proinde addere demereque poteſt.Nam,ſi imitatio numero,magnitudine,& ordine eodem æſtimaretur,nunquam, aut raro Cicero Demoſthenem,Horatius pindarum,& Virgilius Homerum & alios imitatus eſſet,paucis exceptis verſibus.

Danda itaque opera eſt,ne imitatio appareat,quod ni fiat, puerilis & inepta a doctis cenſebitur. Occultanda igitur erit, ſicuti & ars:ad quod faciendum oportet habere præcepta quædam recte imitandi,occultandi,& exprimendi aliorum virtutes.Verum, ſunt nonnulla quæ occultari nequeunt; non ſecus ac ſtellæ in cœlo,vt exordia,orationis partes,argumentationes, ſententiæ communes,ornamenta quædam,verba,ſiue natiua, ſiue verſa,& particulæ nonnullæ:Quæ ſunt huius ordinis,cum ſint communia,laudabiliter extant:imitandi tamen artificio quæ communia ſunt, fieri debent propria. Omnes exordiuntur, & exordiendo,exordiorum munera plura,vel pauciora exprimunt,ſed non omnes eodem modo. Omnes eiuſdem conditionis homines iiſdem vtuntur cibis,ſed non eodem apparatu:omnes pictores iiſdem coloribus,ſed aliter Appelles,aliter Protogenes: Eadem fere ſunt Poetarum & Oratorum ornamenta, ſed aliter hi,atque illi ea vſurpant:Multi temporibus Hortenſij verſabantur in foro; ſed ipſe ſolus fori Rex fuit nominatus. Orationis particulæ communes ſunt omnibus,ſed aliqui ornatiſſime illis vtuntur, non item alij. Quo loco illud admonuerim,non probari, ſi quis aliquod verbũ, vel

vel clauſulam,aut particulam,Ciceronis gratia exempli,propriã; ſæpius vſurparet.

Licet ergo nonnulla occultari non poſſint:tamen ſemper quęrenda eſt aliqua diuerſitas,quæ partim in re, partim in tractatione ſpectatur.Res diuerſæ,ſemper diuerſam faciunt orationem, & diuerſa ſuppeditant vocabula. Vt ecce,Virgilius imitatus eſt Homerum in re diuerſa, in qua tamen, ſimilitudinem,imitando quæſiuit.Vnus græce,alter latine ſcripſit:vnus Græcum hominẽ, alter Troianũ laudauit:quorũ hominũ,vnus Gręciã cogitabat,alter Italiã:vnus reditu patriã recuperat,alter abeundo nouã condidit.Vterque tamen eius perſonam deſcribit,de qua agit: vterque errantem facit:vterque a pietate laudat:vterque exemplum virtutis & ſapientiæ proponit:vterque ſuum,mulierum amorem ſpernentem facit.Differunt itaque re & tractatione:res eſt veluti corpus, tractatio quaſi veſtimenta, quæ diſſimilitudinem in eadem re faciunt: dum vnus pluribus,alius paucioribus, ac etiam diuerſis vtitur veſtimentis.Imitator ergo dum archetypum inſpicit,efficit aliquid diuerſum. Non negauerim tamen quibuſdam in locis & verſiculis imitatorem ab eo quẽ imitatur ſola lingua differre;vbi potius interpretationis,quam imitationis cernitur forma; vt cum Horatius dixit, *In poet.*

Dic mihi muſa virum,captæ poſt tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

At vero cum in prima ode Pindarum plene imitari, & ſtudium lyricum vt ille fecit,commendare voluit, plura & diuerſa attulit, & ſplendidius quam ille dixit. Eadem imitandi optima forma vſus eſt Virgilius in principio Æneidos,vbi initium Odyſſeæ imitatus eſt,non traducendo,ſed occulte & artificioſe æmulando,addendo,tranſponendo,dilatando. Vbi prius per tranſitionem præmittit quod erat exile & exiguum,Ille ego qui quondam : Deinde addit,quod erat medium, Vt quamuis auido: Poſtea aſſurgendo accedit ad magnificam propoſitionem,pretermiſſa inuocatione,At nunc horrentia Martis, Arma virumque cano;vbi dilatando Æneæ perſonam deſcribit:& ita multo magnificentius propoſuit,quam Homerus fecit : Tãdem ad inuocationem delabitur.Vt merito de hoc opere, antequam in lucem veniret, quidam cecinerit, *Od. 1. lib. 1* *Propert.*

Cedite Romanis ſcriptores,cedite Grai;
Neſcio quid maius naſcitur Iliade.

Hac itaque recta imitandi forma,quod erat Homeri,ſuum fecit Virgi-

Virgilius: ſicut Horatius Pindari odem ſuam, appellationis additione, plurium parrium enumeratione, atque verborum acumine, & iucunditate. Eadem arte vſus eſt Tullius in Quintiano exordio facto ad imitationem eius quo Demoſthenes in oratione pro Corona vſus eſt.

Qui ergo aliquem tecte imitari voluerit, is vna, vel altera, vel pluribus ex ijs partibus, quas numerabo, vtetur, Additione, detractione, tranſpoſitione, immutatione, copia, breuitate. Additio, ſiue appoſitio græce poſthesis, tunc adhibetur, cum vel in principio, vel in medio, vel in fine ponitur, quod non erat in exemplari; vt patet in exemplo ex Virgilio allato. Verum id quod additur, non ſit fucus, non ceruſſa, ſed neruus & ſanguis.

Detractio, græce aphæreſis, quæ eſt appoſitioni contraria: quæ curam requirit, & indicat prudentiam, dum inutilia, & ad rem minus accõmodata relinquuntur; ſicuti & collocatio, quæ eſt compoſiti ingenij indicium.

Tranſpoſitio, metatheſis, fit cum ſententiæ ſiue res retinentur, ſed alio loco ponuntur: quo modo Virgilius inuocationem quæ apud Homerum erat in principio tranſtulit in finem.

Immutatio, metabole, eſt materiæ & verborum facta diſſimilitudo: quæ ornatum oſtendit illuſtrem: vt in eodem exemplo, vbi varia perſona, vario verborum genere deſcribitur.

Copia, euporia, cum ex paucis ſententijs plures fiunt, & ex verbis atque ſententijs numeroſiora & plura ſumuntur.

Quo loco illud admonuerim, quod ad copiam attinet, bonos oratores cum ad populum, vel ad iudices orationem habent, de re magna, de re voluptatis aut doloris plena, non eſſe contentos vna ſimplici propoſitione ſed eandem rem ſæpe bis terque inculcant, & tribus ſententijs, alijs, atque alijs verbis exponunt. Hoc diuinis ſcriptoribus eſt familiariſſimum; vt paſſim apud Dauidem, cum proponit, obſeruare licet; vt his in locis, Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam; & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam: Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me: Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum, intende voci deprecationis meæ, rex meus & Deus meus: Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua, lætabor & exultabo in te, id eſt hilaris te prædicabo, pſallam nomini tuo altiſſime. Quare, merito irrideres eos, qui has loquendi formas, tanquam inutiles tautologias, reijciunt, & imprudenter

Pſal. 50. *Pſal. 5.* *Pſal. 9.*

ter in diuinis ſcriptoribus damnant.

Breuitas, Syntomia, quæ eſt copiæ contraria. Qui ergo his partibus apte congruenterque vti nouerit, occulte imitando, aliena faciet ſua, & non pro fure aut interprete, ſed pro vero imitatore habebitur.

Ille auté commodius ac facilius imitari poterit, qui eius quem imitandum ſuſceperit, plura viderit, obſeruauerit; vt plura exordia, plures narrationes, argumentorum ac ſimilium tractationes, rerum enumerationes, collocationeſque: & longe melius, ſi quæ legerit, per analyſim in ſua capita, & locos, fonteſque, & principia reuocauerit.

Cura itaque præcipua habeatur circa tractationem, cuius maximus eſt in imitando vſus; vt videamus qua ratione is, quem in ducem delegimus, argumentationes, ſimilitudines, exemplaque tractet, & expoliat: quod ſi quis legendo harum rerum ſibi volumen conficeret, operam non perderet. Et quoniam ſimilium ac exemplorum maximus eſt in dicendo vſus; propterea non pigebit ſequenti capite ſpeciatim de forma qua tractari debent aliquid præcipere.

De exemplorum & ſimilium tractatione. *Cap. XIIII.*

EXEMPLORVM tractationem non eſſe omnino facilem, ex eo intelligeres, quod Antonius aliquãdo dixerit, ſuis temporibus non dum fuiſſe arte comprehenſam: neque hoc tempore, quod ſciam, aliquis exſtat libellus, in quo hæc doctrina plane explicata contineatur: cum tamen, tum exemplorum, tum ſimilitudinum, diſſimilitudinumque tractationes frequentiſſime occurrant. Vt igitur hæc tractatio facilius in bonis auctoribus obſeruari, & imitatione ad vſum recte traduci poſſit, quæ de ea nobis dicenda occurrũt, paucis perſtringemus: ac primum de exempli tractatione agemus; quæ in eo auctore, qué imitandum ſuſcepimus diuerſis in locis obſeruanda erit.

Exempla igitur proprie, ſunt dictorum & factorum, ſicuti ſimilia rerum; ac etiam rerum ſimilium & contrariarum: quorum alia ſunt maiora, alia minora, alia paria: rurſus, alia ſimilia, alia diſſimilia, vel contraria. Diſſimilitudo autem & inæqualitas conſiſtunt in genere, modo, tempore, loco, cęteriſque ferme circunſtantijs. Item, exemplorum alia antiqua, alia recentia: alia externa, alia

dome-

domeſtica,cuiuſcunque,vel populi,vel familię ſocietatiſve: Pręterea,alia ſunt vera,alia ficta:alia denique illuſtria,alia obſcura,& longe minora. Et quidem illuſtria, domeſtica, & recentia magis ad mouendum valent,quam contraria.

Exemplorum atque ſimilium vſus quadripartitus eſt:aut enim dignitatis cauſſa ad ornandum ſolum adhibentur,aut ad aliquid obſcurum dilucidandum & aperiendum,aut ad rem aliquam magis veriſſimilem ac probabilem faciendam, aut deniq; ad rem ob oculos ponendam,perſpicueque exprimendam.

Ponuntur autem poſt rem narratã,expoſitam,probatam:quare ſæpiſſime in fine,raro in medio,rariſſime in principio collocãtur.Item,poſt expoſitionem rei magnę,nouę,inauditę,ſingularis, honeſtæ vel turpis:poſt magnum beneficium, aut maleficium,in laudem,aut vituperationem.Eorum tractandorum formæ ſunt ſeræ iſtæ.

Prima, breuis, per ſolam exempli recitationem,& propoſitionem:vt hoc in loco, Væ illis qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt. *Iud.epiſt.*

Secunda, cum adhibetur exempli propoſitio cum aſſumptione,vt hoc in loco, Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram,factæ ſunt exemplum,ignis ęterni pęnam ſuſtinentes:ſimiliter & hi carnem quidem maculant,dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant. *Ibid.*

Tertia,cum adhibetur exemplum ad probandum, nulla ſubiecta aſſumptione,aut concluſione;vt hoc in loco, Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram,& non pluit annos tres,& mẽſes ſex.Et rurſum orauit,& cœlum dedit pluuiam,& terra dedit fructum ſum. *Iac.5.* *3.Reg.7.*

Quarta,cum intercedit contentio ſiue collatio,qua dilatari & amplificari poſſunt:idque fit,cum exempla ſunt imparia,aut diſſimilia.Collatio ſumitur ex rerum,perſonarum,temporum, cęterarumque attributionum varietate:quæ augeri poteſt, verborum,figurarum,ac ſchematũ genere;quæ vim habent, aut eleuandi,aut attollendi:atque etiã,ſi pro ratione cauſſæ oſtendatur id quod adducitur eſſe ſimile,diſſimile,contrarium,par,maius,aut minus:Vt ſi conferres exemplum Publicani orantis & Phariſæi: Samaritani, & Leuitæ: Centurionis fidem cum Hebræorum infidelitate. *Luc.10.*

Quincta,per inductionem,& enumerationem,cum plura exẽ-

pla

pla conglobantur: quam tractandi formam pulcherrime habes expreſſam in oratione Matathiæ ad ſuos filios habita, Abraham, inquit, nonne in tentatione inuentus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam? Ioſeph in tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodiuit mandatum, & factus eſt dominus Ægypti: Phinees pater noſter, zelando zelum Dei accepit teſtamentum ſacerdotij æterni: Ieſus, dum impleuit verbum, factus eſt dux in Iſrael: Caleb, dum teſtificatur in Eccleſia, accepit hæreditatem: Dauid, & ibi ſequuntur. Huc etiam pertinet tractatio illa qua vſus eſt Paulus ad commendandã fidem; vbi multa adducit exempla: & primum quidem nonnulla diligenter expoſuit, alia breuiter conglobauit, qui locus eſt omnino obſeruandus & imitandus. *Mac. 1. c. 2.* *Heb. 11.*

Sexta, cum aſſumptione exempli contrarij, vt hoc in loco, Memores eſſe debent quomodo pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt: ſic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes, & omnes qui placuerunt Deo per multas tribulationes tranſierunt fideles. Illi autem, qui tẽtationes nõ ſuſceperunt cum timore Domini, & impatientiam ſuam, & improperium murmurationis ſuæ contra Dominum protulerunt, exterminati ſunt ab exterminatore, & a ſerpentibus perierunt. Et nos ergo non vlciſcamur nos pro his quæ patimur, &c. *Iudith. c. 8.* *Num. 21.*

Septima, hac rurſus ratione tractari poſſet exemplum, ſi prius perſona, aut gens & natio, aut auctor vnde ſumitur laudaretur, ſed laudatio debet eſſe breuis, & ad id quod agitur apposita. Deinde introducendum eſſet exemplum, idque cum aliquo verborũ ſplendore & grauitate. Poſtea, ad rem accommodandum erit, idque ea ratione, vt recte explicetur, vel paritas, vel imparitas. Ad hæc, adhibenda eſt aliqua amplificatio, per collationem, comparationemque cum eo cuius cauſſa adducitur, per circunſtantiarũ tractationẽ. Hic interſeri poterunt ſententiæ, ſiue gnomę, epiphonemata, ſiue acclamationes, quæ mirifice orationem exornabũt, & ampliorem neruoſioremque reddent. Denique, per epilogum, concluſio conficienda erit.

Neque ſolum exemplorum tractatio, ſed etiam eorundem cõfutatio obſeruanda erit. Confutantur autem, per locum communem dicendo exemplis non eſſe credendum: ſi melioribus infirmentur: ſi meliora poſtulentur: ſi alia alijs opponantur: ſi mala refutentur: vel denique, ſi diſcrimina inueniantur. Si quis uellet Ciceronis artem in exemplorum tractatione obſeruare, præter alia, hæc loca conſulat. In Roſciana, vbi ait, Etenim quis tam, &c. Itẽ,

ad fidem faciendam, L. Caſſius ille, &c. Fabuloſi exemplum habes in ſexta Verrina, Eriphylam accepimus, &c. Ibidem habes exemplum ornatiſſimæ & copioſiſſimæ comparationis, exemplũ inquam floridum, & pene ſophiſticum, Vnius autem vrbis. Exemplum refutatum in quincta Verrina, Quod ad hæc, &c. Item, Et me ad M. Antonij æſtimationem, &c.

Atque iiſdem fere modis tractatas inuenies ſimilitudines. Eſt autem ſimilitudo oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile. Solet ſimilitudo aſſumi, ornandi, probãdi, apertius dicẽdi, & ante oculos ponẽdi cauſſa. Et vt quattuor de cauſſis ſumitur, ita quattuor modis enũciatur: vel per contrariũ, vel per negationem, vel per collationem, vel per breuitatem, Exempla ſunt huiuſmodi. Apertius dicendi per breuitatem, Induit ſe loricam ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica ſua in prælijs, & protegebat caſtra gladio ſuo. Similis factus eſt leoni in operibus ſuis: & ſicut catulus leonis in venatione. Item, ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. Item, Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat filios ſuos & noluiſti? Ob oculos ponendi cauſſa
Ecci. 27. per collationem: Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata: omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ. Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei: ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus eius: lucerna ſplendens ſuper cãdelabrũ ſanctum, & facies faciei ſuper ætatem ſtabilem: colũnæ aureæ ſuper baſes argenteas, & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris: fundamenta æterna ſuper petram ſolidã, & mandata Dei in corde
Ecci. 24. mulieris ſanctæ. Item, Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano: quaſi cypreſſus in monte Sion: quaſi palma exaltata ſum in Cades: & quaſi plantatio roſæ in Iericho: Quaſi oliua, &c. Item, qua-
Ecci. 50. ſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet: & quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei: qua
Prou. 27. ſi arcus, &c. Ornandi cauſſa per contrarium, ſeu diſſimile, Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius. Probandi cauſſa per negationem: Sicut ornatus arenoſus in pariete limpido, & ſicuti paleę in excelſis, & cęmẽta ſine impenſa poſita contra faciem venti non permanebunt: ſic & cor timidum in cogitatione ſtulti contra impetum timoris nõ reſiſtet. Atque hæc exempla attuliſſe ſufficiat: plura qui volet ea paſſim obſeruabit in diuinis literis.

Solent autem ſimilitudines ſequi narrationes & argumentatio-

ctiones,quas nunquam antecedunt, ac etiam magnarum rerum negociorum,beneficiorum,maleficiorumque expoſitiones.Raro itaque in principio,ſępius in medio ſępiſſime in fine adhibentur: id quod etiam de exemplis intellligendum eſt. Quæ, vt ſummatim dicam,nunc propoſitione,aſſumptione,concluſioneque conficiuntur:nunc ſimpliciter breuiterque vna periodo tractantur: aliquando pluribus:aliquando abſque comparatione: aliquando *Sap. 5.* cum comparatione; ita vt duæ concurrant tractationes ſimilitudinis,& comparationis:aliquando vnũ attingitur,aliquando multa conglobantur ſimilia,vt in allatis patet exemplis.

Quando autem rem aliquam volumus exornare ſimilibus, res ipſa primo proponitur:deinde rei propoſitæ redditur ratio:poſtea ſubijcitur cõfirmatio, vel certe ipſa exornatio per ſimilitudinem: ſimilitudini aſſumptæ additur aſſumptio ſiue redditio: ad quam aliquid aliud adiũgi ſolet. Volebat explicare diuinus ſpiritus quã tum errent qui praue agunt in hac uita, ad quod faciendum per fictionem eos de ſe loquentes, & ſuum errorem agnoſcentes facit,Hi ſunt quos aliquando,&c. hæc eſt propoſitio. Ergo errauimus,infertur concluſio per ſimilitudines amplificanda. Tranſierunt;&c.ſimilitudinis aſſumptio.Sic & nos,&c.Similitudinis Antapodoſis,ſiue redditio.Talia dixerunt,&c.Concluſio,cum alia expolitione a ſimilibus ſumpta.Iuſti autem,&c.Antitheſis de iuſtorũ felici ſtatu.In ſumma,quæ diximus de exẽplorũ tractatione eadẽ in ſimilibus tractandis obſeruari poterunt:quorũ tractãdorũ rationem in orationibus M.Tullij, qui volet obſeruare poterit. *In orat. pro Roſc in 1.6. & 7.Ver. In Phil. 2.*

Analyſis, et explicatio orationis qua ſcriptor Eccleſiaſtici Deum ex creaturarum pręſtantia ac dignitate laudauit. Cap. XV.

VT autem quæ de artificij in diuinis ſcriptoribus obſeruatione,atque de eorundem imitatione diximus multo faciliora reddantur; placet hoc loco quarundam concionum,& odarum ſacræ ſcripturæ artem breuiter indicare.Ex qua diligentia illud etiam planum fiet,quod ſæpe in hoc opere aſſeruimus,diuinorum ſcriptorum eloquentiam eſſe maximam. Accipio itaque primum eam pulcherrimam orationem, qua Eccleſiaſtici libri ſcriptor diuinã maieſtatem ex creaturarum dignitate laudare conatus eſt.

*Memor igitur ero operum Domini,&c.*Huius orationis argumẽtum ſiue ſubiecta materia, eſt Dei laus, ex creaturarum & ope-

Cap. 43 rum eius præſtantia ſumpta.

Genus orationis, vt ex materia conſtat, eſt demonſtratiuum: forma vero, ſiue pars, eſt laudatio.

Finis, ex operum Dei magnitudine atque magnificentia homines ad eius laudes celebrandas excitare.

Status, an Deus ſit laudibus ornãdus, & prædicandus: vnde quẽſtio coniecturam continet.

Reſponſio, ſiue concluſio, Deus laudandus eſt: quæ hoc enthymemate, ſiue ratiocinatione conficitur.

Is eſt ſumma laude dignus, cuius attributa & opera ſunt eximia atque illuſtria: At Dei attributiones & eius opera ſunt huiuſmodi: laudandus igitur.

Poteſt etiam aliud confici enthymema, quo demonſtratur, Deum a nobis non poſſe perfecte laudari: quia non poteſt perfecte cognoſci; vt in huius orationis concluſione demonſtratur.

Minor allati ſyllogiſmi propoſitio, ſiue iudicatio in ipſa cõfirmatione probatur.

Genus dicendi eſt temperatum, amplum tamen & apte ornatum.

Partes ſunt tres, exordium a propoſitione ſumptum, confirmatio, & concluſio.

Exordium in duas diſtribuitur partes: in quarum prima rem de qua eſt acturus modumque agendi Orator proponit: in altera, rationem reddit, cur ex operibus Deum laudare velit. Quare facit docilem & attentum, cum de re magna ſe dicturum pollicetur.

Propoſitio, *Memor igitur ero operum Domini*, id eſt, Equidẽ Dei opera commemorabo & explicabo; & quæ vidi annuntiabo: quaſi dicat, non quidem omnia, quia, vt in concluſione docebit, a nemine cognoſci poſſunt, ſed quæ ipſe *Vidi*, ideſt cognoui edilſerã; idque *Inſermonibus Domini*, hoc eſt, dicendi quadã ratione egregia, ſublimi, atque diuina. Quibus verbis proponit modum, quo de diuinis operibus eſt dicturus: non inculte, non ſordide, non ruſtice, ſed dicendi genere diuino.

Sol, etc. altera pars exordij, quæ continet redditionem, ſiue rationem, cur Deum ex operibus celebrare velit: quia eius opera, ſunt eximia, vti eſt ſol, cuius radijs cuncta collucent & reliqua omnia quadam gloria & magnificentia plena ſunt. *Nonne*, reddit rationem cur ipſe hanc laudationem ſuſcipiat, a cauſſa finali ſumptam; quia Deus cunctis ſanctis ſua miracula, ſiue opera admira-

mira-

miratione digna prædicanda conſtituit: quæ opera ipſe, *confirmauit*, id eſt fundauit, & in ſuam gloriam , vel cum magna ſua gloria ſtabiliuit. Sed quomodo omnia, cum plurima ignorentur, vt ipſe infra fatebitur? Omnia vt aliqui ſcribunt, quia ex omnibus aliqua: vel fortaſſe melius, omnia , quia cupiunt quidem pij homines omnia enarrare, licet nequeant: hic tamen eſt eorum conatus. *Eccl. 18. Ianſen. Beter.*

Abyſſum: hęc eſt Confirmatio, in qua per Dei attributa, & operum eius magnificentiam eum laudandum eſſe demonſtrat.

Quæ in has partes ſecari poteſt.
- Primo, docet Deum eſſe laudandum ob attributum ſcientiæ, vt is qui omnia nouit, pręterita, pręſentia, & futura.
- Deinde, idem ex creaturarũ præſtantia oſtendit.
  - Primo vniuerſe.
  - Deinde, ſpeciatim deſcẽdendo ad res cœleſtes:
  - Poſtremo, ex ijs quæ in aere fiunt, & ex rebus maritimis.

Primum itaque Deum laudat a ſcientia, quia abyſſum, profundum nimirum & omnibus creaturis incognitum hominis cor , hoc eſt intimas tacitaſque cogitationes perueſtigat, & omnes eius technas pernoſcit. *Cognouit*, hoc eſt, tenet omnem ſcientiam , & *ſignum æui*, vel ſigna & notas conſignationeſque mundi perſpicit, ideſt futurorum indicia. Cum igitur duo ſint, quæ omnes creatas mentes latent, hominũ intimi ſenſus, atque res futuræ, dignus erit Deus laude, cum iſta omnia ſciat. *Quæ præterierunt*. Probat ab effectis; & ita laudat Deum non ſolum a ſcientia, ſed etiam a doctrina, quia præterita, & futura, & præſentia alias occultiſſima detegit & reuelat. *Non præterit*, explicat poſtrema verba de arcanorum patefactione; dum eum nullam cogitationem ſermonemve & rem latere ait.

Magnalia; ſecunda pars confirmationis, in qua ex rerum creatarum admirabilitate ſe ad creatoris inexplicabilem maieſtatem conſiderandam & celebrandam erigit. *Magnalia ſapientiæ ſuæ*, μεγαλεῖα σοφίας, hoc eſt miracula, & mira opera , quæ ſua ſapientia fecit, decorauit, ille qui eſt perpetuus, & perfectus, cui nihil addi , aut detrahi poteſt, & nullius eget conſilio. Et quod de Deo dicit, de eius operibus hic ſubintelligendum eſt: quod alibi plane exponitur, Non eſt minuere, nec adijcere, nec eſt inuenire magnalia Dei. *Eccl. 18.*

Quam deſiderabilia, Prorumpit in exclamationem ex admira-

tionē natam. Cum ergo Dei opera ſint omni ornamento decorata, Quam erunt deſiderabilia & iucunda? maximum itaque pariūt ſuæ notitiæ deſiderium, & cognitionis voluptatem : ita vt *tanquā ſcintilla* ; id eſt vſque ad ſcintillam, ad minimam nimirum partē, ſint ſpectabilia: vel, ſpectabilia ſunt, etiamſi minimam eorum partem cognoſcere nobis liceat.

Omnia hæc viuunt, id eſt vigent hæc omnia & durant per æuū. Laudauit creaturas a pulchritudine, nunc a perpetuitate commēdat: quia, vel ſunt omnino corruptionis expertia, vt cœli, vel ſpecie & genere conſeruantur; vt res materia concretæ. *Et in omni neceſsitate*, hoc eſt, in omni vſu & opportunitate obediunt ei, factori ſcilicet ſuo: dum ſol ſtat, mare diuiditur, Iordanes refluit, terra dehiſcit, & mortui reſurgunt: hic alia maxima latet laus ab obedientia ſumpta.

Omnia duplicia, id eſt gemina ſunt omnia: commendat itaque Dei opera a varietate & a numero: non ſunt enim vnius modi, cum alterum ab altero ſit diuerſum, habeatque aliquid diſſimile, vel etiam contrarium ; vt ſunt, ſummum & imum, ſpiritus & corpus, rationis capax & rationis expers, clarum & obſcurum, calor & frigus, mite & ferum, ſociale ſoliuagum: & denique ſine pede, bipes, quadrupes, multipes. Vt merito inferre liceat, *Et non fecit*, id eſt noluit, non permiſit, quicquam deeſſe: quia cuique ſuū oppoſuit contrarium: & inter contraria media interiecit: vel quia omnia ita ordinauit, vt nihil ſit inane, nihil mancum, nihil non in ſuo loco ſitum. Quia ſapientia qua omnia condita ſunt, attingit a fine vſque ad finem fortiter, fortiter & diſponit omnia ſuauiter. *Vnuſquiſque confirmauit bona*, id eſt alterum commendat bonitate alterius; quia vnum contrarium cognoſcitur ex vtilitate, aut ex vi & vſu alterius.

Et quis ſatiabitur vidēns gloriam eius? Acclamatio poſt rem narratam. Gloria itaq; Dei quæ in ſuis operibus elucet, inſatiabiliter delectat; vt quæ ſemper maior conſideranti appareat. Quoniam cum homo conſummauerit, tunc incipiet, & cum quieuerit, operabitur. Eccli. 18.

Altitudinis firmamentum pulchritudo eius. Alia confirmationis pars, in qua ſigillatim Dei opera prædicat : & quidem prius cœli ſpeciem vniuerſe, tum priuatim. Prædicat itaque celum omnium corporum princeps, a forma, a magnitudine, ab efficientia, ſituque: & pulchritudinem, ſiue ornamentum altitudinis, eorum nimirūm quæ altitudine & magnitudine excellunt, vocat: quo modo

do

do diceremus,lilium eſſe florum ornamentum.Eſt autem cœlum corporum omnium ornamentum,quia eſt fons lucis,quæ eſt omnium rerum pulcherrima,ſine qua omnia ſunt cęca,ad cuius pręſentiam omnia apparent pulchra. Ideo vocat firmamentum, quod vniuerſam naturam, quaſi murus quidam inexpugnabilis coercet: vel quia eſt ita firmum,vt nulla vi diſſolui aut labefactari queat:quaſi,vt Iobus ait,ære fuſum. *Species cœli* ſuperiorum verborum expoſitio cœli forma habet aſpectum glorioſum.

Sol in aſpectu. Delabitur ad partes ſingulas & præcipuas. In cœlo itaque & in hac rerum vniuerſitate nihil eſt ſole admirabilius & ornatius:ac proinde merito ſol,quaſi ſolus, & Apollo,id eſt ſine multis nuncupatur;nihil,inquam,eſt ornatius ſole:qui in exitu naſcendo annuntiat gloriam Dei,vel ipſam lucem ſua pręſentia affert,quia omnia fiunt manifeſta:ſol qui eſt vas,ſine machina & opus admirabile Altiſſimi, quem ex creaturis prædicandũ dicimus. Poſſet etiam omnium horũ verborum, *Altitudinis,etc.* hæc eſſe ſententia,Pulchritudo firmamenti altiſſimi,& ſpecies,ſiue aſpectus cœli magnificus atque illuſtris eſt ſol annuntians lucem cum emergit. *In meridiano*, ideſt cum meridianus eſt,regiones torret, & ita torret, vt nemo eius ardorem ſuſtinere queat. Alium itaque attingit ſolis effectum; non ſolum illuminat,ſed etiam torret,ita vt eius calore omnia naſcantur,pubeſcant,& matureſcant. *Fornacem cuſtodiens*: pulcherrima ſimilitudine ſolaris caloris vim vſumque exponit. Non ſecus itaque calorem ſuum conſeruat,atque ardens fornax, ad conficienda opera ardoris,hoc eſt,quæ ardore fiunt,aut ardore indigent:vel magis,quam qui fornacem ſufflat vrendis operibus:ita vt tripliciter, hoc eſt multum, valde montes exurat; vel ter tantum magis, quã fornax excalefacit.Inquit tripliciter,eo modo,quo Horatius dixit,Robur & æs triplex,pro bene firmo & ſolido:& Virgilius duplex ſpina: & alibi dictum eſt, Eliæ ſpiritus duplex,ideſt magnus. *Radios igneos exufflans,&c.* Expoſita caloris magnitudine,nunc claritatis excellentiam demonſtrat: tanta eſt ſolis claritas tantuſque ſplendor,vt lucidos radios exhalando, radiorum fulgore oculos præſtringat, & obcęcet *Magnus*, Oſtendit fructum qui ex ſolis aſpectu percipiendus eſt,Dei nimirum notitia,& prædicatio *In ſermonibus*. laudat ſolem ab eius celeritate: quoniam ad Dei ſermonem, hoc eſt ad imperium & iuſſum profectionem curſumque ſuum accelerat;vt ſicuti ſolis ardor tactu,& claritas oculis,ita velocitas cogitatione percipi non poſſit.Egreditur itaque tanquam ornatiſſi-

mus ſponſus de thalamo ſuo, & tanquam velociſſimus gigas ad currendam viam ſuam.

Et luna, etc. poſt ſolis celebrationem ex varijs eius effectibus
Pſal. 18. ſumptã, ad eum fere modum quo aliquando Dauid eandem creaturam laudauit, progreditur ad idē faciendum de luna: Quamuis
Gen. 1. ergo omnia inerrantia cœli ſydera facta fuerint, vt ſint temporũ notæ: tamen æui diſtinctio in luna ob eius nunc orientis, nunc abeuntis, nunc creſcentis, nunc ſeneſcẽtis varietatem, multo melius apparet. Luna itaq; ſuis mutationibus hanc mortalibus, Deo ita conſtituente, vtilitatem affert, vt tempora diſtinguat, ſitque temporum index. *Luna ſignum.* oſtendit priuatum lunæ commodum, quod tempus indicet, quo Deus colendus eſt, feſtum ſcilicet Neomeniæ. Luna, inquam, eſt luminare quod minuitur in conſummatione, id eſt poſtquam luminis plenitudinem adeptum eſt. *Menſis,* alia laus & vtilitas, quod ab ea menſis nomen ſumatur. Vt enim nos Latini dicimus, menſem a menſura lunaris conuerſionis, ita Hebræi, a lunæ vocabulo iareach mẽſem ierach, ac etiã Græci nominarunt. *Creſcens,* ponit antidotum imminutionis; luna itaque mutationibus, ad ipſam plenitudinem creſcendo, admirabilis exiſtit. Vt ergo ſol ſuo perpetuo ſplendore, qui nũquam variatur, eſt
Iac. 1. nobis rerum æternarum exemplar, neque enim in ſole eſt tranſmutatio, aut viciſſitudinis obumbratio: ita luna ſua mutabilitate rerum caducarum naturam repræſentat.

Vas caſtrorum in excelſis. Et quoniam longum eſſet ſingula ſidera laudando proſequi, hic vniuerſe, vt artificioſus Orator, reliquas ſtellas breuiter perſtringit. Stellas itaque alias, vas caſtrorũ, ideſt inſtrumentum, arma, apparatum, exercitumque caſtrenſem, appellat. Hic ordinatiſſimus & numeroſiſſimus exercitus laudatur a ſitu, quia eſt in excelſis, hoc eſt in firmamento & in *Solo* cœli; vbi glorioſe refulget. Quo fit, vt ſtellarum ſplendor ſit maxima quædam cœli pulchritudo. Neque ſtellæ ſolum cęlum ornant, ſed etiam per eas Deus mundum illuminat: vnde duplex exoritur earum vſus & vtilitas; quod exornent cœlum, & mundo lumen prębeant. *In verbis Sancti,* hoc eſt ad Dei imperium. *Stabunt ad iudicium.* Perſiſtit in metaphora exercitus militaris, & ait ſtellas ſtare ad iudicium, hoc eſt ad præſcriptum Dei: quaſi milites obſequentiſſimi, & ad mandata capeſcẽda parati: ac proinde, ſuas ſtationes & excubias non deſerunt, & nunquam in ſuis vigilijs agendis de-
Bar 3. ſatigantur: vel, ardendo non conſumuntur. In hanc ſententiam, quidam alius diuinus ſcriptor dixit, Stellæ lumen dederunt, in-

cuſto-

cuſtodijs ſuis;& lætatæ ſunt:vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus, & luxerunt ei.

*Vide arcum,etc.*tranſit ad alias creatas res,quæ in aere non ſine admiratione & Dei maxima prouidentia cernuntur:ac primū agit de Iride,ad cuius viſionem,hoc eſt contemplationem, mortales excitat.Contemplare igitur arcus ſplendorem perelegantem: & hinc etiam occaſionem benedicendi & gratulandi eius auctori ſume: noli hærere in ſolo Iridis aſpectu & cognitione, ſed ad auctoris maieſtatem,ſapientiamque cōtemplandam perge. Cum vani ſint homines, qui ex creaturarum magnificentia in creatoris notitiam non perueniunt,vt alibi ait Sapiens.Hic hic eſt ille liber quem, omni alio libro remoto, legebat Antonius, vt eccleſiaſticæ referunt hiſtoriæ.Hæc eſt illa Iacobi ſcala per quam in cœlum aſcendimus,& in diuinam naturam, vt ait Paulus, penetramus. A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter,id eſt analogice,vt quidam exponit earum creator videtur. *Gyrauit cœlum*, laudat arcum a forma & ſitu,& a cauſſa efficiente. Circuitu ſuo cœlum ſuccingit, ſua glorioſa curuatura, manibus Altiſſimi eum extendentibus. Obſerua artificium repetitionis, cum ſæpe repetat, omnia hæc pulcherrima opera Dei eſſe, vt ad eum laudandum magis nos commoueat. Sap. 13. Sap. 13. Bos.

Imperio ſuo accellerauit niuē. Pergit ad alia meteorologica opera,ad niuem,ad coruſcationes, & ad nubes. Subito itaque Deus iuſſu ſuo niuem vrget & mittit,& coruſcationes,ſiue fulgura,iudicij ſui,id eſt pro ſuo iudicio & arbitrio concitat. Vel,ideo ait, fulgura & tonitrua eſſe iudicij Dei, quod ſint inſtrumenta, ſiue tormēta iuſtitiæ diuinæ,quibus facinoroſos terret,& exterminat Cum nihil fere ſit, quod homines ſibi male conſcios ita quatefaciat, atque tonitrua: quandoquidem homines alias fortiſſimi ad ſonum tonitrui expauescere ſolent, vt Cæſar ſolebat, & ferociſſimi,vt Caligula deorum contemptor, qui ad minora etiam tonitrua caput obuoluere, & ad maiora ſub lectum ſe condere conſueuit. Suet.

Propterea aperti ſunt theſauri. Harum rerum cauſſam efficientem aſſignat,potentiam nimirum Dei, qua omnia continentur, vel naturæ vires, cauſſæve naturales, quæ ſunt initia efficiendi hæc omnia.Hac poſita cauſſa, hoc eſt theſaurorum patefactione, nubes tanquam volucres per aerem circumuolant. Sua itaque vi Deus ponit nubes,id eſt producit,creat;eo modo quo dictum eſt, Ponere vites,ponere muros;quibus cōdenſatis,gignitur grando, Virg. Eclog. 1.

quæ inſtar lapidum confractorum deſcendit. Conſtipat itaque nubes ſua poteſtate, vt elidat lapides grandinis. Quo fit, vt ipſo inſpiciente, montes commoueantur, reſpicit enim terram & facit eam tremere, & Auſter, eo volente, ſpiret; cuius flatu aer tegitur nubibus, terra imbribus, montes terrore concutiuntur.

Pſal. 103.

Vox tonitrui. Reuertitur ad declarandam terræ commotionē, de qua mentionem fecerat; quæ voce, id eſt ſonitu & concuſſu tonitrui & Aquilonis vehementia, & congregatione ſpiritus, turbinis nimirum, fit. Eſt autem turbo multorum ventorum ex varijs mundi partibus perflantium impetus quidam.

Et ſicut auis, Niuis naturam explicaturus aptiſſimis ſimilibus vtitur, eamque a candoris magnitudine & a deſcenſu laudat. Ventorum igitur uis, aut Deus ipſe, niuem ſpargit, quæ in terram defluit inſtar auis, ad ſedendum deuolantis, vel inſtar *locuſtæ ſeſe* in agros demergentis. Quam mortalium oculi ſpectantes, ob eius pulchritudinem admirantur; & propter eius imbrem expaueſcit cor, hoc eſt ſtupet: aut certe ob multitudinem aquarum ex ea defluentium, quibus torrentes exundant, & agri vaſtantur, homines perterreſiunt.

Gelu ſicut ſalem. Idem Deus gelu, hoc eſt pruinā in modū ſalis in terram fundit: quæ vbi frigore concreuerit, ſimilis eſt tribulorum verticibus, ſiue palis verticem imponit. Dicitur pruina ſali ſimilis, ob candorem, aſperitatem, atque formam.

Frigidus ventus Aquilo. Agit de cryſtalli, hoc eſt glaciei, quam græco more per metaphoram, ſiue catachreſin cryſtallum vocat: cuius efficiens cauſſa eſt Boreas ventorum frigidiſſimus; & materia eſt aqua, quæ frigore congelatur. *Super omnem congregationem aquarum requieſcet.* Quoſdam glacei effectus per enumerationē attingit; qui ſunt hi, Omnem aquarum cōgregationem obducit: induit ſe aquis tanquam lorica, aut per figuram Hypallagen, aquę ſe glacie, tanquam lorica, induunt; ad eum modum, quo dicitur, Dare claſſibus auſtros, pro, claſſes auſtris: deuorat montes, hoc eſt depaſcit, exedit, deſertum, ſiluas nimirum & agros: & velut ignis viridem herbam ſua acrimonia exurit. Nam, vt inquit poeta, Penetrabile frigus adurit.

Virg.

Virg.

Medicina omnium. Quoniam res omnes exurere poſſe videtur, præſto adeſt eius contrarium in remedium & medicinam, nebula videlicet, ſiue per metonymiam Auſter ventus calidus & nebularum parens, qui cito adeſt: ac etiam ros, calore conſequenti repefactus & in aquam verſus, humilem reddit, diſſipatque cryſtallū;

græce

græce ἱλαρύνει:exhilarat,hoc eſt reſoluit. *Horat.*

In ſermone eius.Poſtquam dixit de rebus quæ fiunt in aere; nũc ingreditur mare,aitque Deum ſuo imperio placare mare, cum a ventis ab imis ſedibus agitatur;quod ob eius maximam altitudinem abyſſum vocat,ita vt ſine fundo eſſe videatur;hoc enim ſignificat abyſſus.Eſt aut maris profunditas altera tanta,quanta montium altitudo. Hanc abyſſum Deus plantauit, hoc eſt eam,ne deflueret,certis limitibus conſtrinxit,ne reuertatur amplius operire terram,vt regius Vates ait: Vel dicitur eam plantaſſe,ob emergẽtes inſulas,vt græcus codex habet,ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νήσους,in ea ſcilicet abyſſo plantauit inſulas : alius codex habet, ἐφύτευσεν αὐτὴν ἰησοῦς,vt noſter legit,& addidit,Dominus. Dominus itaque ſaluator , hoc eſt omnes diuinæ perſonæ, ſanctiſſima Trinitas , cuius eſt periclitantibus ſalutem tribuere hanc abyſſum plantauit. *Pſal.103.* *Abac.3.*

Qui nauigant mare.Maris laudes allaturus,cum quę in eo ſunt, non ſint omnibus nota, quæ dicit eorum teſtimonio confirmat, qui nauigarunt. Laudat autem a magnitudine, & vaſtitate,& ab ijs rebus,vnde varia pericula naſcuntur; & a multitudine piſciũ, monſtrorumque varietate. Multo enim plura ſunt marinorum animalium genera,quam terreſtrium:præſertim in Oceano, qui ad Septentrionem pertinet:vbi tanta eſt balenarum multitudo,vt ſæpe nautis magno ſint periculo;quas ipſi oleo ex caſtoreis confecto,cum eius odorem ſuſtinere nequeant,fugant.

Propter ipſum. eſt hic anallage,ſiue catachreſis, ſtat enim,propter,pro per,vt græce habetur: eſtque loci alias obſcuri,hæc ſententia , Per Deum omnia creantem rebus quæ prope infinitæ eſſe videntur,conſtitutus eſt finis:per Iter enim,ſicut alias, per Vias, ipſas creaturas,quæ ſunt veluti Dei veſtigia intelligit,ſiue rerum creationem. Vel per ipſum Deum omnia in ſuos certos fines tendunt,cum Deus & natura nil agant fruſtra,refugiantque infinitũ. Omnia itaque, Deo ita ſtatuente,ad certum finem tendunt, & aſſequuntur. *Et in ſermone*, hoc eſt in eius Verbo & ſapientia cõpoſita,id eſt ordine certo locata,& firmiter ſtabilita ſunt omnia. Nemo itaque exiſtimet tantam rerum varietatem fortuita quadã ratione eſſe conſtitutã,temereque & caſu moueri. Cum omnia facta ſint ab illa ſapientia,quæ attingit a fine vſque ad finem, & diſponit omnia ſuauiter. *Ariſt lib.2. & 3.Phyſ.* *Sap.8.*

Multa dicemus. Hæc eſt peroratio ſiue concluſio , in qua præſcindendo ſuam laudationem, rerum multitudine & præſtantia victus.

victus, omnia quæ reſtant, vnica ſententia concludit, qua quanta ſint Dei opera cogitandum relinquit, ex eo, quod Deus eſt in rebus omnibus, ac proinde omnia non poterunt non eſſe admirabilia. Eſto igitur dixerimus multa & longiſſimam orationẽ texuerimus: tamen ſatis, pro re ſubiecta, facere nõ poſſumus: cum nulla ſit tanta dicendi vis, tantaque copia, quæ omnia Dei opera cõplecti queat: Cæterum, omnium quæ diximus, aut dici poſſunt, hæc ſit ſumma, Ipſum Deũ eſſe omnia, vel in omnibus; vt aliquando ornatiſſime regius Vates docuit, & Virgilianus paſtor dixit, Iouis omnia plena; vel cum Lucano dicamus,

Pſal. 138. Ierem. 23. Lib. 9. Bel. ciu.

Iupiter eſt quodcunque vides, quocunque moueris.

Gloriantes ad quid &c. Cum in priori huius epilogi parte omnium diuinorum operum dignitatem vno verbo concluſerit; hic de laudandi modo agit: docetque hanc veritatem, Nos pro dignitate Deum minime celebrare poſſe; ob hanc rationem, Is non poteſt dignis laudibus celebrari, cuius non modo naturam, ſed nec operum præſtantiam exponere poſſumus: atque vi ita ſe habet Deus ad quem prædicandum eius opera enarramus: maior igitur eſt omni laude. *Gloriantes*, hoc eſt glorificantes, ad quid valebimus laudando Deum? vel laudemus quantum velimus, quo tandẽ progrediemur? certe nullum finem noſtra inueniet oratio. *Ipſe enim*, Ætiologia, ipſe eſt maior omnibus ſuis opificijs. Hanc eandẽ diſſertiſſimis verbis, vir eloquentiſſimus expoſuit Iobus, Forſitam veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelſior, &c. *Terribilis*, idem demonſtrat per deſcriptionem naturæ diuinæ.

Iob 11.

Glorificantes. Eiuſdem ſententiæ repetitio, ad confirmandam eam veritatem, quam docuerat. Laudate, o mortales, quantumcũque poteſtis, & *ſuperualebit*, minime aſſequi poteritis, & ſemper aliquid ſupererit. Quare, vt Deus nulla meliori ratione cognoſci poteſt, quam ſi bene inteligatur eum eſſe incomprehenſibilem; ita nullo meliori modo laudari poterit, quã ſi dicamus omni laude eſſe multo maiorem. Quare potius eius magnificentia eſt admiratione colenda, quam laudibus exornanda. *Benedicentes, &c.* alia eiuſdem ſententiæ aſſeuerationis & exaggerationis gratia facta repetitio. Laudate quantum poteſtis, nec dubitetis ad finem vos eſſe peruenturos: ratio, quia ſuper omni laude eſt maior. *Exaltantes eum.* Ne ob diuinarum laudum magnitudinem nos a Deo laudãdo deterrere videatur, ad eum laudandum hortatur: quaſi dicat, quanto eſt magis laude dignus, & quo eius laudes ſunt maiores,

Greg. Naz.

res, eo magis *replemini uirtute*, id eſt vires ſumite, in eo extollendo neruos omnes contendite, nec laſſeſcatis. Nec propterea moleſte ferre debebitis, ſi veſtræ laudes non erunt meritis pares, cum tanta maieſtas comprendi nequeat. *Qui eum uidit.* Adhibita interrogatione aſſeuerationis & amplificationis gratia, rationem reddit, quare diuinas laudes enarrare poſſit nemo; quia nemo eũ vidit, aut videre poteſt Quis enim eum vidit, vt poſſit enarrare? & quis eum extollet, aut explanabit, vt eſt ab omni æternitate? Quam ſententiam etiam Dauid aliquando his verbis expoſuit, Quis ergo loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quaſi dicat, nemo pro dignitate eum laudibus celebrabit. *Pſal. 105.*

Multa ſunt maiora ijs. His verbis plane confirmatur rationis allatæ ſumptio: multa nos latent maiora ijs quæ cognoſcimus, quare plene laudari non poterit. Siquidem ex eius operibus pauca quædam nouimus. Cum verum ſit illud cuiuſdam ſapientis dictũ, Maiorem partem eorum quæ ſcimus, eſſe minimam eorum quæ ignoramus: vt noſtra doctrina comparata ad ea quæ ignoramus, ſit veluti punctum cum cœlo collatum. Quamuis ergo, vt tota cõfirmatione demõſtratum eſt, omnia Deum prædicent, & enarrẽt, ita vt Iobus aliquando nos ad creaturas, tanquam ad optimos magiſtros, ad Dei cognitionem comparãdam remittat: tamen imperfecte, non plene Deus a nobis cognoſcitur. Propterea apud eũdẽ legimus, Omnes homines vident eum: vnuſquiſque intuetur procul. Ideo inquit, procul, quia non cognoſcitur vt eſt in ſe, ſed vt in rebus apparet creatis. *Auic.* *Iob 12.*

Omnia autem. orationem concludit epiphonemate gnomico, dum ait, hoc ex ijs quæ dicta ſunt pro certiſſimo eſſe habendum; Deum eſſe auctorem omnium: & pijs dare intelligentiam, ſapientiam nimirum, quam diuinæ literæ timorem Domini vocant; qui peccatum expellit, quod eſt ignorantiæ & tenebrarum cauſſa. Neque enim ſapientia habitat in corpore ſubdito peccatis. *Eccl. 1.* *Sap. 1.*

Atque ex hac diuina concione colligere licet, quorſum a viro Chriſtiano, & præſertim a Cõcionatore omnis phyſiologiæ cognitio referenda ſit, ad Deum videlicet laudandum.

Poſſem hoc loco diligenter adnotare ſingulos locos topicos, qui ad laudandum & amplificandum a diuino Concionatore ſumpti fuere, ac etiam omnes tropos, ſchemata oratoria, grammaticaſque figuras, ac demum eloquutiones hebraicas, & ſanctæ linguæ idiotiſmos, ſed nolo hac in re immorari; cum ex allata ex-

poſi-

poſitione,quæ diximus,aliqua parte cognoſcere liceat.Quod autem hoc loco omittimus, in ſequētis orationis expoſitione, quod ad figuras attinet,faciemus.

Analyſis et explicatio prima concionis Iſaiæ. *Cap. XVI.*

VT igitur adhuc planius eloquentiæ diuinæ obſeruandæ rationem ijs qui minus in arte dicendi ſunt verſati indicemus, aliam artificioſiſſimam in alio genere ab optimo Oratore conflatam exponemus orationem,primam nimirum Iſaiæ prophetæ concionem.

Cap.1. Huius concionis argumētum eſt tale: Cum populus Hebręus grauiter Deum offendiſſet, Iſaias a Deo monitus atq; inſtructus, ad eum redarguendum & ad pœnitentiam reuocandum, tāquam Concionator & legatus mittitur, qui hac prophetica concione populum accuſat,ad pœnitentiam hortatur,& ne deſperet,conſolatur.

Concionis huius genus, eſt miſtum,vel deliberatiuum:in quo præmiſſa accuſatione,de meliore vita ineunda deliberatur.

Forma,continet hortationem,conſolationemq;. Vnde duo fieri poſſent enthymemata,& duo ſtatus,ſiue propoſitiones:ſed tamen ad vnum reuocare licet.

Status igitur eſt coniecturalis,An Hebræis in peccato exiſtentibus reſipiſcendum,ac de ſalute ſperandum ſit.Cui quęſtioni reſpondetur affirmando,ob hanc ratiocinationem.

Eis qui grauiter peccarunt, & quos Deus ad ſe reuocat, quos terret,& conſolatur,pęnitentia amplectenda eſt:ita ſe habent Iudæi,vt ex partibus huius concionis conſtat:igitur.

Genus dicendi ſublime,ornatum,exaggeratum,tonans,& fulminans:pro partium tamen varietate diuerſum.

Huius concionis partes ſunt
- Inſcriptio,ſeu concionis circunſtantiæ, *Viſio.*
- Exordium, *Audite.*
- Propoſitio, *Filios.*
- Confirmatio,ſiue Contentio, *Va..*
- Concluſio, *Et reſtituam.*

Con-

Concionis circunſtantiæ ſunt quattuor:

- Quid? *Viſio*, id eſt prophetia; videre enim eſt docere, prædicare: ſicuti, Videns eſt propheta, Concionator, & λέγων. *Quã uidit*, id eſt accepit a Deo, & docuit.
- Quis? Iſaias Amaſiæ patruelis, Chriſti etiam ſecundum carnem agnatus, propheta eximius & Concionator illuſtris.
- Quando? Multos annos concionatus eſt, ſub Ozia, Ioatham & alijs.
- Vbi, & ad quos? ſuper Iudam, id eſt in Iudęa, & ad poſteritatẽ Iudę Iacobi filii.

Exordium ſumitur.

- Ab Apoſtrophe cum proſopopęia, qua cœlo & terræ perſonam tribuit, vt oratio ſit ponderoſior: & per metaphoram, princeps & ſubditos intelligit, *Audite*.
- Attentum reddit, per ætiologiam, ab auctoritate Dei loquentis,

Quoniam, etc. propoſitio querelæ, quæ continet.

- Ingrati animi accuſationem. *Filios enutriui*, id eſt tanquam filios, foui, defendi, docui, gloria ornaui, & præ alijs illuſtraui miraculis, lege, &c. Ipſi vero me ſpreuerunt.
- Amplificationem criminis per collationem cum brutis; quæ grata ſunt ſuis dominis, eiſque inſeruiunt. *Bos cognouit, etc. Iſrael*, id eſt Iacobi qui dictus eſt Iſrael poſteritas, *non cognouit me*, id eſt non coluit.

Confirmatio, quæ continet, accuſationem, & hortationem. Accuſatio autem

- Comminationem. *Væ.*
- Criminum enumerationem. *Dereliquerunt.*
- Malorum prædictionem. *Terra.*
- Sacrificiorum deteſtationem. *Quo mihi.*

Væ genti comminatio, in populum, quem varijs modis a perpetratis peccatis deſcribit: cui annectitur mira ingrati animi amplificatio per peccatorum congeriem, Quia defecerunt tanquam perfidi a Domino, rupto fœdere. Neque hoc ſatis fuit, ſed etiam irritauerunt per contumeliam, ſanctum Iſrael, id eſt eum qui Iſrae

lem

lem populum ſuum ſanctificat:Et tandem,refugiunt,& tergiuerſantur Dominum, eiuſque cultum renuunt: ac etiam id quod ex peccato ſequitur, nimirum Dei percuſſionem & caſtigationem, accuſationemve.*Super quo*,id eſt quorſum vos caſtigem? quare

Leo a Caſt.

vos vltra percutiam? ob quam cauſſam vos, qui quotidie magis magiſque præuaricatis percutiam & caſtigabo? vbi nota,verbum hebraicum actiue & paſſiue legi poſſe, quod etiam alijs in locis obſeruates. Adiungit peccatorum amplificationem per partium enumerationem,ſumpta allegoria a partibus,tum præcipuis,tum omnibus humani corporis. *Caput*, in quo ſunt omnes ſenſus, eſt *languidum*,id eſt ſtupidum.*Cor* vitæ & lætitiæ fons, dolore plenũ. Denique omnes partes & vires corruptæ,ſauciatæ,tumefactæ,ſanie refertæ ſunt:& quod hanc miſeram conditionem auget, nullo medicamine curantur.

Terra veſtra,comminationis amplificatio per diſtributionem; in qua poſito genere,partes enumerantur:atque res tota,vaſtitas nimirum regionis,per hypotypoſim ob oculos ponitur,& ſimilibus exornatur. Fructus itaque regionum, hoſtes, vobis ſpectantibus,vorabunt:& *Filia Sion*,id eſt vrbs Ieroſolymitana relinquetur vt tuguriolum & vmbraculum in horto.

Niſi, Concludit criminationem & querelam epiphonemate, in quo conſolatio aſpergitur de reliquijs ſeruandis. Tanta igitur futura eſt calamitas,vt,*Niſi Dominus exercituum*, id eſt Angelorum & omnium creaturarum, quæ ſunt veluti Dei ſatellites, *vos* conſeruaſſet,non ſecus ac *Sodoma*,id eſt Sodomitæ,omnino euerſi fuiſſetis.

*Audite verbum,&c.*altera accuſationis & querelæ pars,quę cõfutationem continet. Quoniam ergo ſuam cauſſam,ſacrificiorũ oblationem cultumq; opponẽdo, aliquo pacto tueri potuiſſent, ideo eorum ſacrificia tanquam ab impuris & nocentibus oblata, ſibi non placere demonſtrat. Falſo itaque opinabantur ſe Deo ſacrificijs placere poſſe,ſine peccatorum pœnitentia.

Refu-

Attentionis renouationem,cum licentia,dum eos principes Sodomorũ, hoc eſt eorum ſimiles,aut certe lõge peiores vocat.

Refutatio ergo cõtinet,

Expoſtulationẽ in hypocritas de ſacrificijs,quę ſacrificia nõ per ſe,ſed ob fictũ cultũ & falsã de ſuę iuſtitię per ſolas externas cęremonias pſuaſionẽ reijcit. Primũ vniuerſe ait,ſe ea nõ expetere,vt iã ſatur: *Cum*,id eſt cur,quare,quorsũ venitis? Deinde, enumerat per partes ſacrificiorum,holocauſti,adipis,ſanguinis,& cæremoniarum,& ne offerant admonet:& ad maiorem amplificationẽ repetitionem adnectit. *Laboraui ſuſtinens*,id eſt defatigatus ſum ſuſtinẽdo:laboraui ſuſtinere parcere,laſſatus ſum parcere, id eſt non dimittam parcere,non amplius parcam. *Leu a Cat.*

Et promiſſionẽ de ſacrificijs non approbandis,& votis non exaudiendis:quãdo ſacrificia offerẽt,aut preces facient: addita ratione,Quia *Manus*,id eſt operationes, machinationes *plenæ ſanguine*,id eſt, crudeles, pollutæ, iniuſtæ ſunt.

Lauamini mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum, etc.

Hortatio ad pœnitetiã, cuius hæc ſunt capita

Primũ,docet quid facere debeant,*lauare*, id eſt agere pœnitentiam,exercere ęquitatem,ius dicendo pupillo:et a quibus abſtinere, nimirum a malis cogitationibus & operibus.

Poſtea,adhibet certam promiſſionẽ de venia, dũ eos per conceſſionem ad diſceptandũ,vel ad ſe arguendũ prouocat,niſi eos ſua gratia purgauerit,ſi reſipiſcere velint: Eorumq; purgationẽ a peccatis quibuſdã ſimilib. exaggerat & illuſtrat. Nã, *Si fuerint peccata veſtra, vt coccinũ*,i.vt color purpureus, qui ſemel cõceptus elui non poteſt: tamen vt nix dealbabuntur,i.quãta quãta fuerit peccatorũ moles, tota euelletur. Quã ſentẽtiã alia comparatione expolit,& declarat. *Si fuerint rubra* tanq̃ viuus color vermiculi, adhuc vt lana albaſient.

Præterea,inuitat bonorũ tẽporaliũ promiſſione,cũ cõditione, *Si volueritis et aud eritis*,i.ſi volueritis obtẽperare,omnib.bonis perfruemini: cui alia addit' pars cõditionalis p antitheſim;alias bello peribitis, *Quod ſi,etc.*

Poſtremo, ſubijcitur epiphonema cum aſſeueratione ab auctoritate Dei loquentis ſumpta, *Quia os Domini.*

Vt autem magis ad pœnitentiam commoueat, rurſus ad querelam & peccatorum enumerationem reuertitur, & aditum ad conſolationem parat.

Primo, enumerat vitia vniuerſe cum virtutum antitheſi, cum admiratione, *Quomodo facta eſt meritrix*, id eſt ſimilis meretrici, quæ coniugij fœdere rupto a marito deficit; ira Ieruſalem quæ alias fuit fidelis, relicto domino ſuo ad idola deſciuit, & quæ plena erat *iudicij*, id eſt iuſtitiæ.

Secundo, amplificationis cauſſa per diſtributionem peccata recenſet: & primũ Doctorũ per duas allegorias. *Argentum tuũ*, ideſt doctrina tanquam argentum repurgata. *In ſcoriam*, i. in doctrinam corruptam. *Vinum*, alia allegoria idem ſignificat.

Quomodo facta, etc. Deinde Principium, quorum errata per congeriem numerat: qui ſunt, deſertores, furum ſocij, vbi atrox vocabulum mollit: diligunt munera, non defendunt pupillos, quorum nomine etiam alias miſeras perſonas intelligit.

Tertio adhibetur conſolatio cum doloris teſtificatione, ob vindictam per inimicos faciendam: confirmata diuina auctoritate, quæ attentionem excitat. Hoſtes itaque mei, nimirum Aſſyrij & Chaldæi vicem meam contra vos vlciſcentur. *Conuertam manum ad te*, id eſt puniam: & *excoquam*, id eſt purgabo doctrinam tuam, & *ſtannum* auferam, hoc eſt hypocriſim remouebo. Puniam itaque, non vt reijciam, ſed vt emendem, & ad meliorem frugem reuocem.

Sequitur concluſio, quæ apertam & planam conſolationem continet per melioris ſtatus innouationem: vbi efficacius a tanti boni ſpe ad pœnitentiam reuocat. *Et reſtituam iudices.*

Hęc igitur conſolatoria concluſio,

Primo continet promiſſionem de reſtitutione iuſtitiæ. Dabo itaque, ait Deus, magiſtratus pios eris ciuitas *iuſti*, id eſt iuſta, & ſeruans pacta: *in iudicio*, i. per æquitatem redimetur Sion, cum ſcilicet vitam emendabit: *in iuſtitia*, id ęſt per gratiam & remiſſionem peccatorum.

Secundo per antitheſim impiorũ euerſionẽ denunciat: *confundẽtur*: funditus itaq; delebuntur, qui veri Dei cultũ reliquerũt: qui pudefiẽt propter idola & hortos in quib. idola coluere. Quorũ euerſionẽ, triplici cõparatione amplificat, & Exornat. Erunt vt arbores ſine folijs, & horti ſine aqua, i. nihil habebũt, quo ſe in angore poſiti ſuſtentent. *Et fortitudo*, id eſt idolũ in quo ſperabant erit vt ſtuppa, quę facile vritur, & opus veſtrũ vt ſcintilla, quę euaneſcit: & vtrũq; ſuccẽdet ſine ſpe auxilij.

In hac

In hac artificioſiſſima concione, præter alia ornamenta,& artificia,hæc poſſunt notari ſchemata.

Viſio, antonomaſia, exoche,id eſt excellentia. *Vidit*,metonymia,id eſt docuit. *Iudam*,Synecdoche. *Audite cęli*,proſopopœia. *Filios enutriui*,quærela.*Inique agere,&c.*ſynonymia. *Cognouit*,collatio. *Non cognouit*,metalepſis,non coluit.*Væ*,comminatio.*Genti peccatrici*,congeries. *Dereliquerunt*, alia congeries. *Sanctum Iſrael*, metalepſis. *Abalienati*, metaphora. *Super quo*, amplificatio pertinaciæ.*Percutere*,metaphora,ſeu metalepſis.*Caput*,id eſt ſenſus,per ſynecdochen.*A planta*,metaphoræ,ſeu allegoriæ. Hypotypoſis hominis corrupti. *Non ſunt,&c.*gradatio.*Agros.* Synecdoche. *Et dereliquerunt*, hypotypoſis vaſtitatis. *Filia Sion*, periphraſis *Principes Sodom.* Parrheſia,metaphora. *Ad quid mihi*,expoſtulatio. *Satur*,diæreſis,diductio in partes. *Calēdas*,Repetitio eiuſdem ſententiæ.*Manus veſtræ*,metonymia.*Lauate*,Hortatio.*Lauate*, metaphora,ſynonymia,congeries, & pœnitētiæ deſcriptio. *Dealbab* metaphora.*Et ſi rubra*, comparatio. *Comedetis*, ſynecdochos.*Gladio deuorab.* metonymia. *Quia os*,Epiphonema.*Facta eſt*, metaphora . *Plena iudicij*, metonymia. *Commorab.* ſynonymia. *Nunc*,antitheſis.*Argentum*,Enumeratio,metaphora. *Conuertam*, metonymia. *Stannum*, metaphora. *Iuſtitia*,metonymia.*Contritio*, antitheſis. *Quoniam*, ætiologia. *Et erit fortit.*metalep. *Succendentur*,metaphora. Atque hæc pauca ornamenta ex multis adnotaſſe ſufficiat,plura alij obſeruabunt,ſicuti & etiam locos.

Analyſis et explicatio Pſalmi Sexti. *Cap. XVII.*

HVIVS pſalmi materia eſt hæc. Regius Vates Deum orat,vt ſe a morbo & a peccato liberet:& gratiam adeptus,ouans inimicis inſultat.

Genus eſt deliberatiuum,conatur enim ſuadere Deo vt ſibi ignoſcat:ſuaſio autem eſt deliberationis pars.

Forma,ſiue generis ſpecies eſt petitio , per deprecationem.

Status coniecturæ,ſiue qualitatis, qui hac ratiocinatione conficitur.

Ei qui grauiter laborat , & gratiam petit,ſeque gratum fore oſtendit,ignoſcendum aut gratia cōcedenda eſt:is ego Dauid: mihi igitur gratia concedenda.

Partes tres,Propſitio per petitionem: Confirmatio,a re,a cauſ

ſa,a remuneratione & a pœnitentia:Concluſio bipartita per apoſtrophen ad inimicos.

Domine ne. Exorditur a re,id eſt a propoſitione petionis:ſis mihi ægrotanti,ſeu peccatori propitius: non corripias, non percutias,& ad nihilum me redigas,vt merui:non deprecor prorſus pęnam,ſed vt eam mollias exoro,non iuſtitia,ſed æquitate ſeruata. Propoſitio repetita vim magnam habet.

Miſerere mei. Confirmatio per emphaſim propoſita,& ab optimo loco petita,cum proprium Dei ſit miſereri: *Quoniam infirmus:* Prima ratio ſumpta a re ipſa,quia infirmus,hoc eſt imbecillus,fractus,& exciſus morbo,reſtitue priſtinas vires. *Sana me.* Repetitio petitionis & rationis,quæ animi deſiderijque magnitudinem oſtendit. *Quoniam oſſa mea*; totum meum ſcilicet corpus labefactatum,& obſtupefactum eſt doloris morbique magnitudine. *Et anima.* amplificatio per diſtributionem,non ſolum corpore,ſed etiā animo conſternatus ſum valde,metu irę tuæ,vel ſenſus præſentium calamitatum. *Sed tu Domine,uſque quo?* Apoſtrophe pathetica cum Apoſiopeſi, quæ vim maximam habent,anxio & expectanti auxilium familiaris.Quouſque igitur me ſic turbatum miſerumque relinques?

Conuertere, immoratur in repetitione propoſitionis, & ſecundam affert rationem petitam a Dei perſona, & ab eius miſericordia,& a cauſſa impulſiua.Hoſtes mei exiſtimant te prorſus a me receſſiſſe,tu vero per benignitatem tuam reconciliare, eſto mihi pacatus: latet etiam hic pathetica Apoſiopeſis: ab ira tua redi ad tuam miſericordiam,vel ad me.

Quoniam non. Tertia ratio ſumpta a cauſſa finali, ſiue ab vtili, & a grati animi ſignificatione:priſtinam mihi valetudinem reſtitue,quia, *In morte,* id eſt in ſtatu mortis, non eſt qui tui memoriā habeat. *In inferno,* repetitio eiuſdem rationis cum maiori ſignificatione,hoc eſt,in ſepulchro quis laudes tuas canet?quis laudibus te efferet? iuxta illud quod alias dixit, Non mortui,Domine,laudabunt te,ſed nos qui viuimus. Opto itaque hunc in finem abs te ſeruari,laudes vt tuas celebrare valeam: cum mortua corpora id nequeant efficere:hanc gratiam mihi concede,vt viuus te laudare queam.

Laboraui. Expolitio elegantiſſima primæ rationis, in qua per hypotypoſim veræ pœnitentiæ ſui morbi doloriſque magnitudinem ſub oculos ponit:vel certe alia affertur ratio ſumpta a pœnitentia ſuorum peccatorum,quorum cauſſam in morbum incidit.

Fati-

Fatigatus itaque ſum gemēdo, ſuſpirando, prę gemitibus fatiſco. *Lauabo*, id eſt, tantam lacrymarum vim effundo, vt lectus meus lacrymis lauari poſſit: ita lacrymis oppleo, vt in lacrymis natare faciam; quod per hyperbolem ad doloris magnitudinem exprimendam dicitur., Idque, non die, ſed nocte, cum quies capi ſolet, & non per vnam, ſed per ſingulas noctes. *Stratum*, grabbatum, culcitram, veſtes ſtragulas madefacio: Tautologia eiuſdem ſententię amplificationis gratia vſurpata. *Turbatus:* cum animi afflictā conditionem per lacrymarum copiam expoſuiſſet, hic corporis habitum deſcribit. Oculus itaque meus ob frequentes lacrymas caligauit, hebes euaſit, & quaſi a tineis corroſus eſt. *A furore*, ideſt ob tuam indignationem, ſeu ob morbum, tua ira immiſſum; vel ob indignationem quam contra me concipio; vel ob furoré inimicorum meorum: his enim modis ſuppleri poteſt Eclypſis, quæ hoc loco eſt. Nomine oculi, per ſynecdochen intelligi poteſt tota facies, quæ præ dolore corroſa & deformata eſt, nitorem ſuū amiſit, tabida facta eſt: ac proinde *Inueteraui*, id eſt quaſi ſenio defeci meis inimicis ſpectantibus, vel ob eorum inſultus; canos contraxi obſeruantibus & videntibus inimicis; ita vt facies mea ſit ſimilis panno a tineis corroſo, ſiue faciei cadaueris.

Diſcedite a me. Concluſio per præciſionem orationis; vbi, ſpe de ſalute concepta, per apoſtrophen ad ſuos inimicos ſeipſum cōſolatur, inimicoſque ſui doloris calamitatiſque inſpectores a ſe abijcit. Cum itaq; e tanto dolorum cumulo emerſiſſet, diuina aduentāte gratia, monet inimicos ab ſe diſcedere, Quod Deus eius orationem exaudiuerit, quod poſtulata impetrauerit. Hāc ſuę cōſolationis cauſſam, rationemq; ob quam inimicos a ſe repellat, ter repetit, maioris confirmationis, & certitudinis gratia.

Vbi nota, hanc concludendæ petitionis rationem, apud prophanos etiam ſcriptores animaduerteres: quę ſane artificioſiſſima eſt. Hic enim eſt finis ſacri carminis acceptæ gratiæ ſpes certa, & fructus, victoriaque. *Ouid. 2. de Pon. ele. 1. Horat. in car. ſecul.*

Erubeſcant, altera concluſionis pars, quæ imprecationem in aduerſarios, ſiue imperium continet; quam ſynonimia & congerie amplificat: quaſi diceret, adhuc, o hoſtes, viuam, in vos regnabo; vos igitur pudefiat: terreammini vehementer cuncti: abite, verecundia ſuffecti: recedite, inquam, repente, ſubitò, nihil eſt neceſſe vt amplius me afflictum ſpectetis, certiſſime viuam, incolumiſq; ero.

Analyſis & explicatio pſalmi decimitertij. *Cap.* XVIII.

ARGVMENTVM, ſiue materia: queritur de Dei auxilio æquo diutius dilato: eſt itaque pathetica querela.

Genus cauſſæ, eſt iudiciale.

Forma, querela & conquæſtio.

Status qualitatis, an æquum ſit, vt diutius auxilio priuetur: qui ex hac ratiocinatione conficitur.

Is, qui auxilium vrgentibus hoſtibus, longo tẽpore expectauit a Deo in eius miſericordia nixus, dignus eſt qui iuuetur: is Dauid, iuuandus igitur.

Partes quattuor, exordium, propoſitio, confirmatio, & peroratio.

Vſque quo: Exordium ex abrupto, cum Apoſtrophe, amplificatum per congeriem, interrogationem, repetitionemque, quæ vehementem animi æſtum deſignant. Quouſque tandem, o Domine, obliuiſceris mei, tuum auxilium differendo, rem meam meq; negligẽdo? num in finem? hoc eſt in perpetuum. Vſque quo, quaſi indignatus auertis vultum tuum a me? fauorem nimirum & miſericordiam tuam: Quouſque dedignaberis aſpicere me? *Quamdiu ponam*, explicatius querelam ſuam enuntiat: quamdiu ponam conſilia, conſilia capiam, quibus poſſim inimicos euadere? Quid autem ſint iſta conſilia, per Epexegeſin exponit, dum ea vocat dolorem, anxias nimirum & perpetuas cogitationes, ob graues perſequutiones, & dilatum auxiliũ *Vſque quo*, Adhuc explicatius querelam manifeſtat: queritur de inimicorum inſultatione, qui aduerſum me exultant; vel ſupra me ſeſe extollunt.

Reſpice, petitionis propoſitio per Antitheſin, & Synonymiam. Reſpice, refertur ad Auertis faciem: Exaudi, ad Obliuiſceris. Annue mihi, vel vtinam mihi annuas, & faueas tandem: ſatis diſtuliſti, o Domine Deus meus: quæ verba vim habent ad propoſitionẽ confirmandam.

Illumina, Repetitio propoſitionis & confirmatio, vbi primam rationem affert a cauſſa finali. Illumina oculos meos, hoc eſt, tribulationum nebulas diſpelle: adfulgeat mihi auxilium tuum: red de ſpiritum meum vigilantem & circumſpectum. *Nequando*: pergit in metaphora; ne immoriar tribulationibus, ne peream, ne deſperem: habe rationem calamitatis meæ, ne imprudens in manus hoſtis incidam; ne illum ſomnum dormiam, qui mors eſt,

ne

ne interficiar. *Nequando*: alia ratio a cauſſa finali; ne meo caſu, meaque clade hoſtis impietas confirmetur:quam impietatem per Mimeſin,hoc eſt imitationem exponit,ſubijciendo Sarcaſmum, quo victor victo inſultare ſolet, dicendo, *Præualui aduerſus eum*, id eſt,ſuperaui,vici,& ſupplantaui eum. *Qui tribulant*. Repetitio eiuſdem rationis per alia verba; quam,vt firmiſſimam,iterũ proponit.Si itaque motus fuero,ſi deijciar,ſi de meo ſtatu,deque mea conſtantia dimotus fuero,ſi cecidero,ſi qui me impetunt,me declinantem viderint,gloria ſeſe efferent,& non modo me, ſed etiam te quodammodo deſpicient:nam,*Ego in te ſp raui*: quibus verbis alia continetur ratio:ego in tua miſericordia ſpem habeo:igitur mihi opem ferre debes.

Exultabit.Concluſio conſolatoria, cum gratiarum actione,de ſuperata tentatione. Cum ergo ſperem fore vt mihi præſto ſis,lætabor in ſalutari tuo,id eſt ob ſalutem a te mihi conceſſam, ob tuam opem quæ mihi ſaluti erit.*Cantabo Domino*: accepti beneficij non ero ingratus,vbi alia latet ratio;diuinam benignitatem celebrabo.*Qui bona*.Ætiologia,reddit enim rationem cur cantare debeat:laudes dicam Deo,quia magnifice mecum egit. *Et pſallam*;amplificatio per diſtributionem,non ſolum ore,ſed etiã muſicis inſtrumentis *nomen Domini altiſsimi*,id eſt Deum ipſum laudabo,quem honoris cauſſa pluribus verbis circumſcribit.

Analyſis & expoſitio pſalmi vigeſimiquarti. *Cap.* XIX.

MATERIA, ſiue argumentum:In afflictionibus periculoque conſtitutus Dauid, orat ne a veritate diſcedat, & vt a peccatis periculiſque liberetur. Continet itaque hic hymnus ſingularem precandi formam contra tentationes & peccata.

Genus eſt deliberatiuum, quia Deo ſuadere conatur, vt ſibi opem ferat.

Forma,precatio,ſiue petitio,in hunc finem comparata, vt diuinum auxilium obtineat.

Status,coniecturæ,ſeu qualitatis, an Dauidi auxilium petenti præſtandum ſit:qui hac ratiocinatione continetur.

Ei qui multis honeſtiſque de cauſis cum fiducia conuenienter que a Deo auxilium petit,Deus præſto eſſe debet:at id efficit Dauid, & in eius perſona omnes Chriſtiani: igitur non ſunt a Deo deſtituendi;vt diuino lumine illuſtrati, peccato & tentationibus

reſiſtant,& nunquam a veritate diſcedant.

Continet itaque vt diximus, hic pſalmus precandi formulam contra peccati tentationes,& pro delictorum venia.

Genus dicendi eſt temperatum,modice exornatum,ſummiſſũ qualis debet eſſe oratio eius qui auxilium veniamve precatur. Eſt autem hic pſalmus alphabeticus, cum ſinguli verſus a ſingulis alphabeti literis incipiant.

Partes habet tres,propoſitionem,confirmationem, & concluſionem,ſiue perorationem cum voto.

Ad te Domine. Exorditur ab habitu affectuque orantis: Eſt enim oratio eleuatio mentis in Deum;Domine animum meum ad te attollo:te attente precor. Quam ſententiam conſequenti verſiculo Gnome exponit & confirmat.

Deus meus,ideo ad te confugio,in te fiduciam habeo,*Non confundar*,id eſt cum a te totus pẽdeam, fac ne pudore ſuffundar,ne repulſam patiar,ne ſpe excidam.

Neque irrideant.Fac ne erubeſcam,neque inimici mei de me lætentur, de meis calamitatibus exultent, ne me deriſui habeant.

Etenim uniuerſi,Rationem reddit de ſua ſpe in Deo collocata, quia vniuerſi qui Deum ſuſtinent, id eſt,qui in Deo ſperant; hoc enim ſæpe in diuinis literis Suſtinere,ſignificat:vel,etiam cuncti qui te ferunt ſpe ſua non fallentur, non pudefient, ita vt non ſolum pro ſe,ſed etiam pro alijs precetur.

Confundantur omnes.Per Antitheſim ſuam precationem amplificat:ſed illi ſuis uotis fallẽtur,qui iniuſte viuunt, qui tuam legẽ, *Superuacue*,id eſt temere ſine cauſſa,non per errorem, vel infirmitatem præuaricantur.

Vias tuas.Proponendo ſuam aggreditur petitionem, quã non nullis argumentis confirmat. Petit itaque a Deo, vt ipſum erudiat, vt vias, hoc eſt præcepta commonſtret, vt ſalutis & rationis iter preſcribat;vt ſemitas edoceat,id eſt, in illis eum aſſuefaciat.

Dirige me. Repetita propoſitione, duas ſubijcit rationes ob quas Deus ei opem ferre debet; vnam ſumptam a Dei perſona ſiue officio;alteram a ſua perſona.Dirige ergo me *In veritate tua* id eſt in verbo tuo vero,in vera doctrina,ne per falſa & erronea diuager,& peregriner.Hoc enim ſignificat in præſentia,*Veritas*, vt alibi, promiſſionum præſtationem & conſtantiam.Ideo autem id debes efficere, quia Saluator meus es,quia neminem alium habeo a quo debeam in recta via conſeruari & deduci: quia tui vnius opem in omnibus meis rebus ſentio:*Et te ſuſtinui*,id eſt quia

patien-

patienti animo, & conſtanter omni tempore auxilium tuum expecto, & a nullo alio pendeo.

Reminiſcere. Per Antropopathiam aliam affert rationem ſumptam a cauſſa impellente, hoc eſt a Dei miſericordia, vel a priſca & perpetua Dei beneficentia. Recordare igitur, o Domine, te ſemper fuiſſe miſericordem atque beneficum, ne obliuiſcaris miſericordiarum tuarum, quę ſunt a ſæculo, a condito nimirū orbe, a quibus nunquam deſiſti, quia nūquam nō fuiſti miſericors: tibi eſt enim proprium miſereri & parcere.

Delicta iuuentutis. Alia petitionis pars, ſeu magis explicata petitio de peccatorum remiſſione, quibus peccatis a veritatis via abducimur. Petit ergo ſibi condonari peccata commiſſa in iuuētute, ſeu in pueritia, hoc eſt a primis annis quibus peccare incipimus, & ſæpe per ignorantiam, ac proinde ea ignorantias vocat: Vel certe, per *ignorantias* grauiorā ſcelera intelligit, per ignorantiam affectatam & malitiam commiſſa: vt per *delicta iuuentutis* leuiores intelligat culpas, per ignorantias maiores offenſiones, & præuaricationes ipſas.

Secundum miſericordiam. Sed quoniam non omnino obliuiſci potes, ſi eorum recordari vis, non pro tua iuſtitia, ſed prò miſericordia memento, non peccatorum, ſed mei deprecantis; idque propter *bonitatem*, hoc eſt, benignitatē & clementiā tuam ad quā appello: vbi optima attingitur ad perſuadendum ratio.

Dulcis & rectus. Conuerſa oratione, aliam ſubijcit rationem a Dei natura ſumptam, & a quæſtione finita ad infinitam tranſit, vt Dei benignitate magis commendata, magis ſe ad orandum excitet. Deus eſt dulcis, χρηστός, benignus, vtilis, beneficus, ac proinde non dedignabitur, vel ipſos peccatores docere, quo pacto ipſos hic viuere oporteat: nam, *legem ponere*, per periphraſin, idem eſt quod docere, & inſtruere. *Diriget manſuetos*, Eandem repetit ſententiam ad maiorem cōfirmationem & certitudinem: diriget māſuetos, mites nimirum & pacatos homines: *In iudicio*, id eſt in via iudicij, virtutis, & ſalutis; vel ad iudicandum, & ad æquitatem ſeruandam: manſuetos, inquam, conducefaciet, in ſua doctrina, ſuiſque præceptis.

Vniuerſæ viæ. Mira amplificatio per gnomicam vniuerſalemq; enunciationem. Vniuerſæ Dei actiones ſunt miſericordia & veritas benignitatis nimirum & veritatis plenæ: miſericordia gratis beneficium promittit, veritas promiſſum perſoluit. Benignus itaque, verax, & fidelis eſt *Requirentibus*, hoc eſt ſeruantibus teſta-

mentum,

mentum,legem nimirum fędere & pacto ſancitam,quæ nobis di uinam voluntatem teſtat ur.

Proter nomen. Poſt excurſionem in laudes diuinas reuertitur ad cauſſam ſuam, & quaſi per modum concluſionis repetit petitionem, addita noua ratione a Dei perſona ſumpta. Propter nomen tuum, id eſt propter te ipſum, non propter me,cuius merita minuta & exigua ſunt,eris mihi propitius, peccatum meum delebis,quamuis multum maximumque ſit: ſed maior eſt nominis & poteſtatis tuæ vis,quam peccatum meum.Vnde adiectiuum,*Multum*,referri poteſt ad nomen Dei.Cum ergo maxima ſit tuæ potentiæ magnitudo,peccato meo poteris ignoſcere.

Quis eſt homo.Per interrogationem,ſiue admirationem digreditur in locum communem, quo demonſtrat quanta ſit timoris Dei,ac pietatis vis,nonnullos eius recenſendo effectus, qui ſunt, Habere Deum doctorem,animam bonis cumulatam, liberos benedictos, Deum protectorem, & verbi Dei manifeſtationem. *Quis eſt homo qui timet Dominum*? Reſponderi tacite poteſt, rari ſunt:at diceret diuinus Vates, is qui eſt, hos huberrimos fructus ex ſua iuſtitia capiet.Poſſet etiam particula *Quis*,exponi,pro quã tus,vt ſententia per admirationem pronuntietur,Quantus eſt homo ille,qui Deum timet?quam felix? quam beatus? o quanta eſt eſt felicitas hominis timentis Deum?id quod ex ſequentibus effectibus intelligi licet. *Legem ſtatuet*.primus fructus,docet eũ Deus viam quam elegit,qua pergere cupit.*Anima eius*.ſecundus, non ſolum animi bonis cumulabitur, ſed etiam in bonis æternis permanebit, hoc eſt ad mortem vſque ijs rebus quæ ad vitam tuendam ſunt neceſſariæ abundabit. *Firmamentum*. tertius,habebit Deum protectorem propugnatorem,& quaſi fulcrum. Alij vertunt, *Secretum Domini timentibus eum*: ſolet enim Deus ſua ſecreta ijs reuelare,qui eũ timent.*Et teſtamentum*,vltimus fructus,non ſolum Deus eſt protector,ſed etiam teſtamentum ſiue pactum,vt manifeſtetur illis,ad eos docendos.Vel certe,hæc verba exponũt antecedentia,vt ſit ſenſus,Deus eſt eius protector;vnde fit,vt notum faciat ejs teſtamentum ſuum. At ſecundum aliam verſionẽ, idem explicaretur effectus. Cęterum, ſecretum Dei, pro præſentia & auxilio Dei cõmode exponitur: vt ſit ſenſus,Deus eſt ſecretum,id eſt protectio.

Oculi mei. Poſt loci communis tractationem ad cauſſam ſuam reuertitur,repetitque ſuæ orationis initium, vt alias ſubijciat rationes. Vel certe,ex cõmuni loco hanc infert doctrinã, quia Dei

timor

timor tales affert fructus, propterea ego aſſidue perpetuoque eum precor, oculoſque ad eum conuerto: hinc enim fiet, vt ab inſtantibus hoſtium inſidijs liberer, quas mihi pararunt, non ſecus ac auceps, ſiue venator laqueos feris parare conſueuit. Vrget itaque cauſſam a ſua fiducia & liberalitate Dei, quæ arctiſſimo vinculo colligata ſunt.

Reſpice in me. Petitionis repetitio firmata alia ratione ſumpta a circunſtantijs, ſeu ab adiūctis ſuæ perſonæ. Ego ſum vnicus ſolus, ab omnibus derelictus: pauper præterea, ſiue afflictus, & omni ope deſtitutus: miſereat igitur te mei. *Tribulationes*, afflictam ſuam conditionem amplificat, ſuaſque anguſtias dilatat, vt facilius miſericordiā extorqueat. Cordis mei anguſtiæ ſingulas cordis partes occuparunt: ac proinde, de *Neceſsitatibus*, id eſt, de anguſtijs, de locis periculoſis & moleſtis eripe me. *Vide.* Per emphaſim dicitur, oculis tuis ſpecta, an is ſim, qualem me tibi deſcribo, ærumnoſum: aſpice ergo *Humilitatem*, id eſt miſeriam, infirmum deiectumq; ſtatum: & tolle omnia peccata mea, quæ me in has miſerias cõiecerunt. *Reſpice.* Adhuc ſuam miſeriam amplificat ab inimicorum multitudine: Reſpice hoſtium me circundantium copiam; reſpice eorum in me odium, non iuſtum, ſed iniquum citra omnem meam culpam conceptum. Quæ verba pathos continent ab infeſtiſſimo hoſtium perdendi ſtudio.

Cuſtodi animam. Peroratio, per ſui exordij repetitionem, qua cuſtodiri & liberari petit, ne ſua ſpe fruſtretur, cum in Deo ſperauerit. *Innocentes.* Ex eo quo te ſuſtinui, & tuū auxiliū exſpectaui, innoxij & recti homines facti ſunt mihi ſocij: vel dicas, per Metonymiam poni concretum pro abſtracto, innocentia & rectitudo cuſtodient, vel deprecanter, cuſtodiant me, adhæreant mihi, hoc eſt, me muniant. *Libera Deus*, Epiphonema cum uoto pro ſalute eccleſiæ varijs hoſtium inſultibus obnoxiæ. Opto igitur, o Domine, vt non ſolum me, ſed etiam *Iſraelem*, id eſt vniuerſum piorum cętū ex omnibus anguſtijs eruas. Ex quo loco diſcimus, non modo pro noſtris, ſed etiam pro communibus calamitatibus orandum eſſe; quod Dauid ex quadam caritatis abundantia fecit. Vnde præter alphabeti literas, verſum a Pe litera inchoatum adiecit, monēdo pro vniuerſa eccleſia orandum eſſe, neque Pe, hoc eſt ori parcendum.

Analyſis,& expoſitio pſalmi trigeſimiquarti. *Cap.* X X.

ARGVMENTVM, Dauid aliquo ſingulari beneficio a Deo affectus,ſe & ſuo exẽplo alios hortatur ad laudandum colendumq; Deum,quod bonos a malis liberet,& malos perdat.

Genus cauſſę eſt deliberatiuum:cuius finis eſt perſuadere diuinum cultum.

Forma,hortatio, quæ admiſtam habet inſtitutionem, dum docet, quid Deum timere volenti ſit faciendum. Hortatio autem, partim inſtituta eſt ad Deum laudandum, partim ad eundem timendum.

Status,coniecturæ,ſiue qualitatis,An Deus celebrandus colẽduſque ſit a ſuis,vel a Dauide a graui perſequutione periculoue liberato:qui hac ratiocinatione continetur.

Is Deum celebrare colereque debet,quẽm Deus a graui periculo liberat,& priuata cura defendit:talis Dauid,& cæteri qui in eum ſperant,igitur.

Genus dicendi temperatum,modice exornatum. Illud tamen habet priuatum ornamẽtum hic pſalmus,quod ſit Alphabeticus apud Hebræos;vt etiam ipſo ſtylo lætitiam, ſtudiumq; oſtẽderet.

Partes habet tres præcipuas,Exordium,Confirmationẽ,& epiphonematicam concluſionem.

Benedicam. Exordium ſumptum a propoſitione bis repetita ſtudij ſignificãdi cauſſa:cui ſubiecta eſt adhortatio ad alios, quos ad Dei laudes celebrandas inuitat.*Benedicam*,id eſt laudibus extollam,& ornabo:*Omni tempore*,,proſpero & aduerſo,in vtraque fortuna,quocunque in ſtatu futurus ſim, ſemper laus in ore meo erit,nunquam laudare deſiſtam.*In Domino*.anima mea in Domino gloriabitur,laudabit ſe: quod ipſum Deum laudem; vel,quod liberatus ſim,a Deo fuit;ideo ego de Dei opere gloriabor: Vel, Dominum laudabit,vt ſit paſſiuum,pro actiuo.*Audiant manſueti*.In hunc finem Deo ob liberationem gratias agam,vt *Manſueti*, id eſt afflicti & conſternati,ſiue mites,quibus opponuntur ſuperbi,liberationem meam audientes gaudio afficiantur.

Magnificate.Adhortatio,quæ eſt altera pars exordij, qua hortatur pios ad laudandum Deum,& ad accedendum ad ipſum.Alloquitur itaque manſuetos,ad maiores laudes ſecum Deo pro ſua liberatione tribuendas. O mites,exaltemus,id eſt efferamus laudibus nomen eius,ipſum videlicet Deum,eius maieſtatem gloriam

re *In idipſum*: hoc eſt, ſimul omnes, eodem modo, vno conſenſu, vnanimiter.

Exquiſiui Dominum. Confirmatio propoſitionis ab honeſto & a ſuo exemplo ſumpta. Nam anxie & ſtudioſe quæſiui, & ab omni periculo me eripuit, ac proinde laudare debeo. *Accedite*. Vos idem facite, ad eum confugite, reſpicite ad illum, oculos intentos in eum habete, & *Illuminabimini*, id eſt, animo eritis hilariores, omnem veſtrum mœrorem diſpellet: vos ille vultus ſui luce colluſtrabit, & ex calamitatum tenebris eruet. *Facies veſtræ*, id eſt uos non confundemini, gratiam referetis, uel facies veſtræ illuſtrabuntur.

Iſte pauper. Iterum vrget eundem locum a ſuo exemplo. *Iſte pauper*. Emphatice dictum, afflictus iſte, ego ipſe, non alius, non de alio refero, de me dico, ego, ego diuinam ſum clementiam expertus: meo diſcite exemplo.

Immittet. Alia confirmatio ab effectis & a cura Dei in eos qui ad eum confugiunt. Immittet, ſupple auxilium, Angelum cuſtodem, Dei miniſtrum ad hominem iuuandum: qui caſtra figit, vt verbum hebraicum ſonat, circum eos, qui Deum timent, vt eos tueatur. Metaphora militari Dei in nos curam eleganter deſcribit.

Guſtate. Adhibita Apoſtrophe, quaſi per corporis geſtum vrget, vt diuini auxilij ac pietatis ſuauitatem guſtare & experiri velint. Vrget itaque a rei euidentia: quaſi diceret, ſi mihi fidem non habetis, experientia ipſi diſcite, ipſum inuocando, & ad ipſum accedendo, *Quoniam*, id eſt quod, *Suauis*, hoc eſt benignus & beneficus eſt Dominus. *Beatus vir*. Gnomica acclamatio: o quam felix eſt is qui in Deum ſperat.

Timete Dominum. Alia confirmationis pars, in qua hortatur ad Dei timorem: quam partem colligit ex dictis. Si Deus tanta cura ſuos tuetur, dignus eſt qui timeatur: Eius timor comparandus eſt. Prius rem proponit: deinde confirmat: poſtea, quia aliquis petere potuiſſet, in quo Dei timor collocatus ſit, id docet: poſtremo, vario modo Deum erga pios & impios ſe gerere demonſtrat. *Timete*, hæc eſt propoſitio, reuereamini Dominum, vos qui eius beneficio ſancti eſtis, vel qui ſancti eſſe cupitis. Quoniam nõ eſt inopia, id eſt penuria, nihil deeſt ijs qui eum timent: Ratio ab utili ſumpta. *Diuites eguerunt*. Confirmatio & amplificatio per antitheſin. Vbi noſtra verſio habet Diuites, hebraice eſt, Leones: quia diuites eonum more aliorum facultates rapiunt; qui tamen eſurierunt,

id eſt

deſt ad mendicitatem redacti ſunt. At qui Deum timent, *Non mi nuentur omni bono*, id eſt nullo carebunt bono. Et quia hęc res eſt admiratione digna, ideo ſubijcitur, Diapſalma.

Venite filij. Quoniam aliqui dicere potuiſſent, ſe neſcire in qua re Dei timor poſitus ſit: ideo Dauid, ſiue in eius perſona Deus, tanquam optimus & docendi cupidus magiſter, conuerſus ad diſcipulos, quos per aggratulationem filios vocat, eos ad audiendā lectionem de timore Dei inuitat. *Venite*, id eſt agire, imperatiuū, pro aduerbio hortantis: Filij, o iuuenes, & meæ diſciplinæ cupidi. *Timorem Domini*, id eſt per Metalepſim, doctrinā & modum quo Deum timere & colere debetis.

Quis eſt homo, Propoſitio interrogatione exornata, & aucta. Quis nam eſt ille, qui deſiderat vitam, ſubintellige longam. O tu qui diu viuere feliciter cupis & ijs rebus abundare vis, quæ vitam beatam ac felicem reddunt; hoc enim eſt, *Dies videre bonos*, frui bonis, feliciter viuere: hæc ſeruare memento, quibus recte viuendi ratio continetur. Primum, *Prohibe linguam tuam a malo*, Caue ne ore pecces: maledicentiam fuge. *Diuerte a malo, et fac bonum:* quibus duabus rebus generatim tota continetur honeſte uiuendi doctrina: hæc omnium legum ſumma, hic finis: ſis innocens & beneficus. *Inquire pacem*, operam dato vt cum omnibus pacifice viuas; quære omnem pacis occaſionem, & toto animi ſtudio eam perſequere, atq; conſerua. Sed his tribus præceptis vniuerſam legem comprehendi exiſtimandum eſt.

Oculi Domini. Alia cōfirmationis pars, in qua reuertitur ad demonſtrandam & prædicandam Dei curam erga bonos. *Oculi*, id eſt per Metonymiam, cura, prouidentia, fauor, & gratia, erga iuſtos intenti ſunt, vt illis proſpiciat: *Et aures*, ideſt attentio, & docilitas, ad eorum uoces excipiendas. *Vultus autem*. Amplificatio per Antitheſim. Vultus, metonymice, pro ira & indignatione: ira Domini per anthropopathiam intenta eſt in eos, qui male agunt, vt ex hominum animis eorum deleat memoriam. *Clamauerunt*. Reuertitur, ad perficiendam & dilatandam ſententiam ſuperioris verſiculi, quam ab euentu confirmat. Deus habet aures attentas, & ideo dum iuſti clamant, eos exaudit: ponitur hic præteritum pro præſenti. Implorant igitur ex animo pij homines Dei opem, & ipſe exaudiendo, eos ab omnibus calamitatibus liberat. *Iuxta*, prope, propinquus eſt afflictis, & ob peccati mœrorē tabeſcentib. ſpiritu contritos ſaluat. Quibus verbis Gnomica ſententia, tamquam docet exornat & amplificat.

Multa

Multę ſunt. Per Prolepſim tacitæ obiectioni reſpondet, vt magis cauſſam ſuam confirmet. Quomodo Deus adeſt iuſtis, & eos tuetur, cum paſſim eos multis calamitatibus opprimi videamus? Reſpondet per Conceſſionem, ita eſſe: ſed per Compenſationem docet ab omnibus diuina ope liberari, & ita liberari, vt eorum oſſa, hoc eſt vires & potentia nõn collidantur: vel etiam per oſſa omnia intelligit membra per Synecdochen cum oſſa ſint omnium membro baſis. Tanta itaque eſt Dei in eos cura, vt ne vnum quidem eorum conteratur os. Affliguntur quidem, *Et*, pro ſed, (eſt enim *Et* paſſim aduerſatiua, ſiue antithetica particula) non opprimuntur. Vbi eſt alluſio quædam ad diem reſurrectionis, quo tempore omnia membra integra & ſalua pijs reſtituentur. *Mors peccatorum* Amplificatio per collationem, ſiue antitheſin: affliguntur Iuſti, ſed non pereunt; at mors peccatorum peſſima, ærumnoſa, & laborum pleniſſima: vel, vt alij vertunt, At impium, malum perdet: impietas in eius caput recidet. *Et qui oderunt*, Comminatio in eos qui pios lædunt. Qui iuſtum proſequũtur, *Delinquent*, per Litoten dictum: id eſt deſolabuntur, euertentur, peribunt, vel offendent, & de ſua ſalute periclitabuntur.

Redimet Dominus. Epiphonematica concluſio, quæ aſſeuerationem de piorum perfecta liberatione & incolumitate continet. Liberabit itaque certiſſime Deus ſeruos ſuos, & nemo eorum qui in eum ſperat delinquet, ideſt peribit, vel a ſua ſpe aberrabit: non offendet, nullum animæ periculum ſuſtinebit.

Analyſis & explicatio pſalmi nonageſimiprimi. Cap. XXI.

HVIVS Pſalmi materia ſiue hypotheſis hæc eſt: docetur eum qui tota animi fiducia ſeſe Deo credit, nullo aduerſæ rei genere periturum, nihil ei timendũ eſſe. Vnde magna colligitur piorum conſolatio, ob indubitatam Dei in eos curam, præſentemq; in omnibus periculis tutelam.

Genus cauſſæ eſt didacticum, ſeu potius deliberatiuum, quo demonſtratur, atque ſtatuitur in periculis verſantes certos eſſe debere de diuina cura, ſi Deo ſe tuendos tradent.

Forma eſt ſuaſio, qua pij monentur, vt nihil mali timeant, modo in Deo ſperent.

Status coniecturæ, an pij, malis ingruentibus, timere debeant: cui

cui quæſtioni reſpondetur per negationem:Reſponſio hac nititur ratiocinatione.

Ei, quem Deus ab omni malorũ genere per ſe & angelos ſuos tuetur,& ei,cui Deus ſuum auxilium,ſuorumque inimicorum victoriam pollicetur,non eſt timendum, non deſperandum in periculis:talis pius,& is qui in Deo confidit:igitur.

Partes ſunt tres,Propoſitio,confirmatio,concluſio.

*Qui habitat in adiutorio,&c.*Hęc eſt propoſitio.Habitans ergo, ſeu ſedẽs,qui ſedet,in latibulo excelſi,hoc eſt,qui manet,qui quieſcit in Dei cura,qui Deum habet adiutorem, qui totus in auxilio Dei ſperat; Is ſub vmbra omnipotentis, ſeu in protectione eius qui omnia fecit,& poteſt,commorabitur,pernoctabit,& tanquã in hoſpitio quieſcet,& nullam noctis, hoc eſt calamitatum ſentiet iniuriam,diuina perfruetur cuſtodia.

Dicet Domino:altera propoſitionis pars,& Antapodoſis per Synonymiam amplificata & exornata Is igitur,qui ita ſperabit,qui dicto erit animo,tanta ſpe roboratus,dicere Domino poterit,Suſceptor meus,&c.Vnde colligitur integra propoſitio,Qui in Dei curam ſe tradit,merito dicere poteſt, *Sperabo in eum.*

Quoniam ipſe:Cõfirmatio, in qua prima ratio a diſtributione & enumeratione ſumpta:liberabit me ab occultis inſidiis,& a calũnijs,atq; maledicẽtia igitur. *Scapulis ſuis.* Mutata perſona per apoſtrophen ad pium hominem mirifice per varias metaphoras,& & ſynonymiam diuinam tutelam ac defenſionem declarat,& ingeminat. Quo fiet,vt nihil occultum occurrat, quod timere debeat, ob eius certam & indubitatam promiſſionem. Liberabit etiam a manifeſto,& repentino periculo, tanquã a ſagitta petente & feriente;& a quouis malo & pernicie clanculum adueniente, & ab inopinata ruina,atque a dæmonio meridiano, hoc eſt a dæmonio in meridie & palam tentante,& graſſante:ab omni itaque periculo de nocte ac die tutus eris.

Cadent a latere. Confirmatio per contentionem inter pios & impios a conſequentibus ſumpta. Impiorum millia cadent,ideſt peribunt,iuxta te,in tua vicinia & cõſpectu, virum pium nullum pertinget malum.

Veruntamen,Confirmatio per aſſeuerationem,& emphaſim: certiſſime aliorum interitum cernes,& impiorum talionẽ; hoc eſt, etiam te nihil agente,aliorum interitum videbis: quia Deus ȯmnia inimicorum & hoſtium tuorum ſtudia irrita faciet.

Quoniam. Ætiologia per repetitionem alterius partis propoſitionis

tionis,cum malorum enumeratione ſine figura. Quoniam ergo tu dixiſti,Domino, *Tu es Domine ſpes mea*,hoc eſt,in te ſpero,o domine,ideo tutiſſimum refugium tuum.*Non accedet*, Entymematis cõſequens:quare nihil mali accidere poterit:& flagellum,plaga nimirum,vel calamitas domum tuam non attinget.

Quoniam Angelis. Alia ratio ab Angelorum cuſtodia: Angeli habent in mandatis ut cuſtodiant te, in omnibus uijs tuis, ideſt, quoquo perges,vel in cunctis operibus tuis,& vocatione tua: nihil igitur timere debes.

In manibus portabunt. Exornatio & amplificatio a ſuauiſſima allegoria ſumpta;non ſecus te Angeli cuſtodient,ac manibus ferent,atque accurata nutrix infantem puerum baiulare ac tueri ſolet;ne in quem lapidem offendas, hoc eſt ne in aliquod malum & periculum incidas.*Super aſpidem*,Amplificatio per incrementũ; non ſolum a te omnis aberit moleſtia; ſed etiam diuino roboratus præſidio,aſpidem & baſiliſcum, leonem & draconem, hoc eſt truculentiſſimos & ſæuiſſimos hoſtes tibi ſubiicies,pedibuſq; conculcabis & obteres, & præſertim Satanam, qui eſt aſpide inſidioſior,baſiliſco peſtilẽtior, leone immanior, & dracone crudelior;Satanam,inquam, qui ob ſuas in nos artes & fraudes, varijs notatur nominibus.

Quoniam in me ſperauit. Cõcluſio ſub Dei perſona, ad hominis pij vota reſpondentis, & certũ ac indubitatum auxilium promittentis,inducta. Cum itaque,ait Deus,firmo animo ſtatueris te in me ſperare velle,ego te liberabo,te protegam.*Quoniam cognouit*, Ratio factæ promiſſionis,quia me, ſeu auxilium meum approbauit, & hoc vnum refugium ſibi elegit.

Clamauit, alia concluſionis repetitio, per aliam promiſſionis cauſſam,cum alia beneficiorum enumeratione, atque congerie, qua exauditio,liberatio,glorificatio,vitæque æternæ donatio promittũtur. Itaque tantum ei auxilij præſtabo, vt ex omni periculo eum eripiam; & tandem ei præmium æternum gloriamq; tribuã. Vera igitur eſt ſententia,eum qui in Dei auxilium ſperat,nihil timere debere:cum non ſolum ab omni periculo ſit conſeruandus, ſed etiam æterna gloria donandus.

Et quoniã hic pſalmus rhetoricis figuris eſt mirifice ornatus, ideo ſpeciatim eius artificioſam eloquutionem aliqua parte obſeruare placet;vt ad idem in aliis faciendum,aliis occaſionem demus.Breuiter igitur, ſchemata nonnulla,figuras, tropoſque in hac ode contentos iudicabimus.Primum hic notari poſſunt, tres

diſtributiones, ſiue expolitiones, per enumerationem.

Prima, modi quo ſe habet vir pius ad Deũ, qua oſtenditur quid erga Deum præſtet. In Dei ope & auxilio acquieſcit: in eius protectione perſeuerat: Deum agnoſcit, vt alumnum, vt auxiliatorem, & refugium: in eum ſperat, & ab eius auxilio pendet. Dei nomen agnoſcit, & veneratur: & denique ad eundem clamat.

Secunda, malorum a quibus pius eripitur: A laqueo venantiũ, a verbo aſpero, a timore nocturno, a ſagitta volante in die, a negocio perambulante in tenebris, ab incurſu dæmonis meridiani: malum ad eum non accedit, ad eius tabernaculum flagellum nõ appropinquat, ad lapidem non offendit.

Tertia, expolitio & exaggeratio modi diuinæ tutelæ ſiue protectionis per ſynonymiam. Deus eſt viri pij adiutoriũ, protectio, ſuſceptor, refugium: Scapulis ſuis vmbram ei facit, ſub pennis tutatur, ſcuto ſiue parma circundat, Angelis ſuis præcipit vt ſedula ac tuta cuſtodia eum ſeruent, eundem liberat, protegit: a tribulatione eripit, & glorificat, diu in vita conſeruat, & tandem beatitudine donat.

Nunc quaſdam alias figuras & ſchemata adnotabo, iuxta literæ ordinem. *Qui habitat in,* &c. viri pij Periphraſis. *Habitat*, ſiue ſedet, Metalepſis, pro ſperare, & acquieſcere. *Dei cœli*, Dei Periphraſis. *Suſceptor meus*, &c. Congeries per ſynonymiam, articulus, ſimiliter definentia. *Suſceptor*, ſuauis & elegans metaphora. *A laqueo venantium*, illuſtris metaphora, ſeu allegoria, hoc eſt a doloſis hoſtium inſidijs: cui aliæ ſubijciuntur, ſcapulis obumbrare, ſub pennis ſperare, ſcuto circundare. *Obrumbrabit tibi*, enallage, perſonæ mutatio & apoſtrophe. *Sperabis*, metalepſis, ideſt in tuto eris. *Veritas*, Synecdoche, ſiue hypallage, qua abſtractum pro concreto, ponitur, pro verbo vero, certaque promiſſione. *Nocturno*, metonymia, pro occulto & inopinato. *A ſagitta volante in die*, tres metaphoræ aptiſſimæ, quibus varia pericula per periphraſim addita coaceruatione explicantur. *Cadent a latere*, & ad te, Antitheſi, ſiue collatio. *Mille et decem millia*, ſynecdoche, numerus certus pro incerto. Eſt etiam hic meriſmus, diſtributio nimirum, a leua & a dextera, ideſt vndique. *Veruntamen*, emphaſim habet. *Oculis tuis*, pleonaſmus, & metonymia, oculus pro mente, vel ſi ſumatur proprie, verbũ, *Conſiderabis*, habebit catachreſim: latet etiam hic Noema. *Quoniam tu es*, ætiologia, id eſt cauſſæ redditio. *Tu es ſpes mea*, ſynecdoche, id eſt bonum, quod ſpero, vel motonymia, cauſſa ſpei meæ. *Altiſsimum*, catachreſis, pro tutiſſimũ. *Non acce-*

accedet,repetitio malorum ſine figurata locutione. *Tabernaculo tuo*, ſynecdoche, continens pro contento,pro ad te,& ad tuos., *In manibus portabunt*,metaphora,ſiue allegoria, quam duæ aliæ cõſequuntur,ambulare ſuper aſpidem,& conculare leonem Denique,ne omnia percurram & notem,eſt pulcherrima cõgeries qua amplificatur concluſio de Dei auxilio.

Nunc adnotabo nonnullas phraſes. Habitare in adiutorio altiſſimi,eſt in Deo confidere.In vmbra commorari,id eſt recreari, conſolationem capere.Scapulis obumbrare,eſt tueri, protegere. Sub pennis ſperare,ideſt in Dei auxilio tutum eſſe. Circundare ſcuto veritatis,eſt ex certa promiſſione defendere, loquutio a re militari ſumpta.Oculis conſiderare,id eſt intueri ſpectare.Altiſſimum refugium ponere,hoc eſt,in tuto verſari & eſſe velle.In manibus portare,eſt tueri,defendere,in columem ſeruare.Offendere ad lapidem,eſt in malũ incidere.Cognoſcere nomen Dei,eſt Deũ colere, uel in diuino auxilio ſpem collocare. Longitudine dierum replere,id eſt longa vita ſatiare, vitam propagare. Oſtendere ſalutare,id eſt ſalutem veram,ſeu beatitudinem exhibere.

Si itaque Deus volet nos liberare,nos debemus in eo ſperare:ſi protegere nos cognoſcere:ſi nos exaudire,nos clamare: ſi eripere nos glorioſos reddere vitam,prorogare,& ſalutem exhibere,nihil timere, & in omni calamitate conſtituti bono animo eſſe debemus.

Docetur qua ratione aliqua concio ſiue oratio conficienda ſit. Cap. XXII.

VT qua hactenus late de tota dicendi ratione docui breui quaſi compẽdio complectar, & quo pacto vſum, ſine quo quidquid auditur legiturque nihil, aut certe parum prodeſt,traduci queant,exponam; placet ad huius operis finem quandam viam tironibus oſtendere, qua concio fieri ac formari poſſit:quam viam qui aliquoties teruerit, facile poſtea,modo locis abundet,nec omnino ſit rerum & artis dicendi ignarus,aptam ad perſuadendum faciet orationem.

Primum itaque cognoſcat cauſſæ genus, ſtatumque ſiue quæſtionem,& thema de quo agendum eſt ſibi proponat: vt,eo propoſito,quid ſibi inueniedum ſit,quod primum eſt Oratoris munus, facile intelligat:cum nemo poſſit apta inuenire media, qui finem

quo referenda ſunt,non habuerit perſpectum.Genus itaque quæ ſtionis inueniendum atq; internoſcendum eſt,iuxta ea quæ ſecundo libro ſcripſimus:cum varijs locis,variaque ratione varia quæſtionum genera tractanda ſint.Nunc autem ad ea quæ ibi diximus,addemus aliquid circa eam conſuetudinem, quæ olim frequentior erat,nunc tamen minus vſitata.

Solent quidam aſſumere pro themate aliquam diuinæ ſcripturæ ſententiam,quæ ſit totius concionis quaſi fundamentum:quā ſentētiam ad id accommodare conantur, de quo ſermonem ſunt habituri; Vt,ſi acturus de diuo Franciſco hunc locum ſumeret, Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ: ſi de diuo Dominico hunc alium. Ad omnia quæ mittam te ibis, & vniuerſa quæ mandauero tibi,loqueris:ſi de diuo Thoma hunc,Ecce pluſquam Salomon hic.

Gen 41.
Ierem. 1.

In hoc themate tractando aliqui hæc adnotauerint vitia. Primum,ſi quod propoſitum eſt,id non attingatur, quod facile contingere poteſt:ſecundum,ſi thema ſæpius,& præſertim nude repetatur,& inculcetur:tertium,ſi ſit extraneum,non accommodatū, perſonæ diei,loco,rei, vel euangelio,quod tractandum ſumitur: vt ſi ſolum nomini rei,vel perſonæ de qua dicendum eſt conueniret:poſtremum,ſi ſenſum habeat implicatum,obſcurum,vel ſolū aliquam argutiam puerilem.

Hęc concionandi forma ideo quibuſdam non probatur,quia difficile eſt in tota concione in vna tantum verſari ſententia,quæ ad omnia quæ de perſona,vel de re, & præſertim de Euangelio, quod poteſt eſſe varium dicuntur,ſit ſemper accommodata: quia iſta forma,non videtur fuiſſe in vſu apud antiquos Concionatores,& oratores,ſed ab ijs, quos Sermonarios vocant,fuit introducta:quia in deſuetudinem abijſſe videtur : denique quia commodius aliunde exordiri licet ; nimirum a re quæ ſit ad propoſitum totius orationis ſcopum accommodata.

Quod ſi quis ſuper propoſito themate ſermonem habere vellet,caueat adnotata vitia:in eo ſemper verſetur:& illud ad eum fere modum pertractet,quo olim Declamatores ſuas chrias tractabant,ea videlicet methodo,quam libro quarto de Eloquutione oratoria expoſuimus. Proponat thema,illud explicet,eius ſententiam ſenſumve & partes ad perſonam,& ad rem accommodet, rationibus comprobet,circunſtantijs amplificet, & ſimilibus, contrarijſque exornet. Sed iam ad noſtrum inſtitutum redeamus.

Inueniat itaque,vt dicebamus, concionem formaturus in re

ſubie-

ſubiecta ſtatum,& fingamus,gratia exempli,eſſe iſtum, An imagines ſint adorandæ,vel,an imaginum vſus ſit honeſtus: in qua quæſtione explicanda,tota conſumi debet oratio, & omnia quæ inuenienda ſunt,ad partem veram & catholicam retinendam,debent eſſe accommodata.

Quæſtione propoſita,eius partes,ſubiectum nimirum, & attributum ſpectare oportet,Imago,& Adoratio, ex quarum conſideratione,aliqui loci ad eam explicandam ſumere licebit.

Conferat ſe poſtea ad communes locos, qui ſunt argumentorum inueniendorum indices, de quibus libro ſecundo egimus. His indicibus admonitus, locos communes eius doctrinæ quę de re propoſita agit, & auctorum cōſulat,ni quis proprio ſtudio eos comparauerit:librorum indices,& bibliorū concordantias, quas vocant,legat;& ea breuiter notet, quæ ad imagines & ad adorationem pertinere inuenerit.Nam,cum loci illi Topici,vt alias diximus,ſint vacui,doctrina replēdi ſunt: qua induſtria, quandam locorum ſiluam parabit. Ex hac conquiſita rerum copia,tres, quattuor,vel plures, pro magnitudine concionis faciendæ,locos ſeligat.

In locis ſeligendis,prudens Concionator explorate ſe gerat: nam ſilua, vt terra fertilis,tribulos lappaſque producit:nec quodcunque medicamentum cuicunque morbo, nec quæuis veſtis cuicunque corpori eſt accommodata:ac proinde, non minus videat, quid relinquere,quam quid ſumere debeat: quæ diligentia, vt alias diximus,in themate eligendo præcipue extare debet. Ineptiſſime enim apud Moniales de vſuris, apud mercatores de obedientia,apud coniugatos de virginitate, & apud virgines de coniugio diceretur. *Aug. li. 1. de doct. c. 1.*

Ponamus itaque ad confirmandam quæſtionem propoſitam, ex noſtra ſilua,hos quattuor locos,auctoritatis, vtilitatis, ſimilis, incommodi,ſiue damni fuiſſe collectos: ex quibus allata propoſitio,ſic breuiter demonſtratur: Antiqui patres docent imagines eſſe colendas;colendæ igitur:imaginum adoratio utilis; retinenda igitur: & ſic de alijs. Quod ſi quis totam orationem ad vnicum ſyllogiſmum reuocare vellet, ita ratiocinaretur: illud eſt tenendum,ſiue vſurpandum,quod auctoritas, vtilitaſque ſuadent:talis eſt imaginum cultus:igitur imagines retinendę.Concluſio,demōſtrat cauſſæ ſtatum:maior indicat locos tractandos:minor,crinomenon,ſeu iudicationem,hoc eſt,eam partem quæ in iudicium uenit;de qua iudicandum eſt.

Qua ratione loci diſponendi ſint,alibi diximus:neruoſiores in principio,in medio debiliores,in fine firmi & ad mouendũ magis idonei: Vt in ſuſcepto exemplo, in prima concionis parte locus ab auctoritate & vtilitate:in ſacunda locus a pari, ſiue ab exẽplo,quia hominum imagines,Principum ſigna,ſacros libros,& veſtes honoramus:in poſtrema concione locus ab incommodis, quæ ex imaginum contemptu proficiſcuntur.

Ex illis autem rebus quas collegimus,& ad probandum non ſumuntur; aliæ inſeruire poterunt ad exordium conficiẽdũ,aliæ ad rationes factas expoliendas,aliæ denique ad amplificandum, & ad animos commouendos.Sed iam quo pacto quiſq; locus tractandus ſit aperiamus.

Quicũq; igitur locus,vniuerſe loquẽdo,quaſi oratiũcula quędã, propoſitione,argumenti artificioſa explicatione,amplificatione, & cõcluſione tractãdus eſt.Locus ergo breuiter proponẽdus eſt: poſtea aliqua ratiocinationis forma,more oratorio,explicandus; aſſerendo propoſitiones cum ſuis probationibus,& concluſionẽ: quod vna,vel altera periodo fieri poterit. Ratiocinatione confecta, adhibeatur expolitio, amplificatiove eorũ quæ ſumpta ſunt, ſiue concluſionis:quæ amplificatio,vniuerſe loquendo,erit argumentatione fuſior.

Locos ad expoliendum,augendumque ex ſilua,ſeu copia illa comparata,de qua diximus,ex attributionibus, ſiue circunſtãtijs eorum quæ aſſumpta,ſiue concluſa ſunt ſumere licebit. Qua ratione Paulus ex temporis & occaſionis circunſtantia, quod probare volebat,amplificauit,cum dixit, Et hoc ſcientes tẽpus,quia hora iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim proprior eſt, & quæ ſequuntur.Salus proprior,nox præceſſit, Chriſtus præſto eſt: vnde concluſiones infert hortatorias. *Rom.3.*

Ad expoliendum faciunt enumerationes, ſimilia, cauſſarum, effectorumque conglobationes,exclamationes,indignationes,aſſeuerationes,optationes,comminationes,obteſtationes, interrogationes,& alia ſchemata,quæ vim augendæ orationis habent, de quibus alibi ſcripſimus.

Vbi illud obiter admonuerim,tria eſſe quę orationem ſpecioſam,luminoſam,atque neruoſam faciunt,Primum theſis & hypotipoſis, id eſt communis locus, & quæſtio finita ad rem & perſonas accommodata:illa eſt veluti maior propoſitio ſyllogiſmi,hęc minor:deinde,auxexis,id eſt incrementum,amplificatio & exaggeratio: poſtremo pathopœia,hoc eſt, mouendorum affectuum ratio

ratio. Facta amplificatione, breuis adhibeatur concluſio;quæ cũ locus reſq; ipſa patitur,rhetoricum contineat enthymema, ex cõtrarijs nimirum breuiter collectam argumentationem,quæ quaſi iaculum in animo auditoris fixa maneat.

Primo loco pertractato,ad aliũ transeũdum erit: & ne oratio diſſoluta diſſipataque videatur, aliqua tranſitione opus erit, in qua nouus proponatur locus: qui eadem ratione tractandus eſt: variata tamen argumentandi forma,alia atque alia adhibita exornationis cura:ne quod de nouo dicitur,idem eſſe videatur. Qua autem ratione variè argumenta tractari, & amplificationes adhiberi poſſint, ſupra libro tertio, & multo accuratius libro de Diſpoſitione oratoria docuimus. Si tranſitione vti noluerimus, in epilogo antecedentis loci,nouus commode locus proponi poterit. Tribus aut quattuor hunc in modum diligenter tractatis argumentis tota confirmatio comprehendi poterit.

Confirmatione,quæ eſt veluti totius orationis corpus, conſtituta,de alia parte cogitandum erit,quę confirmationem quaſi aditus veſtibulumve antecedit:quam aliqui narrationem vocant: quamuis vera narratio in concionem non facile veniat,cum propria ſit eius generis in quo de facto diſceptatur; vt libro de Diſpoſitione oratoria plane docuimus.Hæc itaque pars, quando tã quam a confirmatione diſtincta adhibetur,cum non ſit proprie narratio,Introductio vocetur,quæ breui ratiocinatione,vel alicu ius rei expoſitione,propoſitione, partitioneve,hoc modo,confici poterit.

Inuenienda eſt aliqua communis ſententia, ex cuius explicatione inferre liceat propoſitum in concione thema, ſiue quæſtionem,adhibita,ſi opus fuerit,partitione; qua tunc potiſſimum vti oportebit,cum quæſtio ſimplex tractanda eſt, vt ſi de Pace, de Amore diuino,de peccato,de pœnitentia, & alijs rebus ſimpliciter propoſitis eſſet agendum:ſecus fieret,ſi quæſtio coniuncta in cõtrouerſiam veniret, vt in allato de imaginum adoratione patet exemplo.

Sententia,quam in hac introductione explicandam eſſe diximus,ſumi poterit ex illa rerum ſilua, vel aliunde ex aliquo celebri dicto,diuinæve ſcripturæ loco:quam ita explicare oportebit, vt auditor plane videat quorſum noſtra tendat oratio, & aditus hic noſter ducat;nimirum ad propoſitionem,tota oratione tractã dã.Vt,ſi in propoſito a nobis argumento ſumeretur hæc ſentẽtia, Homines quadam naturæ vi ad religionem tuendam ac retinen-

dam eſſe propenſos, ac proinde nulla ratione ferre poſſe eos, qui aliqua parte eam labefactant,aut imminuunt:id quod omniũ populorum conſenſione & vſu confirmare licet Et quoniam Iconoclaſtę bonam religionis partem euertunt, dum ſacrarum imaginum vſum,vt malum vituperant,propterea contra eos,ni quis aduerſus naturæ propenſionem facere velit, acriter pugnandum eſt;vt,eorum profligata ſententia,religio remaneat intacta . Hac igitur,vel alia ſimili ſententia paullo fuſius explicata, Introductio per enthymema,vel ſyllogiſmum conficienda erit: adhibita concluſione, ſeu propoſitione concluſionis loco,cum aliqua amplificatione,qua rei magnitudo, dignitas, indignitas,aliudve attributum demonſtretur, & animus auditorum ad audiendum cõmoueatur.

Hoc itaque adhibito ingreſſu,& hac facta propoſitione,ad ipſam confirmationem dicendo deueniendum erit; quam tamen priore loco texendam eſſe exiſtimamus, cum in ea conficienda præcipua ſit ponenda cura, ſitque hæc pars cæterarum partium ratio & quaſi regula.Quod ſi quis hac parte ſuperſedere voluerit, is in exordio planius proponat,diuidatque,& rei magnitudinem, neceſſitatemque demonſtret: & poſt exordium ad ipſam cõfirmationem aggrediatur.

Ariſt.lib.3. rhet.c.14. His conſtitutis partibus,de exordio cogitandum erit, quod veluti veſtibulum,aut potius prælndium additur orationi:ac proinde,in ſermonibus, præſertim breuioribus,vel paucis conficitur, vel omittitur,& a propoſitione initiũ capitur;vt ſæpe regius Vates facit. Atqui,conſuetudo iam obtinuit, vt in concionibus nunquam fere omittatur: ſed in eo grauiter a multis peccatur, quod nimia arte pinguntur & exornantur exordia. Eſto quidem honeſta & venuſta,non tamen nimis elegantia: verecunda,ſummiſſa, non tumida,non grandia.Quæ,etſi in cõcione libera eſſe ſoleat: tamen,ea magis probantur,quæ ex viſceribus cauſſæ ſumuntur, ab aliqua nimirum qualitate;quo modo non raro exorditur Con*Ad Phil.* cionatorum omnium princeps Paulus. Quæ a ſimilitudinibus petuntur,minus probantur;licet nunc nihil ſit frequentius: quẽ errorem pauci vident,cum pauci ſint qui bonorum Oratorum artificium obſeruent.

Sumuntur autem commode ab aliqua perſona ad concionem ſpectante:ab aliqua chria, ideſt a lepida & ſapienter pronuntiata ſententia,factove peracuto:ab aliqua illuſtri Gnome:quo referres figuram hiſtoriamve antiquæ legis.Commodiſſime etiam exordi

mur

mur ab alicuius affectus indicatione, vt timoris, lætitiæ, doloris, querelæ, & admirationis; & denique a loco, & tempore. Adhibe bitur in exordio aliquis motus, quo auditor excitatus attente be neuoleque dicentem audiat, & vt pro ipſo Deum oret, quem vna cum populo, vt mos eſt, ipſe orabit.

Si quod exordium accuratius ſit faciendum, tribus fere conſta bit partibus, quarum prima ducitur Protaſis, vt in epiſtola Pauli ad Philemonem, Gratias ago, & c. Secunda Ætiologia, id eſt ratio propoſitæ ſententiæ, vt in eodem exordio, Gaudium enim: Tertia Apodoſis, ideſt redditio, ſiue repetitio, vel concluſio, explicatio ve fuſior: vt in eodem loco, Propter quod, &c. His partibus, ſi exordia ſint futura longiora, aliæ duæ adduntur: vna poſt ſecundam, quæ Auxeſis, ideſt amplificatio, ſiue Anticatalepſis, id eſt occupa tio, vel Antitheſis, ideſt aduerſatiua nominatur: altera poſt tertiã, quæ Axioſis, ideſt petitio dicitur. Sed de exordiorum partib. quæ alibi accuratius ſcripſimus, qui volet, leget. *Lib. de diſp. orat.*

Deniq;, cæteris partibus confectis, ad vltimam, hoc eſt ad perorationem animus conuertendus erit; vbi per enumerationem, & amplificationem probationum, amplificationumque tractata ca pita repetenda ſunt; ita tamen, vt non ſicce dicatur, aut ita fuſe, vt alia fiat oratio. Eſt itaque epilogus, faciendus, ſed quando, & an fiat, non eſt dicendum, vt quidam, ſed imprudenter faciunt: vt etiam ij, qui oſtentandæ memoriæ cauſſa adhibent; non vt in eo id conſequantur, cuius gratia eſt comparatus; vt ſcilicet per maiorem contentionem auditorum animi commoueantur, victoria que referatur. Fiet autem per apoſtrophen ad Deum, vel ad aliquem Sanctum, ſi cauſſa patitur: vel ad populum, eum acrius hor tando, monendo, reprehendendo, aliquid noui ex dictis colligendo; vel alium locum ad rem pertinentem amplificando. *Leg queſt. vlt. de diſp. orat.*

Et quoniã Chriſtianæ conciones, vt iam vſus obtinuit, in duas partes diſtribui ſolent, aliquid ſubijciemus de fine primæ, & de ſecundæ initio. Si ergo concio ita erit inſtituta, vt vnum conficiat orationis corpus, finem primæ partis occupabit aliquis locus ad exaggerandum accommodatus, ex quo facile ad pauperes commendandos, vt paſſim fieri ſolet, tranſiri poſſit. Interrumpitur ita que hoc loco oratio, vt Cõcionator interſpiret, & vires ſumat: po ſtea ad ſecũdũ partẽ accedit, quæ ſequit ab aliquo loco, ex ijs qui ſuperſunt, qui ſit ad cõparandos animos ad reliquã dictionẽ idoneus: & vt comparentur, vtilitate breuitateque propoſita, curandum erit. Atque in hoc genere plenus totius orationis epilogus

in

in fine orationis ponendus erit. Rurſus hæc ſecunda pars initium ſumere poterit ab aliqua dictorum anacephaleoſi, cum dicendorum propoſitione, quæ ad alium locum tractandum dilabatur. Denique, ſumi etiam poſſet ab aliqua lepida & ad rem accommodata ſententia. Quod, ſi concio ita erit diſtributa, vt vna pars per expoſitionem ſolum doceat, altera vero modo oratorio tractetur, & hæc priorem concionis partem obtinebit, in eius fine adhibendus erit epilogus: ſi vero ſecundã partem occupabit, in ſecunda ponendus eſt: & ſane præſtat, vt in ſecunda parte, modo oratorio dicatur, & quod ad mouendũ pertinet, tractetur. Atq; hæc ſunt, quæ breuiter hoc loco de ratione conficiendæ orationis ex dictis repetiſſe, volui.

Proponuntur nonnullæ quæſtiones cum ſuis locis exercitationis cauſſa tractandæ. *Cap.* XXIII.

VT occaſionem demus ijs, qui intra domeſticos parietes declamando eloquentiam cõparare volunt: non pigebit quaſdam cauſſas, ſiue ſtatus quæſtioneſque proponere, & locos ad eas tractandas accommodatos indicare.

Si igitur hæc coniecturalis proponeretur quęſtio, Fuerit ne ſtella illa quæ Magis præluxit? eius negantem partem his locis confirmare licet. Primo, a definitione ſtellæ, quæ eſt corpus lucidum perpetuum: Secundo, a diuiſione, quia non fuit ſtella fixa, nec erratica: Tertio, a loco, quia non erat multum a terra remota: Quarto, ab adiunctis, quia non tegebatur lumine diei, vt ſtellę ſolent: Quincto, a proprio, quia proprium eſt ſtellæ certum in cęlo tenere curſum: Sexto, a fine, qui eſt, vt annorum, & temporum faciat varietatẽ: Septimo, a teſtimonio, ita Chryſoſtomus & alij. Si quis hanc vellet tractare quęſtionem, An Deus ſit, his vti poſſet locis. Primo, ab effectis, quia effectus indicat cauſſam exiſtere: Secũdo, ex relatis; mundus optime adminiſtratur: quare aliquis erit adminiſtrator: Tertio, ex ordine, qui non eſt, vbi non reperitur ordinis auctor & conſeruator, aliqua nimirum diuina mens: Quarto, a ſigno, id eſt a ſagacitate humanæ mentis, a futurorum præſenſione, a timore conſcientiæ, a naturali propenſione, cum ſumus in aliquo periculo conſtituti, & a conſeruatione eccleſiæ: Quincto, a teſtimonio, communique conſenſu omnium gentium; & ab alijs ſimilibus locis. Item, An liceat dare cenſum Cęſari, pars affirmatiua,

Cic. in lib. de nat. deor.

matiua,quæ vera eſt,his locis probari poſſet.Primo,ex lege diuina;quia Principi debetur honos,& tributum,atteſtante Paulo:Secundo,a lege naturę:Tertio,a conſuetudine,quæ apud omnes populos viget: Quarto,ex pacto,quia promittitur:Denique ab exemplo. *Matt. 22.* *Rom. 13.*

Innumeras fere in medium poſſem afferre in omni cauſſarum genere quæſtiones ex diuinis literis ſumptas, ſi in hoc immorari vellem; vt An Abraham iuſtum bellum geſſerit pro defenſione fratris:An Moſes iure necauerit Ægyptium: An iuſte Nabothus Regi Achabo vineam dare noluerit.Quod ſi quis in genere exornationis ſe exercere vellet,Iobum,Ioſephum,Moſen,Dauidem, Tobiam,Machabæos & alios viros pios ſanctaſque fœminas,vt Ruth,Iudith,Eſther,Machabęorum matré,Magdalenam & alias quas ſacra hiſtoria ſuppeditat laudandas ſuſcipiat. Sic enim non ſolum ſtylus,ſed etiam pietas exercebitur.

Rurſus,ſi quis contra otium dicere vellet: Primo,arguat ab honeſto, quia mandatum eſt Dei, vt laboremus ; In ſudore vultus tui,&c.Quod præceptum datum eſt omnibus creaturis, cœlis,elementis,cęteriſque rebus:Secundo,a detrimento & damno:auellit enim a Deo, cum Deo gratus eſſe nō poſſit, qui eius præcepta non ſeruat:Tertio,a lege naturæ, quæ nihil otioſum eſſe patitur: & homo natus eſt ad laborem,vt auis ad volandum. Deus agit,gubernat,regit,Angeli cœleſtes orbes conuertunt,& homines cuſtodiunt:vt merito dici poſſit,nihil eſſe otioſo deterius: aut potius, Eum nihil eſſe,cum nihil agat: quem vna cum Heſiodo, Fucum vocares,qui apes uidetur,& non eſt:Quarto,ab inutili facit inimicum Dei,fugat Angelos, addicit diabolo, omni creaturæ inimicus infeſtus,ſibi & omnibus nócet: Quincto,a ſimilibus,eſt ueluti peſtis,quæ ſenſim ſerpit:ueluti letargus, qui ſomnum & morté adducit:denique tanquam aſpidis morſus, qui in totum corpus laborem omnino leuem non ſine uoluptate affert. Poſtremo,ne plures locos,qui ſunt fere innumeri commemorem, ab iniucundo,cum nihil poſſit accidere iucundi ei, qui nihil agit,cum exactione naſcatur iucunditas.Rurſus,ſi quis afflictum conſolari uellet,hos adhiberet locos . Primo, a neceſſario, quia hac lege in hanc lucem editi ſumus: Secundo minus grauis redditur calamitas,ſi leuiter feratur: nulla eſt utilitas in triſtitia & luctu: Tertio,ab honeſto, quia uirtus exercetur, augetur, & cautus homo redditur. Sunt enim παθήματα,μαθήματα, ideſt nocumenta, documenta. *Gen. 3.* *Iob 5.* *Cicer. 2 de nat. Deor.* *Dioſcor.* *Herodot.*

Nobile

Nobile vincendi genus eſt patientia, vincit
Qui patitur: ſi vis vincere, diſce pati.

Quarto, a cóſcientia bona, vel mala. Quincto, a communi conditione, & mali perpeſſione. Sexto, ab vtili, ærumnæ nos docent: affectus cohibent, virtutem illuſtrant, in ærumnis, decus elucet, λάμπει δ' ἐν ταῖς ἀτυχίαις τὸ καλόν: denique ſecum certam fęlicitatis futuræ ſpẽ afferunt. Septimo, a facili, quia facilius eſt res aduerſas, quam ſecundas pati: Ardua res & rara, in proſpero rerũ ſucceſſu non efferri. Et, vt multis morbis medetur abſtinentia & quies, ita omni calamitati patientia. Patientiæ autem loci ſunt fere iſti. Circunſtantia temporis, ſi vbique omnes patiantur: collatio rerum ſecundarum & malarum: Longinquitas temporis: Spes melioris fortunæ: præſidia, virtutis, amicorum, &c.

Ariſt. *Cic.* *Celſ.*

Deniq; vnum ſubijcio exemplum quæſtionis ſimplicis. Si quis acturus eſſet de prouidentia, hac methodo, hos communes locos attingeret. De nomine, de definitione, de diuiſione, quæ diuiditur in vniuerſalem & particularem: de cauſſis per ſe & iuuantibus, de effectibus & adiunctis, de cognatis ſiue ſimilibus, vt ſunt preſciẽtia, prudentia, & decretum: de cõtrarijs, vt ſunt, curæ vacuitas, neceſſitas, confuſio: & denique, ſi quid contra dici poſſet, id e medio tollendum eſſet. Sed de his locis hactenus: viam commonſtraſſe ſufficiat.

De quibuſdam præceptis quibus tota fere rectæ habendæ concionis ratio continetur. *Cap. XXIIII.*

PROXIMIS capitibus qua ratione ſtylus exerceri concioneſque, quod ad vſum attinet, confici poſſint, quę latius alijs in locis dicta fuere breuiter repetendo, docui: hoc autem poſtremo huius operis capite, ea repetam, & ſub vnum aſpectum proponam, quæ ad orationem honeſte & vtiliter habendam in Concionatore ſunt neceſſaria; ſunt autem iſta.

Primo, honeſti & inculpati mores, ſiue vitæ bene & laudabiliter actæ ſignificatio: ſi mores, vt Menander dixit, & nõ oratio perſuadent: & ſane, qui non viuit, vt docet, altera manu deſtruit, quod altera ædificauit. Homines magis uolunt exempla quam verba: quia loqui facile eſt, præſtare difficile.

Greg. Naz. *Lact.*

Secundo neceſſarius eſt affectus, ſiue ſpiritus, & zelus, quo Cõcionator ita vere ſentiat, ſicuti loquitur; vt nõ in labijs, ſed in inti

mo pectoris ſinu oratio nata videatur;vt vere ſit animi index & empſycos.Huc pertinet ſcitum illud cuiuſdam dictum,Quæ ſentio,non ſoleo dicere fruſtra. *Saph.* Ideo Paulus in Actis Apoſtolicis,vt bonus orator ex tribus adiunctis deſcribitur;vt λογίος,id eſt vt eloquentia præditus: *Act. 18.* vt δύνατος ἐν ταῖς γραφαῖς,ideſt,vt potens in ſcripturis,& vt ζέων τῷ πνεύματι,ideſt vt feruens ſpiritu.

Tertio,naturalis quædam ſimplicitas veritatis pediſſequa:quę intra cancellos rei de qua agitur ſe continet. Ideo recte Ariſtoteles dicebat,Vt res eſt,ita oratio.Huc facit illud Heſiodi, *Heſiod.*

Non alia eſt melior res,quam cuſtodia linguæ,
Gratia quam decorat moderatæ ſumma loquelæ.

Ideo ſapienter Auguſtinus monebat,Nobis ad rectam regulam loqui fas eſſe,ne verborum licentia, de rebus quæ his ſignificantur,impiam gignat opinionem. *Lib 10 de ciuit.c.23.*

Quarto,oratio ſit tempeſtiua:quia importunus ſermo,etiamſi bonus ſit,gratiam nullam inuenit,& vt quidam dixit, Opportunitas in omni negotio dominatur. *Pind.ode.9.*

Quincto,neceſſaria eſt cõſtantia;vt vera,vt iuſta, & neceſſaria magno animo dicamus,ac defendamus: ne metu offenſionis aliquorum orationem inflectamus,quod magis adulatoris, quam Oratoris eſt.Huc pertinet illa cuiuſdam optimi Concionatoris, vel Concionatorum principis ſententia,Dominus Deus auxiliator meus,ideo non ſum confuſus: ideo poſui faciem meam vt petram duriſſimam: & ſcio quoniam non confundar. Iuxta eſt qui iuſtificat me,quis contradicet mihi? Stemus ſimul, quis aduerſarius meus,accedat ad me. *Iſa. 50.*

Sexto,integritas,omni remota auaritiæ & inanis gloriæ cupiditate: quoniam,qui his ſunt affecti morbis,nihil altum ſpectare poſſunt,& facile ſe corrumpi ſinunt,& omnia habent venalia.

Septimo,modeſtia,moderatioque,qua de ſe ſummiſſe ſentiat, & aliena non contemnat:vt nihil pertinaciter contra veritatẽ affirmet;ita vt ſit paratus meliora a quouis alio diſcere.

Octauo, varietas, quæ mirificam gratiam orationi conciliare ſolet;illudque efficere,vt communia nouo more,& noua communi more dici videãtur.Huc facit illa Ariſtotelica admonitio,Mollia aſpere,& aſpera molliter dicere. *Lib.3.rhet. c.6.*

Nono,decorum,quod efficit,vt omnia pro ſua natura congruẽter enuntientur:vt grauia grauiter,& humilia humiliter: vt cuique rei ſuum dicendi genus accommodetur, & cuicunque perſonæ conueniens tribuatur ſermo.

Decimo,

Decimo, lepos, venuſtas ſcilicet, & vrbanitas ſermonis: agreſtis enim & inſuauis loquela nõnihil audientium aures offendit, & minus gratum dicentem reddit.

Vndecimo, pronuntiatio aliquanto tardior: quæ moderata tarditas has ſecum vtilitates affert. Primum, efficit ut res cogitatę cõmodius efferantur: celeritas enim præcipitantiam parit: eſtque in cauſſa, vt interdum temere aliquid efficiatur. Et ſane, qui celeriter uerba conuoluunt, non ex animo, ſed caſu ſermonem fundere uidentur, & ſonos in labijs naſcentes. Deinde, ut ſermo ſit neruoſior, uehemẽtius animos feriat, & quaſi aculeos in eis relinquat, orationemq; in memoria ſculpat: at, quod uelociter dicitur, quaſi folium a uento agitatum, præteruolat. Poſtea, tardior pronuntiatio, plus ponderis & auctoritatis habet, ut ſeniorum habere ſolet oratio: quorum iudicia ſunt maturiora, & expolitæ atque condocefactæ linguæ. Denique, ad id efficiendum Ciceronis actoris egregij commouere debet exemplum: qui, Seneca referente, tardiuſculæ pronuntiare ſolebat. In ſumma; ut quidam dixit, Præcipitantia, haud iuſte agit.

Eurip. in Thm.

Duodecimo, uerecundia honeſtuſque pudor, qui non modo non obeſt orationi, ſed etiam probitatis commẽdatione prodeſt; & ut quiſque optime dicit; ita maxime difficultatem, uariosque orationis hominumque euentus pertimeſcit.

Cicer. lib. 1. orat.

Denique, benedicere, quod eſt Oratoris proprium, nec in longo, nec in breui, ſed in mediocri eſt, ut Ariſtoteles ait: Nam qui multa uerba de rebus manifeſtis facit, de auditorum ingenio diffidere uidetur: qui uero breuius diſſerit, quam rei magnitudo auditoriſque perſona requirit, auditorem dimittit incertum: cum tamen orationis menſura, non qui dicit, ſed qui audit eſſe debeat. Etſi, ait quidam, ſuus cuique modus eſt; tamen magis offendit nimium, quam parum. Ita enim ſe res habet, ut licet vtrunque vitãdum ſit: magis tamen cauendum videtur nimium, quam parum: propterea quod facilius ac vehementius faſtidiis adhæreſcant. Æquabilius enim ferimus aliquid abeſſe, quam redundare: illud tacite requirimus, hoc cum ſatietate & ſtomacho repudiamus, atque aſpernamur.

Pind.

Tul.

Et, vt hunc locum concludamus, qui ſuam orationem his ornamentis honeſtare & gratioſiorem reddere voluerit; is infantiam fugiat, cum qui exprimere nequit, is non intelligere videatur: & multo magis loquacem ſtultitiam, & garrulitatem, impudentiã, & audaciam inſcitiæ comitem: calumniam item, obſcuritatem,

pertinaciam,auaritiam,ambitionem, fucatumque ſermonem, ne aliud videatur dicere,quam ſentire;nec non linguæ intemperantiam,ne dicta per iugulum redeant:& denique adulationem,quę non ex vſu,ſed ex gratia concionatur.

Atque hæc ſunt quæ breuiter Concionatori in dicẽdo ex multis quæ alibi docuimus ſpectãda proponere volui:quæ,ſi quis ſeruauerit,quæ prudenter compoſuerit,cõuenienter enunciabit, & aliquem ſuorum laborũ fructum referet,aut ſaltem ſuo apte functus erit officio. Et quoniam ea omnia, quæ ad diuinum Oratorẽ formãdum nobis neceſſaria viſa ſunt,uniuerſe expoſuimus, (nec enim qui artes docent, ſingula perſequi debent) huic operi faſtigium imponentes,pium Lectorem monemus,ut,ſi quid utilitatis ex noſtris laboribus capiet, id Deo Opt.Max.acceptum referat, eique gratias agat: nobis uero,ſiquid minus recte diximu ignoſcat;&,ni quæ ſcripſimus,ſaltem ſuuandi deſiderium prebet. Cic.lib.1. orat.

Libri ſeptimi finis.

Laus Deo & Beatæ Virgini Annunciatæ.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE